Eb 12

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650029-p0002-0

CLAVIS
POETARVM CLASSICORVM
PARS PRIOR.

SIVE

INDEX
PHILOLOGICO-CRITICVS
IN
HORATIVM, TERENTIVM
ET
PHAEDRVM,

MINORI FORMA

IN ORPHANOTROPHEO HALENSI

IMPRESSOS.

AVCTORE

GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACH.

HALAE

SVMTV ORPHANOTROPHEI

MDCCLXVIII.

KŒN.PR.FR.
UNIVERS.
ZVHALLE

AD

MAGNIFICVM

SVMME VENERABILEM

ERNESTI

EPISTOLA.

AD

MAGNIFICVM

SVMME VENERABILEM

ERNESTI

RECTOREM

VIRO SVMMO

ERNESTI

S. D. P.

G. B. SCHIRACH.

Diu iam est, cum studio in TE summo, ac potius pietati satisfacere, etsi plane non poteram, tamen maxime volui: cuius flagrantis animi desiderii explendi hanc, quam faciebat iste libellus, copiam qualemcunque nactus, expromere palam statui, quae hucusque tacitus cogitassem. Videbatur ille quidem libellus, quem nomine TVO ornare placuit, nec TVO fauore satis dignus, nec mea voluntate: sed animi magnitudo TVI, quae magna dare abundanter, exigua accipere comiter solet, a pudore paene subrustico mentem

ad spem laetissimam traducebat, fore, vt me, hoc TIBI ferentem munusculum, eo exciperes vultu, quo Artaxerxes operarium quendam dicitur renidens excepisse, qui, cum nihil aliud suppeteret, regi suo iter facienti vtraque manu haustam e profluente aquam obtulit. Enimuero nescio, quid sit, quod, cum ad TE, siue verba faciam, siue scribam, menti meae subito hebetior timiditas offundatur, quemadmodum oculorum acies recto solis intuitu solet fere obscurari. Huic pauori condonabis, quae in ipsa epistola non satis sagacitati TVAE probabuntur. Incredibili ardeo cupiditate, iste libellus nomine vt illustretur ac decoretur TVO. Quae spes, etsi temeraria forte videri possit, tamen beniuolentiae significatione haud obscura, qua TIBI illam, poëtis optimis latinis nauatam, operam meam omnino non improbari ostendisti, mirifice sustentatur. Quemadmodum igitur Terentius meus, quae fabulae plausum tulerant Scipionis atque Laelii, eas populo tradebat fidens; sic ego, minori certe cum timiditate illud, quidquid sit, quod TIBI non omnino reprobatum est, quo nonnullis viam munire studui ad facilem

Hora-

Horatii, Terentii, et Phaedri lectionem atque intelligentiam, palam emitto. Habet vero illa explicandi auctores institutio, quam ego inii, tantas et tam multas cautiones, et reprehensiones, vt dici non possit, quam optem, illa ipsa ratio mea, vt TVO consistat iudicio; de qua tamen re, quoniam in praefatione pluribus exponam, hic nihil attinet dicere. Placet vero, nonnulla alia TECUM differere, paucula illa quidem, et tenuia, ab consilio autem meo nec aliena, nec, si TIBI probata fuerint, ad vtilitatem inania.

Fuere qui dicerent, iidemque viri acuti, et docti, sese mirari, si *Phaedri* fabellas, quas *Christius* maiori sane iure conatus sit, quam Claudius apud Liuium Virginiam, eripere patri, quasque *Funccius*, aliique doctissimi viri in libertatem sic vindicassent, vt dubitationes resisterent nonnullae, eaeque graues; si illas igitur fabellas, tacito quodam iudicio probatas, adiungerem Horatio, atque Terentio. Quorum honestae religioni, eorumque, si qui sint, qui cum eis faciant, non melius me posse satisfacere praeuidebam, quam, si TE,

hoc est, principem in his literarum studiis, et Seruium quendam, (a) assertorem Phaedri monstrarem, atque tutelam. Quae enim ERNESTI diligentia et doctrina vere se habere et recte in hoc genere edixit, ea refellere esset praecipitis, in dubitationem vocare arrogantis. Magna ergo cum curiositate, maiori cum voluptate, anno iam exacto, coram TE audiui, cum diceres, satis TIBI tutam Phaedri auctoritatem videri, *Pithoeo*, viro, cum omnino fide digno, tum hac praesertim in causa, eidemque vsu multiplici trito critico, de Phaedri Codicis antiquitate non fidem esse denegandam; quod orationis genus attineret, et id ipsum culpatum a Christio immerito, non abhorrens ab ratione temporis illius felicis, cui tribueretur, signaque ferens indubia latinitatis castissimae, atque elegantissimae, defensum abs TE esse publico loco, quo tempore Christius disputationem habuisset: denique non vero esse simile, imo vero omnem fidem vincere, *Perottum* adeo artificiosam telam contexuisse, vnde euolui et aeui Tiberii euentus possent, et Phaedri

(a) Cic. Epist. diu. 9, 16.

dri cum iis accurate conſpirans fortuna, eaque temporum indicia certiſſima, quae mentiri vel maxime callidus homo nihil potuiſſet. Haec vbi acceperam, apud me ſtatui, omnem hanc cauſam de Phaedri Antiquitate, cum praeſertim aut ſatisfactum iam eſſet dubitantibus, aut ſatisfieri non poſſet renuentibus, ſilentio praeterire iuſto. De ſingulis quibusdam locutionibus, et locis, a Chriſtio interdum iniurioſe impugnatis (*b*) monui in ipſo hoc Indice, vbi vocabula explicabam; de toto vero orationis colore et forma quid amplius dicam? TE eam approbante, communi Germaniae, in veteri ac genuina pulchritudine, praeceptore, eodemque auctore grauiſſimo, cui ſententias et ſenſus ipſe latini ſermonis Genius infundere, Gratiae orationem formare atque excolere videntur: adeo optimi cuiusque literati, ſermo TVVS, velut Homerici ſenis, melle dulcior perfluit pectus; adeo ſaepius iam, crede mihi, de me ipſe melius ſentire coepi, cum dulcedinem orationis TVAE, TIBI ſoli, vt cingulum Veneri, propriam

(*b*) v. c. in libro: de moribus vberior expoſitio pag. 70. ſq.

priam a Deo quodam ingeniorum datam gustassem, meque profeciſſe putarem, cui *Erneſti* mirifice placeret. De Phaedri pretio itaque non plura addam, quum videar videre mihi TE contra *Chriſtium*, non quidem vi graſſantem, vt alterum *Hardumum*, ſed iure agentem, vindicias dare Phaedri, et amabilem poëtam alloqui conſolantem:

ὦ παις Αχιλλεως ἀλλ' ἐκεινος ἀυτος εἰ.

Scio tamen eſſe, quibus ſcrupulus quidam, ortus e ſilentio communi veterum de noſtro auctore, altius inſideat; quem vt eripiam, tuto, ad *Martialis* illam laudem, Phaedro dictam (*c*), prouocare licet: tribuendam enim illam noſtro auctori eſſe, non alii cuidam Graeco, philoſopho Epicureae diſciplinae, cuius eſt frequens apud Ciceronem mentio, tum verba, *improbi ioci*, probant, quae neſcio, quomodo Epicureo illi conueniant, tum praecedentes et conſequentes verſus huius Epigrammatis, quin omnia verba fere noſtrum ſcriptorem arguunt; namque Martialis nominat meros poëtas, et ſe cupere ſcire dicit, cui generi poëſeos ſeſe Caninius dederit;

(*c*) libr. 3. Epigr. 20.

derit; de philosophia non vola, non vestigium: denique ipse Christius eo loco, quo Martialem obtorto quasi collo ad Graecum tentat rapere, (*d*) adeo nugatur, non enim aliter dicere possum, vt, qui locum legerit, et ad Christii partes ire voluerit, refutare pigeat. Attuli praeterea in ipsius Indicis aliquo loco, quae probent, ad Phaedrum Martialis epigramma pertinere. Quod autem alii eius temporis scriptores Phaedri mentionem nullam fecerint, id primum, quamuis largiar, ad antiquitatem eius repudiandum nihil valet, cum idem aliis, vt Curtio, accidisse constet, (*e*) deinde vero etiam, quare nocte silentii obuolutus delituerit, facile est perspectu, si cogites, hominem libertum, genere abiectum, non potentum fautorum gratia, vt Terentium, illustratum, inuisum Seiano, viro in republica principi, crudeli, suspicioso, famam nanciscì magnam, et gloriam non potuisse, verum potius ignotum aliis, aliis,

(*d*) Disput. de Phaedro, eiusque fabulis. p. 6. sq.

(*e*) v. Clerici Art. Crit. P. 2. S. 2. c. 3. p. m. 342.

aliis, quia non Famae tuba aures nomen percrebuisset, vt faciunt mortales, opinioni inseruientes quippe, haud magni aestimatum, iniqua obliuionis fortuna oppressum iacuisse. Hinc *Seneca* negauit, *argumenti Aesopei latini oris scriptorem exstare*, (*f*) aut Phaedrum planissime ignorans, aut, vt fit, cum vulgo erudito aspernatus.

Atqui videtur elegans ille fabularum artifex prioribus inuidiam sibi apud plurimos contraxisse, qui, se depictos cum putarent, mediocrem eum scriptorem contemnerent; id fecit sine dubio *Seianus*, eo adhuc tempore florens gratia apud Tiberium, quanquam magno iam in odio versatus apud ciues. Quae fuit causa etiam verecundiae, siue timiditatis cuiusdam, quam, in fabulis libri tertii et quarti, quodam modo diuersis a prioribus, inuenisse mihi videor.

Obseruatum iam aliis est, poëtam lepidum accurata eruditione, multaque vatum antiquorum lectione cumulate instructum, Terentium, Virgilium, aliosque poëtas identidem imitatum feliciter

(*f*) Consol. ad Polyb. c. 27.

citer esse: at vero crediderim, artis quoque, quam exercuerit, et regularum perfectae fabulae, cognitionem in eo fuisse altam, contra ac putarent forte, qui nonnulla carmina eius reprehenderunt, ex prologis certe elucentem, quorum primo statim defendit arbores in fabulis loquentes, et docte, eas ex iucunda apologorum arte, leuique persuasione abiiciendas, negat. Talis autem fabula cum nulla in toto hoc libro reperiatur, verene coniiciam, an praue, deesse libro primo mutilo eius generis fabellas, TV ipse, ERNESTI, optime iudicabis. Quod vero censuerunt viri docti nonnulli, fabellas quasdam a praeceptionibus huius formae poëseos male aberrare, id diuidua quaestione largior: nam quod dicunt, eum aberrare, recte sentiunt; quod male, falluntur. Legenti Phaedrum, accurata mente, apparebit, hanc poëtae fuisse rationem, vt, quae proprio nomine vocarentur fabulae, eas ne solas componeret, sed immisceret illis modo breues sententias, eleganter traditas, (*g*) modo bene dicta et prouerbia exponeret, (*h*) modo res, quae

(*g*) vt libr. 3, 4. libr. 4, 11. 5, 8. etc.

(*h*) e. g. libr. 3, 3. libr. 4, 6. ibid. 9. etc.

quae vere accidisse crederentur, literis consignaret, (*i*) omnino quam maxime patentem campum exemplorum, in quo liberius excurrere liceret, sibi deligeret. Possit id Phaedri propositum bonam partem accusationum *Lessingii*, viri et summo ingenio, et subtili doctrina, et acuto iudicio florentis, nisi tollere, certe leuare; sed longum sit de ea causa loqui, et scholam requirit, quam nunc non scribo.

Enimuero illud etiam mihi videor vere dicturus, poëtam nostrum, vt verecundiorem in posterioribus libris, et quasi occultiorem, in vitiis seculi sui castigandis, de quo et supra dixi; ita fuisse paullo maiori libertate vsum in inueniendo et exornando. Primo, atque altero libro materiam, qualem reperiebat, ab Aesopo sumsit, et versibus expoliuit, id quod et ipse profitetur. Postea mutauit consilium, ac morem Aesopi tantum seruans inuenit ipse, idemque crebro alias narrationes, ab arte fabularum paullum decedentes addidit. (*k*)

Quae

(*i*) v. c. libr. 4, 21. et 24. et sic porro.

(*k*) Profitetur ipse libr. 3. prol. vers. 38. praestitit libri eiusd. fab. 4. fab. 9. et saepius. vt libr. 4, fab. 24, et 25. etc.

Quae res interdum et valde exercuit interpretes, et frustra. Huic errori fere geminum dico illum, quo occupati, sententiam ab inscio emendatore insuper additam, vt ἐπιμυθιον, licet ipsa fabulae quaedam persona iam illam edixisset, non satis detexerunt. (*l*)

Male etiam mihi videtur liber tertius discerpi a quarto, quum profecto vnus sit idemque liber, atque series quaedam perpetuitatis. Etenim Epilogo libri quarti demum orationem ad Eutychum, cui dicatus iste liber, finitur: atque solet Phaedrus saepius praefari de rebus ad se pertinentibus, easque fabulae specie narrare, vt testatur libri quarti, fabula sexta; nec inde vero orditur nouum librum. Primam partem operum iudico librum primum atque secundum, quos coniunctos vno tempore emisisse videtur, adscriptos vniuerso lectorum numero; quorum finem Epilogus secundi libri abunde declarat. Alteram partem fabellarum, tempore deinceps scriptam, qui nobis est liber tertius,

(*l*) Occurrunt libr. 3. fab. 15, libri 1. fab. 13. dixi plura in ipso Indice in vocc. *Praevalere* et *Obsistere*.

tius, et quartus, vere vnus, Eutycho, amico nobili, consecrauit: quam, interiecto quodam temporis spatio, excepit tertia, eademque vltima pars, Particuloni dedicata. Si coniecturae sit locus, putem, alias quasdam, libri tertii et quarti, siue, secundum vulgarem diuisionem, quinti, fabellas separatim editas adscripsisse nostrum amicis singulis. Postrema *Phileti* nomine diserte insignitur.

Denique mihi liceat, TE, iudice lectissimo, et incorruptissimo, iniquitatem *Christii*, et *Freinshemii*, qui, iactantiae crimine deferendo, inuidiam facere Phaedro voluerunt, breuiter repellere. Habent, quod accusatori maxime optandum est, confitentem, sed, qualem apud Caesarem Tubero Ligarium, reum. Fecit, quod incusant; sed et alii fecerunt, et recte fecerunt. Communis ei culpa est cum pluribus, vere magnis, scriptoribus, quibus praecipui aliquid contigit, qui, quum intelligerent, quid sentirent, viderunt, quid possent; eos dico, quorum diuinitati Musa, ipsa gratulans sibi, apparuit, eumque honorem habuit, vt imaginem immortalitatis eis ostenderet, laudem poste-

posteritatis caneret, famae aeternitatem vaticinaretur, atque dictaret ipsa, vltra quam fas esset mortali, oracula sancta. Hac aeternitatis Musa concitus, *Winkelmannus* tempori dedicat *historiam Artis*, *Ouidius* splendidissima de se arbitria, perfecto opere Metamorphoseon, edit, *Horatius* sibi exigit, *Monumentum aere perennius*, *regalique situ Pyramidum altius.* Atque fuit *Phaedrus* noster sic in arte leui, vt in sublimi Venusinus Vates, et princeps Romanus, et vnus.

Iam age, illud ipsum, quid putes fuisse, quod, cum Roma tulerit ingenia multa, in plurimis poëseos formis, laudem summam iure quodam suo adsecuta, tamen, qui in hoc vtroque genere elaborarint, poëtae reperirentur nulli. Quod quidem Phaedrum attinet, et fabularum genus, causa plana, et esse in promptu videtur. Nam quibus ingenium et mens diuinior fuit, ioculare illud fabularum genus nec studio satis dignum, nec laude satis abundans forte iudicarunt. Quid? si ipsa Romanae vi-

tae ratio, et natura huius gentis abhorruit ab his leuibus iocis, et ludicris naeniis? amans quippe asperiora, grauia, seueritatis dignitatem, solidam, atque robustam, vt cum Quintiliano loquar, orationem. Quid? si oppressa libertas vitam consilio monere, per fabellas, non sustinuit, vitia accusare exemplum Phaedri vetuit, aut sana animi prouisio cauit? Quid? si libido Satyrarum, quibus maiori cum gloria, minori cum arte inueniendi, vitia castigarent, inuasit animos, qui immortalem amorem et admirationem Lucilium, et Horatium in hoc genere adeptos videbant. Quantam vero voluptatem Satyrae omnino Romanis pectoribus attulerint, et quam bene huius gentis palato responderint, aliunde constat. Omitto alias inculti a Latinis Apologorum agri causas, non illas quidem prorsus vanas, sed vberiorem explanationem desiderantes, quam quae sit institutionis meae.

Ecquid vero melici poëtae pretium Horatius nactus est vnus? Cur *solus vere dignus legi?* Quod, nisi disertum

Quin-

Quintiliani iudicium exstet, dicam; alii forte plures id genus poëseos felici auspicio tractarunt; neque enim accedo ei sententiae, quamuis late pateat, et sit in multis eruditis, quae statuit, temporis curam eam circa praeclarissima ingeniorum opera fuisse, vt, quae aeternitatem meruissent, ea tantum nobis posteris, et futuris omnibus seculis incolumia seruaret, quae deleta in Antiquorum illa strage communi, cum iis, quae etiamnum possideamus, comparanda nullo modo esse. Quae igitur causa effecit, vt Horatius solus a Melpomenes placido numine ornatus fuerit huius generis munere, quod, vt Achillis hastam illam ex Pelio monte caesam, apud Homerum, alii gerere nescirent, vt βαξαγμα βριθυ, μεγα, σιβαρον. Dicam, quod sentio ex animo: TV, Optime ERNESTI, iudicabis. Vbi duplicem cernimus, ad gloriam nobis propositam, viam, alteram horridam, longam, spinis consitam, lubricam, sed ad summam laudem ducentem; asperam aeque fere alteram, sed breuiorem, sed ad minorem laudem, vel exiguam etiam tendentem; vtram eliget, qui laudis optimae cupiditate du-

citur; ducitur autem quisque bonus poëta: Profecto eliget cum Hercule Prodicio

μακρον καὶ ὀρθιον οιμον
Ὃς τρηχυς το πρωτον· ἐπην δ' εἰς ἀκρον ἱκηται
Ρηιδιη δ' ἠπειτα πελει, χαλεπηπερ ἐουσα.

Ita est: ita optima quaeque ingenia Romana Calliopes tubam sequi, quam Melpomenes lyram, maluerunt. Et vero sapienter artem lyricam reliquerunt, si consilio; feliciter, si casu. Tribuo enim illam melicorum poëtarum paucitatem apud Romanos consilii cuidam prudentiae, ex natura gentis Romanae, eiusque moribus natae. Romanum est, *et facere fortia, et pati*, vt apud Liuium Scaeuola iam dixit Porsennae, hinc etiam, *fortia facta legere*. Quem fortitudinis amorem, licet seruitutis iugum fere depressérat, non tamen plane exstinxerat, non populi naturam immutauerat. Quare omni fere tempore Romani tanto trahebantur heroicae virtutis, laudum bellicarum, factorum in sago illustrium, amore et cupiditate, vt, quae eiusmodi res gestas canerent, car-

carmina amplecterentur, lectitarent, laudibus ad coelum eueherent; poëtas alios, quamuis praestantes, quamuis ingenioſos, epicis illis longe poſtponerent. Quod quidem vere eſſe a me dictum, tum multa teſtantur, tum ipſe Horatius. Poſtea quam enim animaduerſum erat, eum poëtae viribus valere, quaſi ſuam laudem aliter firmare non ſatis poſſet, monuit eum Agrippa, Auguſtus, Maecenas, monuerunt alii viri docti, vt Maeonium carmen conſcriberet: neque, niſi excuſationem, ſiue potius huius muneris deprecationem continet *oda ſexta libri primi, et duodecima* Oda libri ſecundi; vt de ſingulis locis taceam. Quid? quod Venuſinus poëta ſummus, niſi Maecenatis, et principum reipublicae virorum fauore fuiſſet ſuſtentatus, et ipſe iacuiſſet. Neque vero illud dici non poteſt, eſſe maiorem gloriam, quae ex heroico carmine, quam, quae ex Lyrico, ad poëtam redundet.

Quae cum ita ſint, quid mirum, in tanto Epicorum carminum honore, minori Lyricorum aeſtimatione, omnes

deinceps ingenioſos Romanos, qui fauorem totius populi aucupari ſtuderent, in id incubuiſſe, vt, heroici carminis onus ſuſtinentes, in prima arte potius eſſent ſecundi, ac in ſecunda. Accedit, vt nouitatis argumenti illecebris exornare facilius Epos acre poſſent, id quod *Valerius*, *Lucanus*, *Statius* oſtenderunt, quam odae genus, cum optima quaeque Graecorum iam imitando occuparat Horatius: cuius praeſtantiam plus longe, ac vulgo opinantur, ori profundo Pindari, calori Sapphus, aureo plectro Alcaei, iucunditati Simonidis, dignitati Steſichori, debere mihi perſuadeo, et, ſi ſupereſſent iſta carmina, appariturum, certo credo.

Accedit denique altera cauſa, niſi me meus fallit ſenſus, in linguae romanae ipſa indole atque natura poſita, aptiori illa ad ſtrepitum belli, ad *Arma virumque*, ad *Prima Deum magnis freta peruia natis*, *Fatidicamque ratem*, ad *Bella per Emathios plus quam ciuilia campos*, ad bellicas virtutes inquam, et Martis ſplendentia facta canenda, quam

ad

ad dulcem tibiae Euterpes ſonum: ad quem, quanto cum ingenio, quanta cum arte accommodanda, quantisque cum difficultatibus linguae ſuae conflictandum melico poëtae fuerit, carmina eius generis, potiſſimum Horatiana, intelligentibus oſtendunt.

Conſilium erat ſcribendi plura ad TE, VIR SVMME VENERABILIS, vt de *Vrbanitate* Horatii in Satiris, de Ingenio viri in illo poëſeos genere, de quo tamen in Indice ipſo, in voc. *Vrbanitas*, quaedam, ſed molem rudem, et indigeſtam, collegi: verum et haec, et alia quaedam ad hos, quos explicaui hoc libro, auctores pertinentia alii loco reſeruo, et occaſioni; atque iam video, quam inſtitueram epiſtolam, eam in commentationis fere longitudinem eſſe productam; adeo dulce eſt colloqui cum ERNESTI, adeo ſuauiſſimis frui quam diutiſſime cupimus. Ne vero pluribus TIBI, multas et magnas occupationes ſuſtinenti, oneroſus, in publica commoda peccem, finem iam ſcribendi facio, nec TIBI me commendo, ſed tra-

do, nec TE laudo, sed veneror, nec fortunae sanctam felicitatem opto, (cur enim optem quod habes) sed salutis perpetuitatem apprecor. Mihi ipse autem tanti semper ero, quanti TIBI videbor, nec vltra placebo, quam pleniſſimum testimonium TVVM, TVIque similium, hoc est, eorum virorum meruero, quorum iudicia Veritas aeternitati solet consecrare. Faue. Vale. Scr. in Regia Fridericiana. a. d. XXIV. Aprilis MDCCLXVIII.

PRAE-



PRAEFATIO.

Si quis fuit vnquam, qui, quae in scriniis condita diu tenuisset, timidus palam ederet, is profecto ego sum, qui librum communico cum populo, et ab gloriae ambitione abhorrentem, et sola consilii integritate commendabilem. Vtilitatem enim solam, non gloriam quaerens, scripsi hunc librum non eruditis viris, non iis qui σοφιας ἐπ' ἀκροισι θαμιζονται, quî enim eos aut aetatis infirmitas, aut virium imbecillitas iuuare possit? sed illis, qui aut facili negotio recte intelligere, et bene percipere Horatium, Terentium, et Phaedrum, aut in religendis his poëtis, ad quod in nonnullis locis recurrere possint, praesidium habere cupiant. Accipe iam consilium, et quibus id exsequi studuerim, rationes meas; quibus fretus, me aequitatis tuae iudicio, lector, trado.

Duo ipsi anni sunt, cum a me quaesitum est, si vellem poëtarum latinorum, eorum, qui forma minima in Orphanotropheo editi essent, Indicem talem conscribere, vnde explicari hi scriptores in scholis commode possent: desiderari eiusmodi subsidium a plurimis, qui his editionibus vtantur, neque non vtilem talem *Clauem* poëticam fore cum iis, qui hos auctores intelligere, tum iis, qui eos, in scholis potissimum, explicare cupiant, nec recurrere ad Editiones optimas semper queant. Ego vero sumto mihi ad deliberandum quodam tempore, agitare mecum coepi de illo consilio, diu propositum mente versare, consulere viros doctos, et prudentes. Auctores ad hunc laborem suscipiendum suasoresque nactus viros, quorum et voluntati obtemperare decet, et consilia sequi oportet; descendi ita in eam conditionem, vt virgo, aliis rebus sibi laetioribus intenta, carminis asperioris legibus deuota, triste intrat, septum et operosum, *coenobium*, aut vt puellas Romanas nonnullas Vestales cooptatas igni curando se dicasse scimus. Animo ipse eo eram, vt in singulos hos poëtas, singulos Indices conficerem, quod ad vtilitatem commodius, ad propositum efficacius videbatur; nec tamen aliae rationes id tulerunt. Si cui igitur et omnis ista opera, omnino improbabitur, non ratione habita institutionis, qua vsus sim, et superuacuum, inutile, nihili aesti-

aestimandum ipsum consilium iudicabitur; non me, qui non vltro ad illud accesserim, sed inuitatus, sed impulsus, et renuens hunc mihi laborem, profecto non iucundum, aut glorioſum viſum, imponi paſſus ſim, vituperatio attinget. Habes de consilio, cognosce de ea, quam inii, ratione.

In primis mihi fuit propositum, vt iuuarem hoc libro eos, qui, non perducti plane in arte philologica ad id, quod summum est, aut per rei familiaris modum non possent, aut per vitae alias antiquiores occupationes nollent coëmere et perlegere omnes horum auctorum interpretes, editiones, optimaque ad eos percipiendos pretioſiora praesidia. Quorum cum longe maiorem numerum inueniri constet, quam eorum, quibus abuti liceat opibus, Critices et Philologiae, omnibus; non fruſtra plane, nec in nullum aliorum vſum me scripſiſſe ſpero, ſed iis omnibus, me consulere, ſi quidem recte in labore meo verſatus ſim, qui facili pacto, breuique tempore, optima quaeque collecta in meos Auctores cognoſcere cupiant; dicerem iis me vtilem, qui vtilitatem capiant ex Claue Ciceroniana; niſi inde aliquis coniiciat, *tantum Virum* audaciam meam imitandum ſibi propoſuiſſe; quam quidem imitationem ne mihi quidem in mentem veniſſe, et quia tenuitatem ipſe ſentirem et infirmitatem meam, et quia longe alia ratio eſſet horum poëtarum

atque

atque Ciceronis, ingenue fateor. De commodis tamen, incluſarum huic Indicis formae explicationum, ad Praefationes Viri magni, praemiſſas Ciceronis operibus, prouocare liceat.

Ex eo, quem poſui, fine de omni mea opera ſtatuas incorrupto animo, quisquis ea leges, oro. Perlectis, quantum potui, ſummo cum ſtudio, grauiſſimoque moleſtiae ſaepe numero ſenſu, quaecunque facere ad Horatium, Terentium, Phaedrum videbantur, ſiue per praeſtantiam iam nota, ſiue incognita vulgo erant; inde collegi, aliis delectis, emendatis aliis, reiectis pluribus, maxima, qua oportuit, diligentia atque religione, quae optima quaeque viſa fuerant, adiiciendis notationibus, exiguis forte et vilibus, meis. Ipſos auctores integros vero me denuo huius Indicis cauſa ſedulo excuſſiſſe vltro intelligitur. Iuuit me etiam vt cum maxime, in Horatio praeſertim explicando, duplex commentatio, qua intra biennium, in hac Academia, tum auditoribus frequentantibus amabili quodam ſtudio lectiones illas, Odas Horatii, tum ſingulis iuuenibus duobus, ingeniis et induſtria amantiſſimis, integra Horatii opera explicui. Multa me ipſum itaque ad hos auctores intelligendos attuliſſe, ſcio quidem; at quam bona, aequitas me docebit tua. Idem non ignoro, plurima eſſe explicata plerisque forte iam non incognita: ſed primum hoc in-

com-

commodum satis cauere potest a nemine; deinde, in tali praesertim opere, ad quod tum demum recurris, vbi explicari locum ipse desideras, non facile facessit molestiam, aut excitat taedium legentibus; Saltim non inuitaris notis ad legendum et spe deciperis turpiter: denique, nimis dare acutis, quam deesse quaerentibus, praestitit. Non scripsi enim, vt iam supra monui, doctis viris; sed secutus sum exemplum magnum, immortalis *Gesneri* rationem, quam in Plinio edendo ei fuisse fatetur, vt illos etiam locos interpretarer, in quibus adhaesisse, quamquam facilibus et apertis meo iudicio, alios obseruassem. Talem sequi auctorem profecto non aetatem, non imbecillitatem dedecuit meam. Neque tamen trita et vulgaria quaeuis exposita esse, vel ex paginis, et mole libelli, cum auctorum ratione comparata, elucebit. Quaecumque enim in aliis obuiis, hominibus, quibus scripsi, libris, inueniuntur, data opera omisi.

Si qui sint igitur, quos, quaecunque ab aliis iam dicta fuerint, vbicunque inuenire pigeat, in eorum reprehensionem me quauis pagina incurrere confiteor; Sed iam ex iis ipsis quaero, quid faciendum fuisse putent mihi, cum, proposito hoc consilio, vt quidquid ad illustrandos auctores, emendandosque conferret, vndecunque delectum exhiberem, cum, inquam, iam optima dicta

cta ab aliis reperiſſem? Quaerendane gloria ex refutandis optimis erat? an omittenda bona aliorum? At non meas, ſed et aliorum, et, vbi demum opus erat, meas annotationes dare licuit. Virum bonum, vtilem, non famam aucupantem, me vt praeſtarem, conatus ſum. Aequo animo carebo laude, dum conſiliorum meorum, et pectoris integritate, virtuteque me inuoluere licebit. Ac mihi quidem, in Critices et omnis Philologiae ſtudio, eo peruentum eſſe videtur, vt, qui, iis, quae tollere recte poſſint ſublatis, ex tota congerie colligat, cum ſenſu venuſti et pulchri, et quaſi guſtu quodam, optima quaeque, et faciliorem per ambages viam rectioremque ad ipſam veram, in rebus non verbis poſitam, elegantiam, ac pulchritudinem muniat, is non ima laude dignus ſit. Non me eum eſſe dico; ſed cur nollem, non videbam: hoc conſilii erat recti, illud ingenii felicioris, quod ſentio quam ſit exiguum:

Et nunquam auare pretium ſtatui operae meae,
Et eum eſſe quaeſtum in animum induxi maximum
Quam maxime ſeruire aliorum commodis.

Multa poſui verba, non quo difficilia eſſent, ſed vt obſeruationes aliorum, ad continuum quendam locum, aut qualescunque meas

meas adponerem, quare, non nisi perlectu vnaquaque integra nota, iudicabit aequus iudex.

Quoniam hoc libro iis consultum iuimus, qui sensum pulchritudinis sibi demum formare velint, aut acuere; identidem de arte poëtarum monitum est, de elegantia, de venustate. Hanc ob causam faciendum interdum putaui, vt loca explicarem, quae nullam haberent difficultatem, at venustatis illecebris essent condita, siue latentibus non satis peritos, siue non primo intuitu occurrentibus.

Abstinui me, quam maxime potui, laudandis libris multis, quae laudis ambitio quam procliuis fuerit in tali opere, tam planum est, quam facile colligitur, cur ei temperandum esse duxerim. Illud autem vere dicere possum, quicunque sit laudatus liber, eum aut me ipsum huc attinentem inuenisse, aut oculis vsurpasse fidis.

Ac ne quis putet, omnem meam curam in colligendis aliis notis fuisse positam, rogo, quicumque verum iudicium statuere velit, ipsum libellum adeat; in quo certe scio non vnam duasue paginas esse lecturum, vbi non mea ipsius qualiacunque, et noua, et ab aliorum sententiis discrepantia inueniat. Infinitis in locis discessi ab aliis, quia veritas iubebat, in omnibus, summa prouidentia, et iudicii religione vsus, aliena bona non vendi-

di;

di; nisi iure quasi praescriptionis mea facta essent, eorumque ego damnum praestare possem.

Disputatiunculas interdum longiores irrepsisse (*) condonabunt, spero, harum rerum intelligentes ἀκριβειας verae solicitudini; neque iidem, si, quo tendat ista opera nostra, animaduerterint, *variarum lectionum* commemorationes, et emendationes culpabunt. Nihil deesse volui, quod ad iustam auctorum et solidam intelligentiam conferret.

Interpretationes ipsas locorum quaeres, qui ad rem tuam vti opella nostra volueris, in illis vocabulis, quae aut sint minus frequentia, aut sint mire cum aliis coniuncta, aut denique praecipua extent virtute suo loco posita. Hinc epitheta magis inuenies explicata, quam nomina ipsa; ibique locum integrum, si necesse visum fuerit, enodatum reperies. *Noua* inprimis Horatii verba, aut callida iunctura colligata, quantum licuit, studiosissime adnotaui et diligentissime.

Nimium iam de me ipse dixi: venio ad dulcissima aliis reddenda officia. Quod si iudicii aequitati tui placuerint forte nonnulla, debere scito bona plurima, eaque noua huius indicis, viris duobus, doctrina eximiis, pectore

(*) Vt in voc. *Babylo*, *Cadauerosus*, *Contractus*, *Inaniter*, *Linea*, *Persona*, *Vrbanitas*, et infinitis aliis.

pectore amabilibus, amicitia erga me, qua vere glorior, abundantibus, quorum liberalitati placuit ornare conplurimis adnotationibus hunc Indicem, et doctas obseruationes in Phaedrum et Terentium mihi committere; quorumque candori et amicitiae eo maiores habeo gratias, quo minores sibi referri, nec nomina ipsa prodere voluerunt. Praeterea ingenuae, et honorificae beneuolentiae, Celeberrimi REISKII, quae mecum nonnullas in Horatium criticas doctissimasque animaduersiones communicauit, insertas suis quasque locis, ipsius nomine claro laudato, me debere, gratias agens maximas, palam profiteor. Horum virorum ornamentis acceptam fero approbationem fere omnem, quam iam haec nostra opera, modo affecta, apud summos viros, ad non mediocre exhausti laboris solatium, quasi anticipando meruit.

Quibus insuper vsus sim praesidiis enarrare, propter multitudinem eo magis taedet, quo grauius in perlegendis multis rebus inanibus, et saepius odiosis, taedium percepi.

Vti oportuit editionibus, quae prostant in *Orphanotropheo;* inde emendata inuenies quaedam, quae iam recta exhibent aliae Editiones.

De audacia tituli, cum, vt talia per bibliopolam fere semper, ita et hic steterit,

non est quod dicam; nec plura forsitan decet, siue ad excusandum afferre, siue ad defendendum.

Trado itaque iam, lectores candidi, vestrae aequitati hanc meam qualemcunque opellam, ad laborem grauissimam, ad laudem leuissimam. Neque in laude, vt professus iam sum, laboro, viris probari probis probus ipse cupiens; non ductus aura illa friuola, quam nos mortales solemus appellare gloriam; non delectatus vita illa celebrata, quae in ore mortalium solum, alio nullo loco exstat, quam famam nominamus; non deceptus fragili illa felicitatis imagine, quam auferre fortunae, ludum insolentem ludere pertinacis, proteruia potest.

Quantum viribus eniti, consilio prouidere, diligentia cauere potui, id omne contuli ad vtilitatem praestandam iis, qui non plane essent rudes, nec tamen plane docti; nec committere certe volui, vt meam operam reprehendere iure quis posset. Nihil est Sapientis praestare, nisi culpam, qua mihi videor dupliciter carere; et quod ea senserim, quae rectissima fuerunt, et quia, cum viderem, praesidium hunc librum esse posse vtile ad faciliorem, breuioremque auctorum intelligentiam, deesse honestati consilii nolui.

Altera pars Indicis, si fausto omine ista prior fuerit excepta, complectetur adnotationes

nes in *Ouidium* atque *Virgilium:* at in Virgilio id curabimus maxime, vt exacuamus desiderium Editionis, a celeberrimo, laude mea maiori, HEYNIO, curatae, quam, quauis laude dignam, omnium manibus teneri, ab omnibus legi, ex animi sententia optamus. Quodsi plausu inuito in hoc studium incubuerim, cum Phaedro meo

Fatale exitium durato corde feram. —
conscientiaque consiliorum, et recte factorum sustentabor. Sed spes est, licet paullo timida, et subuerita, fore, vt ego, amicus omnibus hominibus, amicos consequar iudices, eosque, qui ad humanitatem, et rerum naturam delabantur.

Induxi te ad legendum; sincerum mihi
Candore recto reddas iudicium peto.

INDEX SIGNORVM.

Phaedr. 1, 1, 1. — Phaedri libri primi, fabula prima, versus primus.

Ter. A. 1, 1, 1. — Terentii Andriae Actus primus, Scena prima, versus primus.

Ter. E. 1, 1, 1. — Terentii Eunuchi Actus prim. Scen. prim. vers. primus.

Ter. H. 1, 1, 1. — Terentii Heautontimorumeni Act. prim. Scen. prim. vers. primus.

Ter. Ad. 1, 1, 1. — Terentii Adelphorum Act. prim. etc.

Ter. Ph. 1, 1, 1. — Terentii Phormionis Act. prim. etc.

Ter. Hec. 1, 1, 1. — Terentii Hecyrae Act. prim. etc.

Hor. od. 1, 1, 1. — Horatii odarum libri primi, oda prima, versus primus.

Hor. Epist. — Horatii Epistolas denotat.

Hor. Serm. — Sermones. s. Satiras.

Hor. Epod. — librum Epodon.

Reliqua scribendi compendia declarare inutile forte esset, atque minus necessarium.



A.

A. *apud.* Ter. A. 4, 1, 58. concrepuit hinc *a* Glycerio ostium. * *quoad.* Ter. H. pr. 13. actor tantum poterit *a* facundia. * *contra.* Phaedr. 3, 7, 10. *a* furibus tuearis et noctu domum. *Non interdiu solum sed etiam noctu; vt Burmannus explicat. Nulla hic placet emendatio. Sensus apertus. Sed intelligo per ἓν διὰ δυοιν, contra fures nocturnos; vt saepius.*

AB. *apud.* Ter. E. 5, 8, 5, fores crepuere *ab* ea. * *quoad.* Ter. Ph. 2, 2, 26. Otiosus *ab* animo. * Hor. od. 3, 17, 1. Aeli vetusto nobilis *ab* Lamo. *Vet. Schol. explicat:* ob Lamum Laestrigonum regem. Atque hinc Lamium genus prouerbialiter pro vetustissimo. *Ego de origine simpliciter capiam: edite nobilis Lamo ab auo, (auctore gentis.).* * *loc.* Genitiui Ter. A 1, 1, 129. Ea demum *ab illo* animaduertenda iniuria est; *ad euitandam, quae ex Genitiuo orta esset, ambiguitatem.*

ABS *per, in*; Ter. Hec. 1, 1, 11. *abs* te vt voluptatem suam expleat.

ABALIENARE Ter. H. 5, 2, 26, *fere idem quod* emancipare, *aut* familia eiicere. *Chremes enim filium hereditate excluserat. Consentit nobiscum Gesnerus in Thesauro.*

ABDERE Ter. Hec. 1, 2, 100. Senex rus *abdit* se. *Hunc locum non, quod difficilis sit intellectu, sed ideo notamus, quod elegantiam Terentii atque solertiam in verborum delectu probet. Innuit hoc vno verbo morosum senis, qui hominum societatem fugeret, ingenium.*

nium. Alio modo id effert, cum de sese ipse loquitur senex Rus habitatum abii Hec. 2, 1, 27. *Simile quoad sententiam est illud Hor.* Epist. 1, 1, 5. *de gladiatore sene conspectui hominum se eripienti;* latet *abditus* agro.

ABIICERE, *vili pretio vendere, vt nos: etvvas vvegvverfen.* Phaedr. IV, 4, 42. Agros *abiiciet* moecha vt ornatum paret. Ter. Ad. 4, 7, 26. quae, quantum potest, aliquo *abiicienda* est; si non pretio gratiis. *Amouenda, extrudenda** abiicere se Phaedr. 4, 1, 13. Mustela (*insidians*) inuoluit se farina et obscuro loco *Abiecit* negligenter. *Eleganter! Solet Phaedrus in rebus describendis pauciſſimis verbis plurima dicere.*

ABIRE in diem; *differri* Ter. Ph. 5, 2, 16. *in diem* malum *abiit* * *euanescere, tolli* Id. Ph. 5, 9, 30. E medio *abiit*, qui fuit in hac re scrupulus. Id. A. 1, 2, 4. Mirabar hoc si sic *abiret*, wenn das so noch abgehen sollte.

ABNORMIS sapiens Hor. Serm. 2, 2, 3. Rusticus, *abnormis sapiens*, crassaque Minerua. *philosophus natura, sine norma et regulis disciplinae; notum est philosophos esse dictos* sapientes, *et voc.* norma *eis vsurpatum probat Cic. in Laelio c.* 5.

ABRIPERE Phaedr. 4, 17, 3. vt se *abriperet* hominum contumeliis. *Sed vsitatius fere est quod Schefferus poni mauult* e contumeliis.

ABROTONVM, *herba amara, medicata* Hor. Epist. 2, 1. 114, *abrotonum* aegro Non audet, nisi qui didicit, dare. *Vet. Schol.* Magno periculo abrotonum, minori elleborum, aegroto miscetur.

ABSENS *tropice de eo qui ab homine, apud quem versatur, abhorret,* Ter. E. 1, 2, 112. cum milite ipso praesens *absens* vt sies.

ABSOLVERE, *transigendi cum aliquo finem facere* Ter. Ad. 2, 4, 13. Ego ad forum ibo, vt hunc *absoluam.* Id. ibid. 2, 4, 18. hominem istum impuris-

purissimum quamprimum *absoluitote.*

ABSONVS Hor. Art. 112. si dicentis erunt fortunis *absona* dictis. *Eleg. quasi si verba non concentum quendam cum ipsa hominis, qua inducitur, conditione, statu, affectu inprimis, formabunt, et loquetur, vt tristis, qui laetus fingitur etc.*

ABSQVE *pro nisi ille etc.* Ter. Hec. 4, 2, 25. *absque* vna hac foret. Id. Ph. 1, 4, 11, *absque* eo esset.

ABSTINERE *cum accusat. rei.* Ter. H. 2, 3, 131. Gemitus, Screatus, tussis, risus *abstine.* * *cum genitiuo ad graec.* λήγειν χολοιο etc. Hor. od. 3, 27, 70. *Abstineto* Dixit, irarum, calidaeque rixae, Cum tibi inuisus etc. *Klotzius in Vindic.* p. 224. *emendat* Dum *pro* cum; *elegantiori sensu et veriori sententia, confer contextum!*

ABSVMERE, *sumere* Ter. Ph. 5, 5, 6, quo pacto satietatem amoris ait velle se *absumere.*

ABVTI pro *perdere* Ter. A. Prol. 5. in prologis scribundis operam *abutitur. Minus recte Westerhouius exponit;* large operam impendit, *quamuis auctorem habeat Turnebum in Aduersariis* libr. 1. c. 8. * Id. Ph. 2, 3, 66, meretricem vbi *abusus* sis.

ACCEDERE, *sustentare, fouere* Ter. Ph. Prol. 29. voluntas vestra ad poetam si accesserit * Id. Ad. 3, 2, 52. *Accedo* vt melius dicas. *Bentleius reponit:* cedo vt melius dicas; *vt* cedo *positum sit pro* concedo, *ac sensus hic emergat: concedo tibi te istam rem melius intelligere ac loqui. quod valde placet!*

ACCERSERE, *vt saltim scriptum reperitur, licet notum sit, reponi vbique debere* arcessere, *cum* accersere *sit minus latinum vocabulum, apud Ter. saepius de vxore domum ducenda fere vsurpatur,* vt Ad. 5, 7, 6. H. 5, 1, 75. A. 3, 3, 14. Ad. 5, 6, 2.

ACCIDERE *euadere.* Ter. A. 1, 5, 29. timeo incer-

tum hoc quorsus *accidat* * *quadrare cadere.* Ter. A. 5, 3, 14, Eodem die istud verbum in te vere *accidit.*

ACCIPERE pro *capere.* Phaedr. 3, 13, 9. Alueos *accipite,* et ceris opus infundite. *Sed meliores libri habent* aluos *non* alueos; *et sic cum Scheffero et Burm. leg.*

ACCVRATE fallere, *opponitur τῷ* aperte fallere; *estque subtiliter aliquem dolis et astutiis, prouide structis decipere* Ter. A. 3, 2, 14. Idoneus tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis Saltem *accurate,* vt metui videar certe, si resciuerim. *Breuiloquentia inest Terentio haud infrequens.*

ACER *epithet. tibiae propter sonum acutum, clamosum et penetrabilem* Hor. od. 1, 12, 1. *hyemis* Id. od. 1, 4, 1. *acris* hyems *der starre Winter; bene opp. grata* vicissitudo veris! * *acris* militia Id. od. 3, 2, 1. et 1, 29, 2, *seuera, ferox, suauiter hic ad Iccium Socratis mitis asseclam.* * Ter. Ph. 2, 1, 23, Prima coitio est *acerrima* i. *irae plena. sic etiam ibid,* 1, 5, 32. lenem patrem illum factum me esse *acerrimum.*

ACERBVS acerba i. *infortunia* Ter. Hec. 3, 1, 1, Nemini plura ego *acerba* ex amore homini vnquam oblata credo Quam mi cf. vers. 15. *vbi haec mala fusius narrantur.* * recitator *acerbus beschwverlich, quem vocant Galli fascheux, sed plus tamen etiam inuoluit vox latina.* Hor. Art. 474.

ACVTVS: aures acutae, *de iis qui cupide audiunt et aures quasi acuunt, pulchre* Hor. od. 2, 19, 4, Vidi - aures Capripedum Satyrorum *acutas, habet vt recte notat Baxter ridiculi quid,* * gelu *acutum, ad graec. vt Pindarus χιονὰ ὀξειαν appellat.* Hor. od. 1, 9, 4. *Gelu* flumina constiterint acuto. * *acuta* belli, *de periculis, difficultatibus* Hor. od. 4, 4, 76. Curae sagaces (*belle de consiliis Augusti prouidis, sapientibus*) Expediunt per *acuta* belli. *vid. explic. h. l. Klotzium*

tzium in Vindic. pag. 239.

AD *apud* Phaedr. 3, 4, 1. Pendere *ad* lanium quidam vidit simium Ter. H. 3, 3, 43. ea quae est nunc *ad* vxorem tuam.

ADAMANTINVS, tunica adamantina, pro *lorica e durato ferro, impenetrabili, inuicta telis; sic enim* adamas *saepius.* Hor. od. 1, 6, 13. Quis Martem *tunica* tectum *adamantina* digne scripserit? *Respicit ad Homerum.*

ADBIBERE Ter. Heaut. 2, 1, 8. Perii! is mihi, vbi *adbibit* plus paullo, sua quae narrat ficinora! *non maiorem habet vim, quam simplex* bibere.

ADDICERE pro *vendere, nam addicunt rem qui vendunt,* Hor. serm. 2, 5, 109, Gaudentem nummo (i. *vili et nullo fere pretio*) te *addicere.*

ADDICTVS *est gladiator sacramento, aut miles dum iurat in verba praecuntis tribuni etc.* Hor. Epist. 1, 1, 14. Nullius *addictus* iurare in verba magistri. *Crucquius putat alludi ad eum quem praetor addicit debitorem creditori;* pessime! *vid.* Iurare.

ADEO *deinde* Ter. H. 1, 1, 57. Nulla *adeo* ex re istuc fit, nisi ex nimio otio * *vsque eo, huc.* Id. H, 1, 1, 61. *Adeo* res rediit. * *cum negatione eleganter* Phaedr. 1, 4, 7. Canis et quem tenebat ore demisit cibum, Nec quem petebat *adeo* potuit attingere i. *atque damnum eo maius fuit, cum illo praeterea insuper cibo, quem appetebat, careret.*

ADFATVS Ter. Hec. 5, 4, 19, vt voluptati obitus, sermo, *adfatus* tuus, quocunque aduenieris; *Ex coniectura Bentleii scil. pro* aduentus, *quod vide.*

ADHVC, *iam* Hor. Epist. 2, 1. 206. Dixit *adhuc* aliquis? nil sane, quid placet ergo?

ADIICERE imperio regna, *de conciliatione, qua beneuolentia et metu potius, quam armis coactum regnum se adiungit Romano imperio; quod factum a Britannis et Parthis s. vt Ho-*

ratius eos appellat, Persis, auctore Strabone 4, pag. 138. 44, et Dion. Cass. 53. p. 512. E. *iam citatis ab Gesnero ad Hor.* od. 3, 5, 3. praesens diuus habebitur Augustus, *adiectis* Britannis Imperio grauibusque Persis.

ADIVMENTVM pulchritudinis, *bene de vestibus nitidis, auro, gemmis, fuco denique qui alibi* mala res muliebris dicitur. Ter Ph. 1, 2, 55. Nihil aderat *adiumenti* ad pulchritudiuem.

ADIVNCTVM gr. παρανεημενον, *cuiusque rei naturale consequens* Hor. Art. 178. Semper in *adiunctis* aeuoque morabimur aptis h. e. *in partibus et moribus conuenientibus cuique aetati permanebimus seruandis.*

ADIVTARE onera, i. *alleuare, in onere aut ferendo aut imponendo succurrere.* Ter. Hec. 3, 2, 24. Pueris curre obuiam atque his onera *adiuta.*

ADIVTOR *in opera scenica is est qui voce aut tibiis mimos iuuat* Phaedr. 5, 5, 14. cf. Id. 5, 7, 4 et 5. *Sic Horatius de tibia* Art. 204 *adesse* choris erat vtilis. *eodem sensu. adde Quintil.* 11, 5. *et Burm. ad l. c. Phaedri.*

ADIVVARE Phaedr. 3, 10, 39. A diuo Augusto tum petiere Iudices Vt *adiuuaret* iurisiurandi fidem Quod ipsos error implicuisset criminis. *Solebant iudices in causa obscura iuramento confirmare* sibi non liquere, *quo facto iudicium ad imperatorem deuoluebatur; ita iurisiurandi fides eorum seruatur,* adiuuatur. cf. Eund. 3, 13, 8.

ADLABORARE, *laborioſe addere l. vt addatur quaerere, cum emphasi s. potius breuiloquentia* Hor. od. 1, 38, 5. Simplici myrto (i. *soli myrto*) nihil *adlabores* Sedulus curo. *Non curo te iam quaerere quae myrto addas Bentl. legit* cura, *referens ad puerum. Cuningamius* curae. *Gesnerus retinet vulgatam lectionem* curo. *Sed cel. Reiskius ita forte legendum putat.* – – Sedulus; *curtum* neque te ministrum

strum Dedecet myrtus cet. *Desiderat enim, addens, sequens*, arcta vite, *epitheton ministro conueniens, ergo* curtum ministrum, h. e. φαυλον, εὐσελη, εὐπερικοπτον *vt loquitur Polybius.*

ADLVDERE *dicuntur qui dicto aliquo et ioco risum excitare conantur* Phaedr. 3, 19, 12. Intempestiue qui occupato *alluserit. locari voluerit cum illo aliis negotiis districto. Vtitur h. v. ipse Cicero l.* 1. *de* orat. 50. * *Abblandiri, contrectare* Ter. E. 3, 1, 34. coepit. ad id *adludere.*

ADMIRARI pro *magnum ducere adeoque valde expetere, et sic etiam* mirari Hor. Od. 3, 29, 11. et 4, 9, 15. Epist. 1, 1, 47 et 1, 6, 1. 1, 11, 31. 1, 14, 18.

ADMOVERE preces *eleganter de eo qui ab inuito* studet obtinere Phaedr. 1, 19, 6. et 4, 25, 20. *Ita etiam* 3, 16, 8. *legendum* admota prece *pro* admonita, *vt Gudius reponit ad MSS. lectionem paullo corruptam accommodatissime.*

ADOLESCENTVLVS, *actores fabulae, sunt* adolescentuli *apud* Ter. H. prol. 51. Exemplum statuite in me vt *adolescentuli* vobis placere studeant.

ADOREA *laus militaris et gloria* Hor. od. 4, 4, 41. pulcher ille dies — Qui primus alma risit *adorea. Suauiter* alma.

ADRASVS *rasus, tonsus ad cutim vsque, vt bene explicat, addicta illa* ἐν χρῳ κειρια *ex Theophrasti charact.* περι μικρολογιας et Hor. Epist. 1, 18, 7, *Gesnerus ad Eiusd. Epist.* 1, 7, 50. *vide autem praeterea, quam bene ibi pingat hominis inducti characterem!*

ADSCRIBERE, *translate a re nummaria accipere velut e debito et suum facere.* Phaedr. 4, 2, 6. *Adscribere* hoc debebunt exemplum sibi; 4, 4, 37 *dicit* assignare * *a re iudiciaria* adscriptus poenae dies, 4, 10, 8. i. *designatus, constitutus poenae ab illo sumendae a fato s. Nemesi; quod vocat infra vers.* 19 fa-

torum dictum tempus. * *translate a tabulis censoriis quibus noui* adscribuntur *ciues; eleganter* Hor. od. 3, 3, 35. *adscribi* quietis Ordinibus - Deorum. Phaedr. 4, 17, 16. Post aliquod tempus alios (*legatos*) *adscribi* iubent, h. e. *adiungi suffectos prioribus*, i. *designari potius; Sed alii malunt* adsciri, *alii* adsciscí; *vtrique male! Adiungamus hic quaedam ad vers.* 20. *qui mire torsit interpretes, fuit enim in MSS lacuna Sic:* Mandant * dimittuntur. *quam diuersi diuerso modo explere studuerunt; Nos vero pro vulg. lectione malimus;* Mandata dant, dum dimittuntur, vt statim Adeant cet. *seu, si quis mauult*, Mandata dant, lecti dimittuntur, et statim adeunt. sqq.

ADSERVARE, *diligenter obseruare atque custodire* Ter. H. 3, 3, 32. Atque nunc, here, hic tibi *asseruandus* est *cf. vers.* 31.

ADSIDERE Ter. H. 1, 1, 72. *adsido. Exprimit vires nimio labore fatigatas et prae aegritudine collapsas. Westerhov.*

ADVENTVS Ter. Hec. 5, 4, 19. Antiquamque adeo tuam venustatem obtines Vt voluptati obitus, sermo, *aduentus* tuus, quocunque aduencris. *Sed, si vnquam, hic feliciter emendat Bentleius* adsatus *pro* aduentus. *Quid enim sibi vult h. l. post laudatum sermonem, et venustatem,* aduentus, *in tam eleganti et terso poëta; praesertim si comparas vers.* 19. *omnes veneres. sensus est, retinuisti, nihil amisisti de tua venustate pristina, num igitur dici potest aut tolerari, et aduentus tuus, vt antea, inter ceteras tuas* venustates *voluptati est; qui odit nos incredulus plura sciat allata ab Bentleio ad h. l.*

ADVERTERE se, *pro conferre se aliquo* Ter. E. 2, 3, 53, Illa se interea compdnm huc *aduorterat* In nostram hanc plateam.

ADVOCARE, *solent* aduocari, *a quibus ius exquiritur, qui ius suggerunt; Eleganter hinc*

Phaedr.

Phaedr. 4, 4, 20, *cum non* testamenti potuit sensus colligi, Fidem aduocauit iure neglecto, parens. *Iureconsultorum opera neglecta fidem* in *iustum et aequum iureconsultum accepit, et ex aequo et bono testamenti perscriptum executa est.* cf. seqq.

AEDITVVS, virtutis, *pulchra et mirabili translatione de scriptore, poëta, praecone virtutis.* Hor. Epist. 2, 1, 230. Sed tamen est operae pretium cognoscere quales Aedituos habeat belli spectata domique Virtus.

AEGROTVS animus, *de implicito curis amatoriis, sed cum summo lepore in ore morosi et se ipsum castigantis senis patris.* Ter. H. 1, 1, 49. vbi rem (*amorem filii*) *resciui*, coepi non humaniter, Neque vt *aegrotum animum* decuit adolescentuli Tractare, *cogita tibi senem haec querulo proferentem miserabiliter ore!*

AEMVLVS *pro* riuali Ter. E. 4, 1, 9. *Et vice versa, metonymia contraria* riualis *pro* aemulo Hor. Art. 444.

AEQVARE Phaedr. 4, 15, 3. Barbam capellae quum impetrassent a Ioue Hirci moerentes indignari coeperant, Quod dignitatem faeminae *aequassent* suam; *aequalem accepissent* * *aequare* foedus, i. *iustis sancire et aequis conditionibus.* Hor. Epist. 2, 1, 25. Foedera Regum Vel Gabiis (*a Tarquinio superbo*) vel cum rigidis *aequata* Sabinis, (*a Romulo.*)

AEQVOR interfusum insulas Hor. od. 1, 14, 19. *vid.* Interfundere.

AEQVVS *mitis*, innocuus. Vet. Schol. ad Hor. Od. 3, 18, 4, Abeas paruis *Aequus* alumnis h. e. *noli nocere hoedis et agnis, aliisque pullis; non Turis verbulis vt Vet. Schol. expl.* * Ter. A. 2, 5, 18, Quo *aequior* sum Pamphilo i. e *clementior, eo facilius ei ignosco.* * *aequalis* Ter. E. 1, 2, 12, Vtinam esset mihi pars *aequa* amoris tecum i. *vtinam in amore nostro aequali ratione vteremur.*

AER densus, *pro* nebula Hor. od. 2, 7, 14, Me per hostes Mercurius celer Denso pauentem sustulit aëre. *Pulcher locus, omnia verba vim addunt*, per hostes, celer deus, Mercurius, pauentem; *Lambinus et eum secutus Gesnerus Homericas nebulas Iliad γ. et ε. hic inueniunt; ego vero eas conspicere non valeo. Non enim necesse, aliquem imitatum esse qui similia canit.*

AERATVS: nauis aerata, *propter rostra* Hor. od. 2, 16, 21 et 3, 1, 39, *vtroque loco cum vi quadam ad sententiam, vt facile est animaduertere.*

AES *de vasis affabre factis* Hor. od. 4, 8, 2.

AESTVOSVS *proprie flamma vrens* Hor. Epod 3, 18. Nec munus humeris efficacis Herculis Inarsit *aestuosius. Respicit munus illud notum ab Deianira Herculi missum, Nessi centauri cruore imbutam vestem. vid.* Efficax. * Syrtes *aestuosae; propter feruentem solem* Hor. Od. 1, 22, 5. *Aestuosa* Calabria Od. 1, 31, 5. *adde* 2, 7, 16.

AESTVS *de peccatis ex animorum perturbationibus ortis* Hor. Epist. 1, 2, 8. Fabula qua Paridis propter narratur amorem Graecia Barbariae lento collisa duello (Ilias) Stultorum regum et populorum continet *aestus*. Id. Serm. 1, 2, 110. Hiscine versiculis speras tibi posse dolores, Atque *aestus*, curasque graues e pectore pelli. etc.

AETAS Ter. E. 4, 5, 8. *Aetatem* lites factae sunt, i. q *iam dudum, a longissimo inde tempore:* adde Hec. 5, 1, 21. * *vita* Ter. Hec. 3, 1, 54, capiti atque *aetati* illorum *vid.* caput * *Senectus* Ph. 5, 99, 33. *Aetate* minus peccaturum putem?

AETERNARE *vox antiqua*, in aeuum aeternare Hor. Od. 4, 14, 5. Quae cura — Virtutes in aeuum Per titulos memoresque fastos Aeternet. *vid.* Memor.

AETERNVS: basis aeterna Phaedr. 2, epil. 1. Aesopo ingentem statuam posuere Attici Seruumque col-

collocarunt aeterna in basi. *Sed ego cum Guieto leg. arbitror* aenea in basi. *Quaecumque enim contra eum protulit Burmannus, nil probant nisi rem notissimam*, statuas aeternitati solere dicari, *quod, quis probari quaeret? sed non retundunt emendationem; namque tum melius Phaeder dixisset* Aeternam statuam, *quam* basin. *Cui enim tandem placet* sie haben dem Aesop eine grosse Statue auf einem ewigen Postement gesezt? *Quis non mecum faciet reponente* aenea *pro* aeterna? *At vocem* ingentem *Burm. mutat et legit* Aesopi ingenio *cum Gudio pro* Aesopo ingentem, *nactus adstipulatorem Bentleium, forte vero hunc unum, me certe non habet assecla. Non enim id vult Phaeder, Aesopi statuam fuisse colossum, quem timent hi viri docti; et falsum est quod perhibent*, ingens *semper plus esse quam* magnus; *vt vel Lexica docere possent.*

AEVVM occultum Hor. Od. 1, 12, 45. Crescit *occulto* velut arbor *aeuo* Fama Marcelli. *Hic locus interpretes mirifice torsit, nec paruam mihi creat difficultatem. Sed paucis multa comprehendam, missis explicationibus aliis. Si constat, quod quis neget? Horatium imitatum esse saepe Pindarum, et h. l. Pindarus lucem affundet.* Sic autem ille Nem. ἐιδ. η. ἀυξεται δε ἀρετω, χλωῤαις ἐερσαις ὡς ὁτε δενδρεον ἀισσει. *Nunc* occulto aeuo crescere *est; ceu arborem indies, vt vix aliquis clare notet vitam crescentem* h. e. aeuum, *crescere ad magnam gloriam; vnde, puto, facile sequitur vatem hic Marcellum iuuenem XVII annorum, Augusti generum et successorem denotare. cf. Sanadon, si incredulus odis inter mortuos heroas viuum iuuenem Marcellum. Respexisse autem Horatium simul ad Marcellum veterem non crediderim; quanquam meam interpretationem si quis ita statuat, non ferit.*

AFFE-

AFFECTARE, *intendere, instituere* Ter. Ph. 5, 7, 71. Hi gladiatorio animo ad me *affectant* viam. *Adde* Heaut. 2, 3, 60. * Phaedr. 3, 18, 14, Noli *affectare*, quod tibi non est datum, *nimis cupide appetere vt.* admirari, *quod vide.*

AFFERRE Ter. A. 1, 2, 18, Nunc hic dies aliam vitam *affert. Bentleius vero ex Epist. Cic. div. libr.* 12, 25 *haud absque ratione reposuit* defert. * se afferre *pro* conferre Ter. A. 3, 2, 12, Haud auspicato huc me *attuli. Ita enim cum Bentleio leg. censemus pro* appuli; *flagitantibus optimae notae libris.*

AFFIGERE Hor. Serm. 2, 2, 79. *vid.* affligere.

AFFINIS *alicuius rei* Ter. H. 2, 1, 3, *dicitur is qui ea afficitur, aut eam participat, vel saltem eius se participem fieri studet, der sich für etwas interessirt*

AFFLARE *cum dandi casu* Hor. Serm. 2, 8, 95, Velut illis Canidia *afflasset* peior Serpentibus atris. *Frustra Bentleius, dubitans, an iungi dativo id verbum possit, pro* velut illis *emendans* veluti sic.

AFFLIGERE *proprie, fictu ad terram dare* Phaedr. 1, 11, 10, bestiae leonis *affliguntur* horrendo impetu Hor. Serm. 2, 2, 29. *Affligit* humo diuinae particulam aurae. *Ita enim pro nostra vulg. lectione* affigit, *repono; auctoritates sunt pares; sed* affigere h. e. *vt surgere non possit non tam verum, quam* affligere, i. *vi quadam deiicit, mihi videtur.*

AFFLVENS vestitu Phaedr. 5, 1, 12, *qui vestitu fluxiori, non adstrictis togis incedit, vt solebant delicati, mollioresque, ac scenici, qui* trahunt vagi per pulpita vestem Hor. Art. 215. *Adde* Gronou. obseruatt. 2, c. 7. * anni *affluentes, de crescentibus. Pulchra a flumine ducta metaphora* Hor. Od. 4, 11, 19. Ex hac Luce Maecenas meus *affluentes* Ordinat annos. *Non credo Baxtero confirmanti, vatem ea voce ostendere* sene-

seneſcentem iam Maecenatem.

AGASO *comice, de ciborum miniſtro, quem vulgo nominabant* inſertorem Hor. Serm. 2, 8, 72. Si patinam pede lapſus frangat *agaſo.*

AGYIEVS, *cognomen Apollinis* Hor. Od. 4, 6, 18, *Villanus Apollo, quia in villis et vicis, eius ſtatuae erant* Vet. Schol. *Agyiae plateae ſunt, vnde Apollo dictus Aggieus, quod Athenienſes exoraculo in viis publicis vrbis ſuae ſtatutis altaribus Apollini ſacrificare inſtituerint.* Alius Schol. ad h. l. *ſed confuſus in deſcribendo cum illo alio.* Macrob. 1, 9. *ideo Phoebum ſic appellatum iudicat, quod viis publicis,* ἀγυιευσι *eſſet praepoſitus.*

AHENEVS: turris *ahenea* Hor. od. 3, 16, 1, *de ea turri, in qua occluſa Danaë erat; tectam aheneis tegulis intellige et emenda hinc corruptum quendam locum Terentii, vid.* Alienus.

ALACRIS *inquietus, actuoſus* Ter. E. 2, 3, 12.

ALAPA *notum ſignum emancipationis, e ſolemni ritu, quo inſligi alopa ſeruo ſolebat, qui manumittebatur. Hinc lepide iocatur Tiberius cum ſeruo vano atque officioſo* Phaedr. 2, 5, 25. Multo maioris *alapae* mecum veneunt. *Ambiguitas in* alapa *et* venire *ſalem habet.*

ALBVS *pro* felix, *pluribus et pulchris translationibus vſurpatur. Elegantер Geſnerus in Theſauro: nempe quae alba ſunt, nihil atrum, nihil caliginoſum habent, ſed clara quadam luce ſuffuſa pellucent. Inde, vt audacter ita belle* Notus *albus pro* ſereno *opp. obſcuro coelo, et quia Notus alias etiam parturit imbres* Hor. od. 1, 7, 15. *Albus* vt obſcuro deterget nubila coelo Saepe *Notus. Graecum* λευκονοτον *expreſſiſſe iam multi notarunt. Ceterum h. l. Pindarum imitatus eſt Flaccus, niſi verbis, tamen imagine et ſententiis* Pind. Nem. εἰδ. 1. εἰ δε νεωτις ἐχει θνατων ἀλαθειας ὁδον etc. Id. od. 3, 27.

3, 27, 19. Noui – quid *albus* Peccet lapyx, i. *quomodo ipse serena facie etiam, adeoque felix sidus, sibem frustrare potest.* Id. Od. 1, 12, 27, *alba* stella *eodem modo interpretanda, respiciente vate ad serenitatem, hyemes enim nigrae. adde Epist.* 2, 2, 189. * equi *albi ponuntur pro* velocibus, *quia candidi Solis equi crediti, et triumphantes talibus usi. Hinc Prouerb.* Hor. Serm. 1, 7, 8. *lepide de conuiciatore pessimo Persio*; adeo Sermonis amari Sisennas, Barros vt *equis* praecurreret *albis: longe superaret et quasi triumphum ageret de Sisennis et Barris maledicentissimis et petulantissimis conuiciatoribus.* * magis *alba* oua *sunt, vbi plus albi est quam vitelli.* Hor. Serm. 2, 4, 13. *Sed, si vnquam, h. l. Bentleii emendatio accipienda, quae ponit* alma, *i. alibilia, magis nutrientia, pro* alba, *quod praeterea h. l. ab ipsa re repudiatur, ab sententia illius ridiculi Catii, vt sagax lector videbit.*

ALERE *tropice de secreto animi proposito* Ter. A. 1, 1, 15.

ALES: Maeonii carminis *ales; est poeta Epicus* Hor. Od. 1, 6, 2. Scriberis Vario fortis, et hostium Victor, Maeonii carminis *alite; sed leg. cum Gesnero* aliti. *Referend. voc. ad Varium; nam ales pro* sublimitate *positum tam inauditum profecto, vt Gesnerus iam notauit, et tam monstrosa audacitas, vt mirer, in mentem vni hominum venire potuisse.*

ALIENVS *pro* inimicus. Ter. Ad. 3, 2, 28. *Alienus* est ab nostra familia. * Id. E. 3, 5, 40. *Dicitur de Ioue Danaën vitiaturo, eum per alienas* tegulas venisse clanculum. *Si verum est comicum scripsisse* alienas, *epitheton valde otiosum est, frigidum, et paene ridiculum; quare non possum quin Guyeti coniecturam accipiam, repon.* ahenas *pro* alienas; *praesertim cum vltro idem vocab. reperiatur in eadem causa apud*

Hora-

Horatium, *vid.* Aheneus.

ALIQVANTVLVM, πλεοναχῶς. Ter. A. 2, 6, 17. Subtristis visus est esse *aliquantulum* mihi; *comice.*

ALIVS Phaedr. 3, prol. 41. Quodsi accusator *alius* Seiano foret; *alius quam Seianus*, *vel*, *a Seiano diuersus*. *Sic* alius veris i. *a vero alienus l. diuersus* Hor. Serm. 2, 3, 108. Qui species *alias veris* (*Baxterus legit* veri, *hellenismum statuens*, *pro* alias vero, posit.) Scelerisque tumultu Permistas capiet. *vid.* species, *et*, Tumultus.

ALLIGARE se, *de culpa dicitur*, *cuius quis se reum facit*, e. g. Ter. E. 4, 7, 39.

ALLOQVIVM *de vino et cantu*, *pro* solatio. Hor. Epod. 13, 17. Illic omne malum vino cantuque leuato Deformis aegrimoniae dulcibus *alloquiis*. *Referenda tum alloquia ad* vinum *et* cantum, *sed emendat*, *nec*, *si quid video*, *infeliciter locum Bentleius* Def. aegr. *ac* dulcib. alloq. *Planior ad sensum etiam et facilior est emendatio Klotzii in Vindic.* pag. 265. Deformes aegrimonias dulcibus alloquiis; *sed tum forte planius etiam esset*: Deformesque aegrim. *cet. Vulg. lect. vix sanus sensus est.*

ALLVDERE, *vid.* Adludere.

ALTRIX, *de terra patria.* Hor. od. 3, 4, 10. Me fabulosae vulture in Appalo *Altricis* extra limen Appuliae *cet. Gesnerus cum nonnullis Codd leg.* Nutricis, *sed ego non video causam*, *cur non cum potioribus MSS. legam* Altricis *cum de patria etiam recte dici nemo ambigere possit*, *et saepius occurrat. vid. Bentl. ad h. l et Lambin. Ipse Bentleius non damnat lect. vulg.* Altricis l. Nutricis extra limina sedulae leg. *quod mihi valde arridet: causa afferre ratio nostra non patitur*, *sed cogita de* Appulo *et statim seqq.* Appuliae; *interim n/i vis adire ipsum Anglum.*

ALTVS *excelsus, ingens, nobilis.* Hor. od. 3, 4, 37. Vos Caesarem altum — — Pierio recreatis antro *vid. Klotzii Vindic. pag.* 193.

ALVEVS Tuscus. i. *fluuius Tiberinus.* Hor. od. 3, 7, 27. Non quisquam citus aeque *Tusco* denatat *alueo. decursionem Tiberinam significat. Qui in campo Martio exercebantur, etiam natabant post exercitium, quia et hoc necessarium militiae habitum; huc pertinet etiam illud* Hor. od. 1, 8, 8. cur timet flauum Tiberim tangere?

AMABILIS *actiue de puella, quae patitur se amari, amori facilis* Hor. 1, 5, 10. Qui semper vacuam, semper amabilem sperat cet. *Reiskius; quae pateat amori, digna itaque amore; quod idem. vid.* Vacuus.

AMARVS *ad iram procliuis.* Ter. Hec. 4, 4, 88. *Amarae* mulieres sunt, non facile ferunt.

AMBIGVVS vultus, *de Gyge, vultus pulchritudine aspicientes reddente dubios atque incertos, sitne puer an puella.* Hor. od 2, 5, 24.

AMBITIO *adulatio* Hor. Serm. 1, 10, 84. *Ambitione* relegata te dicere possum Pollio te Messala *etc. remota gratificatione Vet. Schol.* * Id. Serm. 2, 6, 18. Vbi me in montes et in arcem ex Vrbe remoui — Nec mala me *ambitio* perdit nec plumbeus Auster. *Schol. Fabricii explicat* ambitionem, visitationem amicorum; *sed Schol. Crucquii intelligit de ambitione honorum in vrbe; Crucquius ipse de ambulationibus et circuitionibus in foro vbi magistratus petebant homines, nempe, de ipso actu ambulandi noxio autumno corpori. Ego vero nihil horum probo, estque mihi* ambitio *illa quotidiana salutatio clientum, notum illud officium erga patronos, atque etiam simul molestum illud officium fori, quo clientes deducebant comitati patronos domum, aut quos parare sibi patronos studebant,* cf. Serm. 1, 9, 59. *et reliqua*

liqua officia ambientium fauorem potentium liminum. Quid melius cadit in Horatium, aulicae vitae deditum?

AMBITIOSVS: *ambitiosa* puella *proprie.* Hor. od. 1, 36, 20. Lasciuis hederis *ambitiosior* h. e. *ambiens amatum, blande complectens, collo brachia implicans.* * *ambitiosa* ornamenta Hor. Art. 447. *sunt nimis florida et luxuriantia, suo non loco posita, quae quasi ambiunt fauorem lectoris nimis incontinenter.*

AMBVBAIAE *mulieres impudicae, tibicinae vagae, quales plures erant apud Romanos, quae, vbi epula dabantur, arcessitae inter conuiuandum pulsarent citharam etc. (huc pertinet* od. 3, 14, 21. (qq.) Hor. Serm. 1, 2, 1. *Ambubaiarum* collegia, pharmacopolae. *vid. quos laudat in hac voce Gesnerus in Thes.*

AMICE pati, *ad graec.* φιλως φερειν, *forti animo et aequo.* Hor. od. 3, 2, 1. Angustam *amice* pauperiem *pati* Robustus acri militia puer Condiscat. *Bentlei. Cuning. Lambin. legg.* amici; *sed codd. optimi repugnant, et sententia est, si eos sequimur, pulcherrima.*

AMICVS: tempus *amicum*; *de cupito, valde exoptato; eleg. apud* Hor. od. 3, 6, 43. Amicum tempus agens abeunte curru. * *amicum* est *graec.* φιλον ἐστι, *placet* Hor. od. 2, 17, 2. Nec Diis *amicum* est nec mihi.

AMOR *pro eo, quod amatur* Ter. Ph. 1, 3, 11. *Amore* abundas cf. vers. praeced.

AMPHORA, *vas quadrilaterum, amplum, oblongo collo, fictile fuisse* patet ex Hor. Art. 21. *Amphora* coepit institui currente rota cur vrceus *exit. Bene*, exit.

AMPLIVS πλεοναζει. Ter. A. 2, 1, 25.

AMPVLLA *respondet* ληκυθω Graec. *vas vitreum plerumque, angusto collo, ventre amplo et quasi inflato, quo vtebantur in balneis ad oleum* etc. hinc Hor. Art.

96. Proiicit *ampullas* i. *abiicit inflata, tumida, et superba verba, vel potius delicias molles sermonis; suauissima translatione, quoniam de Telepho sermo, paupere, non vtente his deliciis ditiorum.*

AMPVLLARI, *ampullis vti, in sermone; granditer dicere, extollere orationem, Vet. Schol. ad Hor. Epist.* 1, 3, 14. An Tragica defuit, et *ampullatur* in arte!

AMYSTIS, *siue est poculi genus, quod hausti[m], et labris non clausis ebibitur, siue talis compotatio; quam posteriorem significationem tuetur auctoritas Gesneri, ἀμυστὶ πιεῖν est, labris non clausis bibere*, vid. *Lambin.* ad Hor. od. 1, 36, 14. Damalis – Bassum Threicia vincat *amystide.*

ANCILE *Nota sunt ancilia Romana. s. scuta delapsa de coelo credita, et fatalia, i. fore incolumem Romam, quamdiu illa ibi essent; inde et pro hoc oraculo ponuntur de incolumitate Romani imperii, et summum erant fiduciae Romanae signum. Suauiter* Hor. od. 3, 5, 10, *de milite Romano coniungente se matrimonio Barbaris*, Anciliorum, et nominis (i. *Romani, inprimis, quod a Quirino descendat inter Deos iam relato et genio tutelari Patriae suae*) et togae, (*dignitatis Romanae*) oblitus. *Plura et doctiora de anciliis leges apud Klotzium* Vindic. p. 194.

ANGIPORTVM *aut est vicus angustus, aut angulus plateae non peruius*, fundula, *quam Galli lepido satis nomine appellant* un cul de Sac, Ter. E. 5, 2, 6. Ad. 4, 2, 39. Hor. od. 1, 25, 10. Flebis in solo leuis *angiportu: Ad rem ibi maxime aptus locus, relege integrum locum.*

ANHELITVS: sublimi anhelitu fugere Hor. od. 1, 15, 31. *vid.* sublimis.

ANIMA *odor amphorae iam epotae* Phaedr. 3, 1, 5. O suauis *anima*, quale in te dicam bonum Antehac fuisse, tales cum sint reliquiae. *Sed hanc lectionem esse corruptam acu-*

acutior lector statim aduertet. Variam medelam attulerunt plurimi viri docti; nos ita curasse eum putabamus: O suauis anima! qualem te dicam, bona, Antehac etc. *Affert Gudius in Notis ex Plauti* Curc. act. 1. sc. 2. locum huc apprime facientem. *Vox*, bona *est paullulum miserantis aniculae; habetque salem. Ceterum totam hanc fabulam miror Schefferum et Heinsium, tales viros! retulisse ad senectutem Phaedri* inductos vers. vlt. Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit. *Num credibile poëtam tam elegantem se tam immaniter laudasse, nam quid aliud nisi summa sui ipsius laus, si innuit, senectutem suam s. faecem vitae suae adhuc tam bene olere in fabularum suarum elegantia, vt iuuentutis indicet praestantiam eximiam. Ego refero ad Aesopi fabulas conuersas in linguam latinam a Phaedro; has quasi reliquias et faecem amphorae optimi vini vult haberi, et si cui ipse placeat, debeat is colligere quanta ipsius Aesopi sit excellentia; quod consueta sua breuiloquentia sic extulit.* Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit, h. e. *me cognouerit imitatorem Aesopi.* * animae Thraciae, *fauonii.* Hor. od. 4, 12, 2. Impellunt *animae* lintea Thraciae, *non quia ex Thracia Horatio Italo flabant, vt putauit, et hinc male carpsit vatem Faber Epist.* 2, 24. *et Harduinus et Dacierius ad h. l. sed quia mos est poëtis, epitheta desumere a regionibus, vbi maxima vis est earum rerum,* (sic Peligna frigora, sc. *in altis ibi montibus* od. 3, 19, 8.) *et Thracia ventorum quasi patria habita. Si plura cupis in hanc rem, adi Klotzii Vindic.* p. 248. * *vox blandientis* Hor. od. 3, 9, 12. si parcent *animae* fata superstiti.

ANIMVS *abundat plane*, Ter. A. 1, 5, 38. Quam ego *animo* egregie caram pro vxore habui E.

2, 2, 43. Vt falsus *animi* es. *Sic Donatus, alii legebant* animo. *Bentleius videtur id omnino excludere; pessime. vid. etiam* Hec. 1, 2, 46. * Ter. A. 4, 4, 55. ex *animo* omnia facias — an de industria. * *attentio.* Ter. Hec. prol. 5. in funambulo *animum* occuparat. * *animum* reddidisti i. *beasti, sed ardentiori affectu dictum* Ter. A. 2, 1, 112. vid. *beare* Ter. H. 5, 5, 19. Credas *animum* ibi esse; *credas huic nuptias cordi esse, ac non meretricios patius amores eum cogitare*? * animi, *pro* animus Phaedr. 2, 2, 5. *animosque* eiusdem pulchra iuuenis ceperat. *Animi, de oratione* Hor. Art. 27. Sectantem leuia rerum deficiunt *animique* h. e. *vigor, spiritus. Vet. Schol.* Saepe eneruatos versus scribit, qui dat operam, vt scribat delicatos.

ANNONA *pretium cuiuscunque rei.* Hor. Epist. 1, 12, 24. Vilis amicorum est *annona* bonis vbi quid deest. *Praeclara sententia!* vile *pretium est rei pretiosissimae* (amicorum) *et paruo constat, si viris bonis aliquid deficit, quos iuuando, subleuandoque tibi amicos possis conciliare.*

ANNOSVS annosa volumina vatum *sunt libri sibyllini et antiquissima carmina* Hor. Epist. 2, 1, 26. *Annosa* cornix od. 3, 17, 13. *Annosus* palatus Serm. 2, 3, 274.

ANNVLVS Ter. E. 3, 4, 3. dati *annuli. Intelliguntur (ipso explicante Plauto* Pseud. 1, 1, 54.) *expressae in cera ex annulo imagines, quae pignorum loco dabantur conuiuii praefecto, siue συμποσιαρχῳ, quibus qui similc afferebat symbolum, (sic enim alio nomine dicitur) continuo admittebatur.*

ANNVS *anni* venientes *sunt apud* Hor. Art. 175 *ab incunabulis ad corroboratam et mediam vsque aetatem. Vet. Schol. vsque ad quadragesimum sextum* venire *dicuntur anni: translatio a solis motu,* opp. *enim venientibus annis* rece-

recedentes, *abeuntes, quasi deficiente et corpore et animo.* * *pro tempore longiusculo* per ἀυξησιν. Ter. H. 2, 1, 11. dum moliuntur, dum comuntur, *annus* est.

ANTESTARI, *testem aliquem vocare* Hor. Serm. 1, 9, 76. *Licet antestari, te sumere testem, me hic in via offendisse aduersarium. Namque si aduersarius alter alterum eo die, quo sesistere debebat in iudicio, offenderat in via, poterat eum vi rapere et obtorto collo in ius, sed debebat testem habere, se aduersarium non extraxisse domo, sed ambulantem publice inuenisse.* Vid. Opponere auriculam.

APERTVS capsa *aperta* Hor. Epist. 2, 1, 268. Ne rubeam pingui donatus munere (*intelligo ego de ornamentis librorum, minio: titulo; vid.* Ouid. *Trist.* 1, 1, *pr. quamquam scio omnes alios interpretes aliter explicare, (id quod miror)* et vna cum scriptore meo (*quia in eodem libro et scriptoris nomen est et eius de quo scribitur*) *capsa* porrectus *aperta.* Deferor in vicum etc. *contemtum notat* aperta capsa, *et neglectum libri, et bene iungitur* Porrectus (*vid.* Porrectus.) *Male itaque Bentleius edidit* operta, *vt non dicam, vacuum fere hoc esse et parum concinnum h. l. epitheton.*

APOTHECA *maius quoddam repositorium vini in superiori aedium parte, superpositum his locis, vnde plerumque fumus exoritur; vina enim celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore maturitatem trahunt; verba* Columel. 1, 6, 9. Phaedr. 4, 4, 25, plenam antiquis *apothecam* cadis. Hor. Serm. 2, 5, 7. Neque illic aut *apotheca* procis intacta est aut pecus. *Hinc saepius apud Horatium vinum dicitur* fumum bibere, *vt* Od. 3, 8, 11. et alibi.

APPARERE, *incurrere in oculos admirantes, animaduerti cum plausu* Hor. Epist. 2, 1, 224. Cum

lamentamur non *apparere* labores Noſtros, et tenui deducta poëmata filo.

APPLICARE Ter. A. 5, 4, 21. Tum ille egens forte *applicat* primum ad Chryſidis patrem *ſe. Verbo proprio hoc effertur. Erat enim iuris Attici, vt peregrini patronum aliquem aut προστατην ſibi eligerent, cui ſe in fidem atque patrocinium darent, quod qui negligerent ἀπροστασιε δικην.* vid. Pollux, *metuere debebant. Inde apud Romanos* ius applicationis *ortum eſt*, de *quo Turneb. Aduerſar.* 1, 24, c. 32. *atque* Ernesti *in* Claue Cic.

APPROBARE opus *dicuntur qui conducti praeſtant locantibus quod erant polliciti* Phaedr. 4, 24. 11. *de Poëta Simonide*; Opus *approbauit. Similem locum ex Vitruuio* 9, c. 3. *affert Schefferus et Burmannus nubem excitat interpretum. h. v. vid.* conducere.

APRICVS campus i. *Martius* Hor. od. 1, 8, 3. et ſaepius, *loca ſoli aperta* od. 2, 6. 18. Serm. 1, 8, 15. Epiſt. 1, 14, 30. ſic appellantur. *Eſt enim epitheton valde poëticum; campum Martium expoſitum Soli ab omni parte, vid in Nardini Rom. Vet.* * flores *aprici; ſunt vel eadem ſignificatione, in apricis aruis florentes* l. *qui folia explicata habent; optime vtrumque intelligi credo.* Hor. od. 1, 26, 7. *Apricos* necte flores. *pulchre h. l. quaſi triſtitia non coactos: vim habet ad huius odae argumentum.*

APTARE dextris enſes, *ſtringere expl. Vet. Schol.* ταις δεξιαις προσαπτεσθαι Hor. Epod. 7, 2. Quo quo ſceleſti ruitis? aut cur dextris *Aptantur* enſes conditi. *Malim tamen ego intelligere de* refingendis, acuendisque *in vagina adhuc conditis, rubigine arroſis, quod vere poëtice exprimeretur*, aptare dextris.

APVD Ter. A. 1, 5, 20. *apud* forum i. *in foro.*

AQVI-

AQVILA Her. H. 3, 2, 10. visa vero est, quod dici solet, *aquilae* senectus. *Prouerbium est in senes bibaces, propterea quod aquila multum in senectute bibere fertur, cum ob nimiam rostri aduncitatem carnibus vescendis non sit idonea* cf. Plin. Histor. nat. libr. 10. c. 3. *Gesnerus tamen in Thesauro a renascentibus plumis deriuatam* aquilae senectutem, *vegetam dicit. cf. autem vers.* 8.

AQVOSVS languor, *de hydropico* Hor. od. 2, 2, 15.

ARANEVM *absolute posit. vt subint.* textum *l.* rete. Phaedr. 2, 8, 23. Tollere haec *aranea*, quantum est laboris.

ARBITER *de vento qui regnat quasi quodam loco, vbi summa scilicet eius vis, pulchra translatione* Hor. od. 1, 3, 15. Quo (*Noto*) non *arbiter* Adriae Maior. * *arbiter* pugnae, *eleganter de amato, qui decertantibus de se riualibus victoriam dare potest vnus* Hor. od. 3, 20. 11. *Arbiter pugnae* posuisse nudo Sub pede palmam fertur i. *positam habere palmam dicitur sub pede nudo, neutri magis fauens, victoriam contemnens, et parui faciens; dicit autem* sub pede nudo l. *quia nullum ei periculum imminet ex eo certamine* l. *quia nudus pes neutri minatur.* * Hor. Epist. 1, 14, 26. ratio et prudentia, curas, Non locus effusi late maris *arbiter* aufert. *cliuus, terra editior iuxta mare, quae vndique maris effusi terminos continet, eius aquas arcet sicu suo, qs. arbitrio. Non cum Baxtero et Gesnero in Thesauro explico* locum mare prospectantem *et per hoc amoenum, durior mihi enim tum voc. metaphora videtur, quanquam et hoc ex nostra interpretatione intelligi nimirum debet, sed vt ne insit voci* arbiter. * arbiter bibendi od. 1, 3, 15. est *rex poculi, modimperator.*

ARBVSTVM, conuicia expressa *arbusto* i. *quasi e*

vite arbuſtina Hor. Serm. 1, 7, 29. Tum Praeneſtinus (*Rex Rupilius*) falſo multumque fluenti Expreſſa *arbuſto (quaſi vt vinum)* regerit conuicia. *Praeclara, licet liberior allegoria de conuiciatore ex pectore effluente ſpargente maledicta, quo pertinent etiam ſeqq.* Vindemiator etc.

ARCHAICVS: lecti *archaici pro antiquis, antiquo more fabricatis* Hor. Epiſt. 1, 5, 1. Si potes *Archaicis* conuiua recumbere lectis. *Sed, quidquid pro hac lectione dicat Lambinus, peſſima eſt, cum et vox* archaicus *nusquam in alio ſcriptore occurrat, et ſecunda ſyllaba etiam longa ſit. Reſcribendum certiſſime:* Si potes Archiacis cet. *Vet. Schol. Porphyr.* Archias faber breues lectos fecit, vnde Archiacos ſicut a Boetio Boetios dicimus. *Acron Schol.* lecti *humiles* ab Archiaco (*leg. Archia,*) fabro. *vid. plura apud Bentleium et Geſnerum ad h. l. qui poſterior citat etiam diſputat.* Kuſterianam in Hiſtor. Acad. Inſcript. Tom. 2.

ARCTVS *pro denſus, ſpiſſus;* arcta vitis Hor. od. 1, 38, 7. Theatrum *arctum; vbi multi homines denſis humeris ſtipati premunt* Hor. Epiſt. 2, 1, 60. Hos ediſcet et hos *arcto* ſtipata theatro Spectat Roma potens. *Sic et arcta* conuiuia Id. Epiſt. 1, 5, 28. * *arctum* Soluere hoſpitiis *animum* Id. Serm. 2, 6, 82.

ARDELIONES, *homines curioſi, omnibus ſe immiſcentes negotiis,* πολυπραγμονες. *pulchre depicti* a Phaedro 2, 5. *Ab* ardendo *dictos* volunt, *quod pro feſtinando poſuerunt veteres.*

ARDENS Vulcanus Hor. od. 1, 4, 8, *vid.* Vrere.

AREA: *quicunque locus purus* i. *vacuus ab aedificiis* Hor. od. 1, 9, 18. Nunc et campus (*Martius*) — et areae repetantur. *ſ. publica Romae loca, vbi iuuenes exercebantur, ludi agebantur, comitia agebantur.*

ARENA Hor. Epiſt. 1, 1, 6. Ne populum extrema toties exoret *arena,*

pul-

pulsus ab aduersario in extremam partem theatri gladiatorii, oret vt antea, populum, vt vitam sibi dari iubeat. Notum est enim, populi arbitrium victo gladiatori, aut vitam ab victore seruari, aut mortem dari, iussisse.

ARGENTARIVS: cura *argentaria* Ter. Ph. 5, 7, 3, (al. 6, 46.) i. *pecuniae acquirendae.*

ARGVTVS: *arguta* Neaera, *canora et fidicina; pulchre!* Hor. od. 3, 14, 21. Dic et *argutae* properet Neaerae. *Solebant apud Romanos fidicinae virgines sacris domesticis et epulis accinere, arcessitae ad hanc hilaritatem* etcet.

ARIDVS: *tenax, sordidus, auarus* Ter. H. 3, 2, 15.

ARRIPERE *est iudicum* in *arcessendis reis. Hinc comice Horatius de omnibus stultis quasi iudicium agens* Serm. 2, 3, 274. Nunc age luxuriam et Nomentanum (*celebrem luxuriosum*) *arripe* mecum. * Ter. Eun. 3, 5, 23. *de consilio, quod celeriter, omni deliberatione omisso sequimur.*

ARROGANS puella, *pro superba, s. potius quam nos dicimus* sproede Hor. od. 3, 26, 12. sublimi flagello Tange Chloen semel arrogantem. *Suauiter* sublimi flagello; *pingit sublatum ad caedendum leuiter flagellum.*

ARS *de omni virtute atque excellentia et animi et corporis, vt* Hor. Epist. 2, 1, 13. Vrit enim fulgore suo qui praegrauat *artes* Infra se positas: extinctus amabitur idem. *Sed negare non possum, hic mihi duas metaphoras haud bene commixtas videre.* Ἰὸ vrere *cum* fulgore *et* praegrauare; *nempe qui* praegrauat *dicitur* vrere fulgore. Ter. Ad. 2, 3, 6. Fratrem homini nemini esse primarum *artium* magis principem *cf. v.* 4. quin id *virtus* tua superet. *de constantia et fortitudine* Hor. od. 3, 3, 11. Hac *arte* Pollux et vagus Hercules Enises arces attigit igneas * *artificia histrionum vt saltantium ad restim cet.*

Hor. Epist. 2, 1, 203. Tanto cum strepitu ludi spectantur et *artes*. * *arte facta, opificia artificum* Hor. od. 4, 8, 5. Diuite me scilicet *artium, si abundarem signis et curiosis opificiis, archetypis Parrhasii aut Scopae*. * *de nouo genere artis poëticae* Id. od. 4, 9, 3. Non ante vulgatas per *artes* verba loquor. i. *Lyrico genere hactenus Romanis inculto*. * *regulae artis, obseruationibus saepe repetitis nixae* Hor. Art. 31. * *elegans stilus, bene compta oratio et tersa* Hor. Epist. 2, 1, 59. Dicitur — vincere Caecilius grauitate Terentius *arte; verus Terentii character!* * *pro Musis ipsis* Phaedr. 3, prol. 19. artium peperit chorum. * Hor. od. 4, 13, 21. *artium* gratarum facies. vid. Facies.

ARX *de aedificio in editiori loco collocato, templis etc. vel de ipsis montibus in quibus aedificata iacent* Hor. od. 1, 2, 3, Sacrae arces *vid. plura in Klotz.* Vindic. pag. 68.

ASPER: fores *asperae, quae propter asperitatem dominae non aperiuntur, audaci sed eleganti metaphora.* Hor. od. 3, 10, 2. Me *asperas* Porrectum ante fores obiicere incolis Plorares aquilonibus. *Pro* porrectum *Bentl. Cuning. Sanad. legunt* proiectum. *Sed recte Baxter tuetur vulgatam lectionem, vt maiori emphasi commendatum. Porrexerat se ad ianuas, vt maiorem miserationem amicae moueret.*

ASPERGERE; *carpere falsis dictis* Hor. Serm. 1, 4, 87. *Saepe tribus lectis (discubitoriis)* videas coenare quaternos *(ex more veterum qui solebant quaterni in singulis lectis discumbere)* E quibus vnus auet quauis *aspergere* cunctos Praeter eum qui praebet aquam. *h. e. conuiuatorem* vid. Praebere. *Pro* auet *Bentl. Cuning. Sanad. legunt* amet, *nec nego et mihi hanc lectionem maxime placere;* auet, *qui nondum ipse dicteria spargit et carpit,*

pit, sed cupit, amet *vero est* solet, *vt multis locis probat Bentleius, quod in h. l. vere cadit. Gesneri coniecturam* ex quibus vnus aliet quiuis *h. e. vnusquisque, refutant* seqq. vers. 90. *Hic* tibi comis et vrbanis etc. *atque ipse contextus.* Quauis, *pro quauis ratione, quouis modo, non destituitur similium locorum auctoritate.*

ASPIRARE, *cantu adiuuare, quod nos dicimus accompagniren* Hor. Art. 204. tibia – simplex foramine pauco *Aspirare* et adesse choris (*supple* tantum) erat vtilis.

ASYMBOLVS *qui nihil ad coenam confert, veluti parasiti, qui semper immunes, nullo signo dato ad regum suorum i. patronorum mensas accedebant.* Ter. Ph. 2, 2, 25.

ATQVE ITA, *familiaris et satis elegans Phaedri locutio* 1, 1, 13. *atque ita* correptum lacerat. 1, 22, 9. *atque ita* locutus improbam leto dedit. 4, 3, 9. *atque ita* coëgit. 1, 16, 5. rapere *atque* abire h. e. *et statim abire, suauiter!* (Gell. libr. 10, c. 29.) etc.

ATRIENSES *serui quibus cura atrii commissa, vt ibi bene mundeque omnia seruarent, vt stemmata et imagines ibi positas; qui, quum valde tenui officio fungerentur, tamen quia officiosos se praestant,* alticincti *s. potius* altecincti *vt coniicit recte Gudius h. e.* maxime *occupate, lepide vocantur.* Phaedr. 2, 5, 11.

ATROX animus Hor. od. 2, 1, 24. Cuncta terrarum subacta praeter *atrocem animum* Catonis h. e. *qui cedere de sua sententia noluit, tenacem propositi, opiniatre vid. Klotz. Vindic. pag.* 156. *Miror ego hic prudentiam poetae, quae elegit verbum, quod nec vacaret, hoc certe loco, laude, nec tamen offendere inimicum Catoni Augustum posset.* Nobile lethum Catonis od. 1, 12, 36. *hoc modo bene consspirat cum nostro loco.*

loco. Sublimitatem gignunt, oppoſita *cuncta* terrarum *Soli* animo Catonis inuicto. *voc.* Atrox *et in bonam et in malam partem accipi docet* Theſaurus Geſneri.

ATER *deformis, horribilis, ſine ratione coloris* Hor. Art. 3. turpiter *atrum* Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne. Id. od. 2, 3, 16. Dum — ſororum *fila* trium patiuntur *atra* od. 2, 13, 34. Demittit *atras* bellua centiceps *aures*.

ATTEMPERATE, *Diligenter praefinito, aut exſpectato tempore, opportune* Ter. A. 5, 4, 13. Ita ne *attemperate* aduenit.

ATTENTARE, *bene de inuadentibus ex inſidiis* Phaedr. 5, 2, 5, Cedo, inquit, illum iam curabo ſentiat Quos *attentarit*. Hor. Epiſt. 2, 2, 24. Mecum facientia iura — *Attentas; oppugnas, diluere conaris.*

ATTENTE Ter. H. 1, 1, 14. *cum magna contentione, aut impulſione virium.*

ATTENTVS pater, *idem qui Ciceroni, et Terentio* Ad. 5, 3, 48. et 5, 8. 31. *paullo tenacior, auarus* Hor. Epiſt. 2, 1, 171. Aſpice Plautus Quo pacto partes tutetus amantis Ephebi, Vt *patris attenti.*

ATTICVS virgo *Attica vid.* Virgo. Ter. E. 5, 9, 63. *vbi male in nonnullis* eloquentia *pro* elegantia. *Ironice ibi eſſe dictum patet; experſona Thraſonis, futua et inſulſa.*

ATTONITVS vates Hor. od. 3, 19, 14. Ternos ter cyathos *attonitus* petet Vates h. e. *quartam partem aquae vino admiſceri volet, cum, quod contra eſt, facere alias moris eſſet vid.* Cyathus. Vates attonitus *eſt ſi agitat eum incaleſcens Deus* ἐνθουσιαζων, *ſed cum vates dulci vino inprimis imbuti in hunc furorem amabilem coniiciantur, ſimul etiam ad vim vini* ἐνθουσιαζικην *reſpexit, vnde* Vet. Schol. *explicat:* quod inebrietur. *Poteſt itaque vtrumque*

h. l.

h. l. iungi, et bene iam potus, et ideo ἐνθρσιάζων.

AVCTORATVS *dicitur miles posteaquam in verba praeeuntis imperatoris, tribuni, etc. iurauit, aut gladiator, cum se vendiderit ludo, vt depugnet, et vt vratur flammis, virgis secetur, ferro necetur, quae erat gladiatorum solemnis cautio.* Hor. Serm. 2, 7, 59. Quid refert vri virgis, ferroque necari *Auctoratus* cet.

AVCTORITAS *exemplum* Phaedr. 4, 24, 15, *auctoritatem* similis referens gloriae. * *auctoritatem* defugere *dicuntur qui se negant alicuius rei auctores esse.* Ter. E. 2, 3, 89. coll. Plaut. Poen. 1, 1, 19.

AVCVPIVM *modus et ratio lucrandi* Ter. E. 2, 2, 16. *cf. vers.* 22.

AVERRERE Hor. Serm. 2, 4, 36. Nec satis est cara pisces auerrere mensa i. *caro pretio coemtos, a mensis in macello in tuam domum conuerrere. Habet suauitatem haec vox; notans eum qui celerrima cupiditate emit pisces de mensa cetarii.*

AVFERRE *omittere* Ter. Ph. 1, 4, 46. aufer mihi oportet (*omitte dicere quae facere oportet* quin *illud ipsum*) quid faciam impera.

AVIDITAS Phaedr. 1, 4, 5. decepta *auiditas* i. *per auiditatem deceptus canis; sic saepius Phaeder et alii. Sed hoc notandum, omissum esse hunc versum*: Eripere voluit, verum decepta auiditas, *in editione nostra orphanotr. et poni debere post 4. vers.* Lympharum in speculo vidit simulacrum suum.

AVIDVS: futuri *auidus* Hor. Art. 172. *senis mores describens*, Dilator spe longus, iners, *auidus*que futuri i. *secundum Gesnerum* φιλόζωος *Aristotelis; senex semper futuri temporis est auidus, vitae cupidus mirifice. Quod quidem verum satis, sed cum* spe longus, *iam idem sit ex mente* Gesneri (*vid. voc.* longus) *non mihi satis haec sententia pro-*

probatur. Bentleius, Cuningamius, Sanadon, legunt pauidusque futuri, eumque esse *senem constat, adeoque, si retinetur* spe longus, *reponendum videtur necessario* pauidus *pro* auidus. *Equidem putem totum versum optime legi cum Bentleio:* Dilator, spe lentus, iners, pauidusque futuri.

AVRA *consueto quidem tropo, ducto a ventis nauigantium, sed tamen bene et propria quadam cum vi in ore sapientis intrepidi, de mutabili fauore populi* Hor. od. 3, 2, 20. Nec sumit aut ponit secures Arbitrio *popularis aurae, sic, aura* friuola Phaedr. 5, 7, 1. Vbi vanus animus *aura* captus friuola * Hor. od. 2, 8, 24. Tua ne retardet *Aura* maritus, *amoris aura, quae eos ad te ferat.*

AVRITVS, *qui cupide audit,* quercus *auritae* Hor. od. 1, 12, 11. *auritas* fidibus canoris Ducere *quaercus. Audaci sane metaphora viram dat et aures quercubus* Orphea *audientibus, sed elegantem esse translationem eandem quis non videt?*

AVRITVLVS Phaedr. 1, 11, 6. Hic *auritulus* clamorem subito totis tollit viribus. *Locus vexatissimus! Haec, quam ex nostra editione posuimus,* est *Burmanniana lectio, sed, ni fallor, parum vera.* Asinum *dici* auritulum *valde quidem probabile sed reclamantibus vetustis libris tam facilis lectio ipsa iam per se, quia facilis, suspecta. In antiquis libris est,* auriculas, *quod seruandum existimo;* et *audacter totum hunc versum sic emendo.* Hic auriculas clamorem subitum totis tollit viribus. *Omisso coniunctione et, vt fere solet Phaeder, solida breuiloquentia* cf. *vel proximam, ante hanc nostram, fabulam.* Clamorem subitum *autem inuenies* eodem libr. 15, 4. *defendit voc.* auriculas *etiam* Gebhardus *in* crepundiis critic. 3, 10. Auriculas *mutarunt ob insolentiorem paullo sensum, omissa* ῃ Et, *librarii*

brarii nonnulli in auriculus, *plane vt* clamorem subitum *in* clamorem subito. *Meursium emendantem* auriculans i. *auriculas tollens, nisi nouum plane cuderet verbum,* audirem. *Sed nihil nostra emendatione magis congruit cum MSS. nihil Phaedri generi scribendi aptius. Denique simili modo* h. l. *nobiscum intellexit Gallus interpres* Aubinus, *qui ita vertit.* l'Ane dressent ses deux oreilles ET commencant à braire de toute sa force troubla toutes les betes par ce nouveau prodige. *Pingit praeterea nostra lectio actionem asini, lepore Phaedro solemni.*

AVRVM, *simpliciter, de aurea aetate mundi* Hor. od. 4, 2, 40. Quamuis redeant in *aurum* Tempora priscum. * *de mundo muliebri,* κατ' ἐχοχήν. Ter. E. 4, 1, 13. et 4, 4, 58.

AVSPEX Hor. od. 1, 7, 27. Nil desperandum duce Teucro et *auspice* Teucro. i. *quoniam ille auspex felicia signa a Phoebo accepit. Bentleius emendat* auspice Phoebo, *Cuningamius* obside Teucro. *Sed lectio vulgata recte se habet; modo sic, vt nos fecimus, explicetur.*

AVSPICIVM, *consilium.* Hor. Epist. 1, 1, 86. si vitiosa libido fecerit *auspicium; decreuerit, constituerit. Comice et facete, cum nihil apud Romanos sine auspiciis gereretur. Vox* vitiosa *respicit ad eundem ritum,* vitio *enim aliquid fieri dicebatur, vbi auspicia fuissent sinistra, aut nulla.*

AVTVMNVS varius. Hor. od. 2, 5, 12. vid. Varius.

B.

BABYLO Ter. Ad. 5, 7, 1c. (al. 5. 17.) Ego lepidus ineo gratiam, iube nunc iam Dinumeret illi *Babylo* viginti minas. *Vtrumque versum Guyetus, quoniam ipse non intelligit, spurium arbitratur, atque eiiciendum. Correctior! Boeclerus haud mitior est,*

est, etsi posteriorem tantum proscribit. Namque eius opera prior versus tanto magis impeditur. Sunt nonnulli, qui putent, vt Latonius, Camus, Kohlius *comment. critic. pentadec. l.* 29. *pag.* 91. *Babylonem hic intelligi argentarium quendam, a quo pecunia ista repeteretur. Plurimi autem* Babylonem *tropice dici existimant pro* homine prodigo, *quam sententiam amplectuntur* Turnebus, Dacieria, Westerhouius, Bentleius, *omnibus facem praeeunte Donato. Quod vt melius perspici possit, nec in eorum manibus forte sit, quibus hoc libello consultum imus, integram* Bentleii *annotationem huc adscribamus:* „Iube nunc iam dinumeret illi Babylo viginti minas. codd. plerique *ille* et scholiastes Iuuenalis. Hac lectione adscita sic locum, qui neminem non exercitum habuit explicare aggrediar. Neminem hic alloquitur Demea: auersus hoc dicit, vt illa priora: *sumtum admittet*, Ego lepidus ineo gratiam. Patet hoc quia nemo obtemperat, nemo exit, nec quidquam postea de viginti illis minis inaudimus. De praeterito loquitur Demea: in animo adhuc habet viginti minas quas pro psaltria soluerat Micio 4, 7, 24. Hic ergo fratrem vlciscitur, aliam familiam domum eius adducit, peruias ei aedes facit, assidue eum exedendum exponit, et insultans, *age nunc*, inquit, *dinumeret ille Babylo*, ille prodigus ** *minas*, pro psaltria, parem ei gratiam nunc refero. Nam quod *Iube* perinde hic est, atque *Age*, vidit olim Donatus, qui sic ad h. l. „ *Insultantis est verbum* Iube: *apud se hoc dicit: nimis morale est, cum de absente tanquam praesente agimus. Est autem* Iube nunc iam *figura apud Plautum frequentissima.*„ Recte; Tranio seruus, Mostell. 2, 1, 79. de hero peregre adueniente, qui ab aedibus absterrendus erat:

Iube

Iube venire nunc iam. Ludos ego hodie viuo praesenti huic seni Faciam, quod credo mortuo nunquam fore. Vbi *iube nunc iam venire* est, *age*, sine, *accedat*. Babylo autem siue Babylonius pro *prodigo* et *profuso* ponitur, quia Medi et Persae tum omnium ditissimi et luxuriosissimi. Donatus: „*Fratrem Babylonem vocat Demea, ob nimiam liberalitatem vt nimis prodigum*„ Scholiastes Iuuenalis ad 3, 221 meliora et plura reponit Persicus arborum lautissimus. *Persicum quasi diuitem posuit, eo quod Persae dinites; sic Horatius,* (od. 1, 38, 1.) Persicos odi puer apparatus. *Terentius*, Dinumeret nunc ille Babylonias. „Sic editum sed dedit auctor: Babylo XX minas. Ceterum si quis de nouo sumtu, quem iam in familia transducenda impendi necesse erat, haec accipere malit, non repugno, nec eo minus, quae dixi, ei interpretationi inseruient.„ *Hactenus Bentleius, quem inter omnes optime hunc locum exposuisse reor. Hoc me tamen deterrere non potuit, quo minus quid ipse sentiam, ad hunc locum proferrem. Quicunque Terentium recte nouerit, hoc mihi dabit, orationem huius comici adeo esse facilem, rotundam, fluentem, vt omne, quod insolens, contortum, impeditum, aut horridum sit, id certo existimare debeamus, non esse Terentianum. Iam primum hoc est insolens, quod dicitur* Babylo, *non* Babylonius; *nusquam enim reperitur illud gentilitium. Deinde ista adiectio;* viginti minas, *quacunque ratione exposueris, mirum in modum impedit orationem, ac miseris quasi vinculis constringit. Si licet igitur coniecturae indulgere, mihi sic scripsisse videtur Terentius* — turbam domum Adducet; sumtum admittet; multa: quid mea? Ego lepidus ineo gratiam; iube nunc iam

Dinumeret ille Babylonius (*deletis illis:* XX minas.) *Facile patet, inde ortum esse* Babylonias *apud Scholiasten Iuuenalis. Sic oratio liberius incedit*, ac *sibi constat, sic et posteriora cohaerent.* Dinumeret, *vt Donatus iam obseruauit, idem est ac*, multa numeret, sumtum admittet, *vt antea paullo dictum. Pertinet haec ad ea, quae scena sequenti et vltima geruntur. Denique h. l. germanice sic verterem: Mein Bruder vvird einen Schvvarm in sein Haus bekommen: es vvird ihm grosse Kosten machen; ja noch mehr — aber vvas geht das mich an; ich mache mir spielend gute Freunde, lass den Verschvvender nur immer auszahlen. Postremo non est silentio praetereundum*, Castelluetrum, (vid. Eius Opere varie critiche non piu stampate p. 189) *pro* Babylo *legere* Bibylo, *atque id nomen proprium argentarii existimare. Vnde ille* Bibylo, *in mentem ei venerit nescio, falsum esse scio.*

BABYLONIVS, numeri *babylonii* sunt *chaldaicae illae rationes, ephemerides Babyloniorum astronomicae, ad vsum diuinandi de fatis hominum* vid. Curt. 5, 1, 16, et 37. Hor. od. 1, 11, 2. nec *Babylonios* Tentaris *numeros, vt scias quo tempore moritura sis.*

BALANVS *pro ipso vnguento expresso ex balano, glande vnguentaria* Hor. od. 3, 29, 4. Pressa tuis *balanus* capillis iamdudum apud me est.

BALATHRO Hor. Serm. 1, 2. 2. *Vet Schol.* Ita luxuriosos et perditos vocat, a Seruilio Balatrone, cuius in secundo libro meminit (Serm. 2. 8. vers 33, 40, 64.) ex huius autem hominis nomine, similes vitae eius balatrones sunt appellati. Legitur et *barathro*, qui bona sua deuorando quasi in barathrum mittit. cf. *integr.* Serm. 2, 8.

BALBVTIRE *dicuntur infantes non satis clare loqui valentes, et qui eos blan-*

blandientes imitantur, ὑποκοριζόμενοι Horat. Serm. 1, 3, 48. Illum *balbutit* Scaurum paruis fultum male talis. vid. Scaurus.

BASIS aeterna Phaedr. 2. Epil. 1, *vid.* Aeternus.

BASIVM iactare, *ori admota manu spargere, vt solemus animum declarantes amicum, gratum etc.* Phaedr. 5, 7, 28. In plausus consurrectum est. *iactant basia.*

BATILLVS *foculus gestatilis, in quo odores accederentur. vid. Gesneri Thes. alii et ipsa Gesneri editio habet* vatillus *in* Hor. Serm. 1, 5, 36. *referenda autem sunt, quae narrat et ridet poëta, ad morem ignem magistratibus et imperatoribus praeferendi, vbi veniissent in municipalem quandam vrbem.*

BELLVA Ter. E. 4, 4, 37. et Ph. 4, 2, 11. *conuicium arguens aliquem stupiditatis indeque proficiscentis credulitatis.*

BELLVOSVS, *belluis abundans* Hor. od. 4, 14, 48. *belluosus*, qui remotis Obstrepit *Oceanus* Britannis.

BELLVM Ter. H. 1, 1, 60. Simul rem et gloriam armis belli repperi. *Pleonasmus rarior! Guyetus, vt hunc effugiat, verba transponit:* gloriam belli armis repperi. *Sed hoc non necessarium. Potest enim* belli *ceu Genitiuus ad* gloriam *referri, etsi* armis *interpositum sit, cuius generis locutiones, apud poëtas praesertim, haud sunt infrequentes.* Westerhouius *arbitratur*, belli *esse aduerbii loco vsurpatum, pro tempore belli. Hoc autem, nisi omnia me fallunt, ordinem adeo facit impeditum, adeo difficilem, vt elumbato cuidam homini, quem vix pedes trahant, simile esse videatur. Quare sic Guyeto assentior, vt de diuidenda sententia postulem, hoc est, vt* belli *genitiuum ad* gloriam *referam, in ipso textus ordine nihil mutem.*

BENEVOLENTIA στοργή, *amor patris a natura infusus erga liberos.* Ter.

Heaut. 1, 1, 63. Aetate me putauit et *beneuolentia* Plus scire et prouidere quam seipsum sibi. *Haec enim vera lectio est, in codd. tantum non omnibus reperta (vid.* Sapientia.) To plus scire *refertur ad aetatem, quoniam senectutis est prudentia,* prouidere *vero ad* beneuolentiam, *quoniam parentes liberis bene cupiunt, eorumque vtilitate prospiciunt;* prouident.

BIBERE, in Nilo flumine Phaedr. 1, 25, 3, *et sic et apud alios saepius* * aure pugnas; *audaciori et pulchra metaphora de cupide, auidissime audientibus* Hor. od. 2, 13, 32. Pugnas et exactos tyrannos Densum humeris bibit aure vulgus. i. *stipatum vulgus et confertum, vt humeri humeris haereant, auide Aleaeum audit, canentem pugnas et exactos tyrannos. Praeclara imago! Ita locum etiam explicuit fusius* Cuningamius Animadu. in Hor. Bentlei. c. 13. pag. 218. seqq. *et bene refutauit lectionem Bentleianam*: Densum auida bibit aure vulgus.

BICORNIS *epith. lunae, Vet. Schol.* corniculata enim est, cum est menstrua, et in defectu, Hor. carm. *Saecul.* 35. Siderum regina *bicornis* audi *Luna* puellas.

BILINGVIS *de eo qui verba latinis graeca intermiscet.* Hor. Serm. 1, 10, 30. Canusini more *bilinguis. Hic erat ex magna Graecia, adeoque partim graece, partim latine loquebatur. Sal vocis h. l. facile animaduertitur.*

BILIS, splendida. Hor. Serm. 2, 3, 141. *Lambinus refert ad atrae bilis naturam, quae splendida fit adducto loco Galeni; satis docte, at non satis vere. Est enim* splendida bilis, *generosa, nobilis vt* splendide mendax Hor. od. 3, 11, 35. *et contextus ipse docet.*

BIMARIS *vox ab Horatio forte Latio donata; sed ab Ouidio saepius postea vsurpata; epitheton Corinthi*

rinthi. od. 1, 7, 2. *quia duobus sinubus cincta erat.* vid. Plin. Histor. Nat. 4, 4, pag. 178. *ibique Dalechamp. vbi* ἀμφιθαλασσος vocatur, *vnde bimarem appellare eam feliciter ausus Flaccus. De vsu repetito apud Ouid. vid. Ciofan.* ad Heroid. 12, 27.

BIONEVS, Sermones *Bionei; sunt Satyrae* Hor. Epist. 2, 2, 60. Ille *Bioneis* sermonibus et sale magno. (Delectatur) Vet. Schol.. *Sunt disputationes Bionis philosophi, quibus stultitiam arguit vulgi, quibus pene consentiunt carmina Luciliana. Gesnerus ad h. l. laudat bene Diog.* Laërt. 4, 57, *et Meibom. Nott.*

BONVS, bona pars *pro* magna, *vt nos: ein guter Theil.* Hor. od. 4, 2, 46. Serm. 1, 1, 61. Art. 297. Ter. Eun. 1, 2, 43. * *bona* verba quaeso Ter. A. 1, 2, 30. *formula precantis cum risu; comice. vt nos: nur gnädig, mein Herr.*

BREVIS *breue tempus durans; sic* breues rosae Hor. od. 2, 3, 13. dominus od. 2, 14, 24. stultitia. od. 4, 12, 27. cura Epist. 2, 1, 216.

BVCCA: inflare buccas, *signum indignantis.* Hor. Serm. 1, 1, 20. Quid causae est merito quin illis Iupiter ambas Iratus *buccas* inflet. i. *irascatus; graecum prouerbium* est γναθες φυσαν.

C.

CADAVEROSVS, facies *cadaueroſa* Ter. Hec. 3, 4, 27. PAR. At non noui hominis faciem PAM. Faciam vt noueris. Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius, *cadaueroſa facies,* PAR. dii illum perduint. *Sic in vulgatis plerisque editionibus hic sermo disponitur. Atqui valde dubii sunt interpretes, quid sibi velit* cadaueroſa facies, *nec vnam interpretandi rationem ingressi. Sunt qui* subliuidum colorem *intelligant. Sed color faciei iam erat expressus, nam Pamphilus dixit,* rubicundum *esse. Alii de facile* pulposa

crassa, *quasi* carnosa *intellexerunt. Enimuero vt taceam, quam ineptum sit, istam vim huic verbo subiicere, de* crassitie *et ipsa iam locutus erat Pamphilus. Gesnerus in Thesauro meminit interpretum, qui putent* Hippocraticam faciem *significari* i. e. *naturae vitio pallidam,* mortuique hominis colori similem: *Sed et isti oppido falluntur. Nam qui quaeso potuit Pamphilus eum, qui* pallido *fuisset ore,* rubicundum *dicere. Nec magis placet ipsius immortalis* Gesneri, *quam addit, interpretatio* „Est autem, *inquit,* talis, quae habet concauos oculos, nares amplas, collapsa tempora, labra demissa, prominentes aures, quae omnia vno verbo elegantissime explicauit Terentius. „ *Vtrum eleganter fuisset expressa res, nescio; hoc scio, Parmenonem ipso Oedipo sagaciorem esse oportuisse, vt ex vno hoc vocabulo ista omnia colligeret.* Turnebi *sententia, qui* turpem *et* foedam *faciem intelligi dicit, vna omnium maxime est probabilis. Vnum hoc obstat, quod exinde consequitur, si quidem sermonem, vt vulgo fit, et nos posuimus supra, dispertiamur, Pamphilum de amico suo nimis probrose loqui, cum ei adeo turpem esse faciem dicat, quae possit cum quouis cadauere componi. Mihi quidem hoc non fit vero simile. Quin igitur audiamus Bentleium, qui facillime se ex omnibus istis tricis expediuit, et vt omnibus criticis oculi dolerent scilicet, contra omnium codicum fidem pessimum illud,* cadauerosa, *atro transuerse calami signo deleuit atque vt eius loco* lentiginosa *legatur, iussit, edixit. Non vnum nominare potuit codicem, qui suae lectioni faueret, neque tandem, quo pacto* lentiginosa *in* cadauerosa *potuisset mutari, docuit. Id agit, vt probet, verbum suum* lentiginosa *esse latinum, atque apud alios scriptores occur-*

occurrere. Id populus nempe curat. Nequeo ego satis mirari, qui factum sit, vt recentiores interpretes ad vnum omnes obliti fuerint, olim in libris quibusdam aliter, quam nunc solet, verborum seriem fuisse distributam. Sic autem legebatur. PAM. faciam vt noueris. Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius PAR. cadaueroſa facies l. Dii illum perduint. Exclamat Parmeno indignabundus, monstrosam, turpissimam esse hominis faciem. Quid quaeso melius dici, inueniri aut cogitari potest? facies autem est h. l. vt vers. 25. vniuersa totius corporis forma. Quid igitur impedit quominus, imo vero quid melius, quam vt sic distinguamus sermonem, vti monstrauimus eum dispositum in libris antiquis. Secutus istam lectionem etiam iam Petrus Marsus fuerat, vt adeo mirer, quid sit, quod reliqui ab eius vestigiis recesserint. Nunc igitur bene stare poterit Adr. Turnebi explicatio, quam supra posuimus. Sicut autem cadaueroſus h. l. conuicii et dedignationis causa dicitur pro foedo ac turpi, ita apud Plaut. Pers. 2, 4, 12, eadem plane ratione morticinus vsurpatur.

CADENS: verba cadentia, sunt, quae improuiso excidunt. Hor. Epist. 1, 18, 12. de inepto adulatore, Verba cadentia (patroni diuitis,) tollit, extollit, astupet, euehit in coelum.

CADERE Hor. Art. 53. Verba graeco fonte cadant i. deriuantur * perire, vsu aboleri, abrogarique. Id. Art. 72. Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabula. * de comoedia, quae exploditur. Id. Epist. 2, 1, 176. Securus cadat, an recto stet fabula talo. Stare recto talo eleganter opp. τῷ cadere; qui stant, recto sunt talo, qui cadunt, contra. Similes locos ex Euripide et latinis scriptoribus refert

Lambinus ad h. l. * Id. Epist. 2, 1, 52. Quo promissa *cadant* et somnia Pythagorea; *an euentum suum habeant, an praestita sint, quae promiserit. Gesnerus ad h. l.* „Ennius immortalitatem fama et laude carminum suorum inter nos consecutus, parum curat pythagoricam illam migrationem; mauult Ennii nomine inter nos versari, quam in animalis corpore habitare. *At ego puto simpliciorem hanc esse interpretationem et magis ad omnem Horatii sententiam accommodatam.* (cf. praeced.) *Ennius videtur negligens in scribendo parum curare, quid de se promiserit, ac somniarit. Vet. Schol. enim refert, Ennium in principio annalium suorum se scripsisse admonitum somnio quod secundum Pythagorae dogma anima Homeri in suum corpus venisset.* In somnis mihi visus Homerus adesse poëta. *Magna de se sensisse vel docent illa Cic. in Bruto.* Quos olim Fauni vatesque canebant, Cum neque Musarum scopulos quisquam superat, Nec dicti studiosus erat Ante hunc, *Ait de se. vid. plura apud Lambinum ad h. l.*

CADVCVS, fulmen *caducum* Hor. od. 3, 4, 45. *Nouum hoc verbum hoc sensu Horatius belle usurpauit, de fulmine, quod cadit, ruit. Bentleius crissa Minerua legit*, coruscum; *refutatus fusius a Gesnero, qui et alia loca Ouidii attulit; sciendum enim, Ouidium in epithetis Horatium in primis esse imitatum* Id. od. 2, 13, 11. *eodem sensu;* Te triste lignum te *caducum* i. *ruens* In domini caput immerentis.

CADVS non versus. Hor. od. 3, 29, 2. *vid.* Vertere.

CAECVS *passiue* Hor. od. 2, 13, 16. *Caeca* timet aliunde fata, *improuisa;* Id. od. 3, 27, 21. *caeci motus* orientis Austri. *Saepius sic, vt vel exempla docebunt Indicis Part. II. in hac voce.*

CAE-

CAELATVS, opus caelatum, *laus carminis summa.* Hor. Epist. 2, 2, 97. Mirabile visu, *Caelatumque* nouem Musis opus. *Vet. Schol.* caelatum, pictum, affabre variegatum. *Bentleius integra dissertatiuncula ad h. l. conscripta refutatum it hanc lectionem, et vult aut intelligi Bibliothecam Apollinis Palatini ab Augusto conditam* vid. Epist. 1, 3, 17. *vel aedem Herculis et Musarum a Philippo instauratam et exstructam* Serm. 1, 10, 38. *aut* Saeratum *legi pro* caelatum, *vt ipse edidit. Offendit vero maxime virum doctissimum, quod caelatum opus Musis pro* elaborato ab ipsis *et exculto absurdam contineat laudem et impudentem. Nec errat; sed ea ipsa causa est, cur non mutandam lectionem censeam. Refert hic per Ironiam poëta verba ipsa stulti laudatoris, nominantis elegos,* opus mirabile visu! (*nonne iam hic sentis derisorem?*) *et* a nouem ipsis Musis caelatum; *plane sic vt* Serm. 2, 5, 40. seu pingui tentus omaso Furius hiberna cana niue conspuit Alpes. *Nec officit, pluribus abhinc versibus idem persequi poëtam; quis enim ignorat, salsi Horatii ridentem saepius ita vultum?*

CAELESTIS, *epitheton victorum vere poëticum!* Hor. od. 4, 2, 18. Quos Elea domum reduct Palma *caelestes* h. e. *maxima gloria honoratos quasi caelicolas gloria attingentes. Victores enim olympiacos honore cum Diis fere eodem gaudebant, statuis, hymnis cet.* * caelestia damna, *de menstruo defectu lunae* Hor. od. 4, 7, 13. *Damna* tamen reparant celeres *caelestia* Lunae.

CAESIVS *de eo qui caesios oculos habet* Ter. H. 5, 5, 17, 18. Rufamne illam virginem, *caesiam,* sparso ore, adunco naso? non possum pater. Hec. 3, 4, 25. at faciam vt noueris. magnus, rubicundus, crispus, caesius. *Nempe in odio solebant esse caesii oculi et glauci,*

qui nocturni *dicuntur apud Plautum* Curcul. 1, 3, 35. *vbi vid. Taubmannum.*

CALAMITAS *de ea persona quae affert calamitatem* Ter. Eun. 1, 1, 34. Sed ipsa egreditur nostri fundi *calamitas* i. *foemina perniciosissima: bene autem dicitur* fundi calamitas, *vt tropus sibi constet, est enim* calamitas *tempestas frugibus pernicioſa, vt docet clauis Erneſt. in hoc vocabulo*

CALENDAE, *dies Romano et graeco more constituti et vsuris exigendis, et sorti repetendae, item pecuniae collocandae in foenore; exigebatur enim quouis mense vsura.* Hor. Epod 2, 70. Quaerit *Calendis* ponere (*pecuniam*). Serm. 1, 3, 87. Cum *tristes* misero venere *Calendae. quo soluenda pecunia*

CALERE vino. Hor. od. 3, 21, 12. Narratur et prisci Catonis Saepe mero caluisse Virtus. *Bentleius legit* incaluisse; *Gesnerus significantius* caluisse *putat, et tenerem quendam caloris notare. qui cum lubens conspirarem nisi* 70 incaluisse *in frigidum philosophum Catonem tam praeclare caderet. Venustatem loci sentiet facile, qui Catonem rigidum et seuerum virtutis satellitem et simul nouerit, eum vini interdum benignum fuisse.*

CALIDVS *praeceps, temerarius* Ter. Eun. 2, 3, 88. vide nimium *caldum* hoc sit modo. Hor. od. 3, 14, 27. Non ego hoc ferrem, *calidus* iuuenta consule Planco. *praeceps, pronus ad iram, adolescens.*

CALIENDRVM *peplum capitis, aut crinis suppositicius s. capillamentum* Vet. Schol. *ad* Hor. Serm. 1, 8, 48. altum Saganae *caliendrum* Excidere.

CALLIDE. Ter. Andr. 1, 2, 27. Immo *callide, scil. intellexi* i. a. *perpulchre, recte. Adde* Ad. 3, 4, 54. C. Hoc facito. S. Recte sane. D. hoc fugito S. *callide. Atque hac significatione verbum*

bum eſt inprimis comicum.

CALLIDITAS *plural. pro* fallaciis Ter. H. 5, 1, 14. ſerui venere in mentem Syri *calliditates.*

CALLIDVS: iunctura *callida* Hor. Art. 47. i. *elegans et ſcita coniunctio vid.* Iunctura. * Id. Serm. 1, 5, 90. Vltra *Callidus* vt ſoleat humeris portare viator, (*panem illum pulcherrimum* v. verſ. praeced.) Nam canuſi lapidoſus. *eſt viator* callidus, *qui expertus iam ſaepius viam.* * *cum infinitiuo* Id od. 3, 11, 3. lyra *callida* reſonare ſeptem neruis. *Scite reſonans et pulchre.*

CALLOSVS: oua *calloſa* Hor. Serm. 2, 4, 14. marem cohibent *calloſa* vitellum i. *propter illam in ipſo vitello guttam albicantem facile in callum obdureſcentia conſtringunt, continent marem vitellum. De re ipſa agit Geſnerus ad Colum.* 8, 5, 11.

CALVMNIATOR, *adiectiue qui calumnias exercet, chicanirt,* Phaedr. 1, 17, 2. *calumniator* ab oue cum peteret *canis.*

CALX Ter. Eun. 2, 2, 54. Qui mihi nunc vno digitulo forem aperis fortunatus, Nae tum iſtam faxo *calcibus* ſaepe inſultabis fruſtra. *vid.* Digitulus. Id. Ph. 1, 2, 28 aduerſum ſimulum *calces, ſcil. iactare, metaphora ducta a bobus, quos agricolae lignis praeacutis a tergo fodiunt. v.* Eraſmi Adag.

CAMERA *pro* tectum cameratum *l.* laquear. Hor. Serm. 2, 3, 273. Quid? cum Picenis excepens ſemina pomis Gaudes ſi *cameram* percuſti forte penes te es? *Vet. Schol.* ſolebant amantes ſemina ex malis duobus primis digitis compreſſare, eaque mittere in altum, vt ſi cameram contigerint, poſſent ſperare, ad effectum duci, quod cupiant. Nempe ſi haec ſemina volarent ad tectum, idque percuterent, omen erat laetum. *Sic Pollux onomaſtic.* 9, 128.

CAMINVS *fornix erat ſiue lacunar, in ſummo tecto, per quod fumus egre-*

egrediebatur; h. e. fumarium: modo autem figurate pro foco ponitur. Baxter ad Hor. Serm. 1, 5, 81. Vdos cùm foliis ramos vrente *camino.*

CAMPESTRIS: Scythae *campestres, quod in campis sine tectis viuebant* Hor. od. 3, 24, 9. *Campestres* melius Scythae, Quorum plaustra vagas rite (*pro more et consuetudine*) trahunt domos.

CAMPVS *simpliciter de campo Martio* Hor. od. 1, 9, 18. Nunc et *campus* et areae (*Loca ab aedificiis vacua, vici, vbi coire solebant Romani,* –) repetantur.

CANDENS: saxa candentia, *ea esse quae calci coquendae apta sunt, qualia erant circa Taracinam, notat Schol.* ad Hor. Serm. 1, 5, 26. subimus Impositum saxis late *candentibus* Anxur. *Sed ego non credere possum Schol. quamuis Baxterus et Gesnerus ei fidem habere tum silendo tum apponenda eius nota videantur. Primum enim haec locutio esset audacissima in sermonibus praesertim; deinde, quid sibi tum vult* Iò late, *quae particula redundaret aut parum docte esset vsurpata? Denique cur Horatius h. l. mentionem faceret rei, tam vilis poëtae, apta scilicet esse saxa illa ad calcem coquendam? Quamuis igitur verum sit, quod obseruat Schol. montem in quo Tarracina constituta esset, non* candida *saxa habere; tamen non valet ipsius explicatio, sed* candentia saxa *sunt* splendentia late, pulchra aspectu: *probet ipse Horatius nostram interpretationem, nam ille* Epod. 1, 30. Nec vt superni *villa candens* Tusculi Circaea tangat moenia. (i. e. *continuentur agri Tusculani vsque ad Circaeum*) *vbi* villa candens *profecto non est candida, sed* compta marmoribus, *splendens* opificiis affabre factis. *Adde Serm.* 2, 6, 103. vestis tincta cocco *candet* i. *splendet. Priora duo loca, cum* candere *elegantiori significatione*

nec

nec vulgari occurrat, non omissa esse ab Gesnero in Thesauro optem.

CANDIDVS; *solent Latini quoduis faustum et felix appellare candidum, ita* Hor. od. 3, 7, 1. Candidos *appellat Fauonios qui restituturi sint amatum amanti puellae.* Vet. Schol. *explicat* candidos fauonios *serenos, sed et tum metaphora eodem,* quo ego, *tendit. Similem metaphoram vnde in voc.* Albus.

CANTARE, *saepius narrare, monere* Ter. H. 2, 2, 19. Qui harum mores *cantabat* mihi; *ex prouerbio noto* Ph. 3, 2, 10. cantilenam eandem canis.

CANTOR *histrio,* Hor. Art. 155. Donec *cantor,* Vos plaudite, dicat.

CAPAX: concha capax Hor. od. 2, 7, 22. funde *capacibus* vnguenta de *conchis,* i. *Echinis amplioribus e concha factis, vid.* Echinus.

CAPERE Hor. Art. 80. Hunc (*Iambum*) socci cepere pedem grandesque cothurni, *acceperunt et vsurparunt.*

CAPITVLVM, Ter. E. 3, 3, 25. o *capitulum* lepidissimum!

CAPRA *signum notum coleste X Calend. Ianuarias occidens, significans tempestatem;* Hor. od. 3, 7, 6. Post insana *caprae* sidera *i. tempestatem cientia et furorem maris: sic* stella *vesani* Leonis od. 3, 29, 19. *ab effectu.*

CAPSA, *in qua libri asseruabantur.* Hor. Serm. 1, 4, 22. Beatus Fannius, vltro Delatis *capsis* et imagine. *h. e. cuius poëmata, vltro, nemine rogante, aut ab ipso, aut ab eius amicis delata sunt in bibliothecas publicas, cum imagine auctoris,* vid. Liu. 35, 2. Hor. Serm. 1, 10, 63. *de Cassio poëta qui ingentia et innumera fere volumina conscripserat* (cf. Epist. 1, 4, 3, scribere quod *cassi* Parmensis opuscula vincat) capsis quem fama est esse libris- que Ambustum propriis *scil. mortuum in rogo, qui ex meris ab illo editis libris et capsis, quibus custodiebantur, ex-*

stru-

ſtructus erat. Habet vero τὸ Ambuſtum *pro* combuſtum, *quiddam comici.* Hor. Epiſt. 2, 1, 268. Cum ſcriptore *meo capſa* porrectus aperta Deferor in vicum vendentem tus et odores *vid.* Apertus.

CAPTVS, *conditio, ingenium*, Ter. Ad. 3, 4, (al. 5.) 34. Hic Geta Praeterea, vt captus eſt ſeruorum (*reliquorum*) *non malus, neque iners.*

CAPVT, minor capitis, *eſt qui amiſſa ciuitate, deſinit eſſe in numero ciuium, eſt enim* caput *apud Latinos* l. *vita* l. *ciuitas* l. *res familiaris, vt vel ex multis Ciceronis locis liquet.* Hor. od. 3, 5, 41. Fertur pudicae coniugis oſculum Paruosque natos vt *capitis* minor (*quia captiuus*) A ſe remouiſſe. * *ſolemne vocabulum comicum in malis metuendis imprecandis cet.* Ter. Ph. 3, 2, 6. ſuo ſuat capiti (*ex Weſterhouii*) *aut* ſuo capiti ſuat (*e Bentleii lectione*) Hec. 3, 1, 54. Aliquid tuliſſe comminiſcentur mali, *Capiti atque aetati illorum!* Morbus qui auctus ſit, *vid.* Turneb. Aduerſ. libr. 11, c. 12. * Phaedr. 3, 4, 4. Quale *caput eſt*, tale praeſtatur ſapor. *de externa ſpecie intelligunt Interpretes. Faber:* Je vous repons, que telle qu'eſt la teſte, tel eſt le gout de reſte. *Eſt vero h. l. ridiculum ex eo genere, quod Cicero de oratore 2, c. 62 ponit in verbis, atque ambiguitate. Poteſt enim* caput *referri et ad* ſimium, (*vt ſit ſenſus, vti vides comparatum caput, formam externam tibi talem eius etiam ſaporem inuenies,*) *et ad emptorem, hac ſignificatione, quale palatum habes et guſtum, talem et hunc cibum reperies.*

CARDIACVS Morbus *cardiacus* eſt, ἀπὸ τῆς καρδίας *i. e. a corde, ſic enim ſtomachum, qui in his maxime languet, veteres nominabant, dictus, vbi, puta cum acuta atque aeſtuante febri, et cum magna animi anxietate, corporisque*

que iactatione ſtomachus languet, et immodico ſudore ſuperum corpus digeritur, rigente atque areſcente inferno. Haec Pantinus in *cap.* 20. libr. 3. c. celſi. Hor. Serm. 2, 3, 161. Non eſt *cardiacus*, Craterum, (*nobilem medicum*) dixiſſe putato, Hic aeger.

CARERE *pro* vitare, adeoque immunem eſſe. Hor. od. 2, 14, 13. Fruſtra cruento Marte carebimus. *Waddelius* Animaduerſ. *critic.* pag. 44. *emendat:* Fruſtra a cruento Marte cauebimus, *quae bona eſt explicatio, non lectio,* * *cum genitiuo* Ter. Hec. 2, 4, 20. Praeterquam *tui* quod carendum erat.

CARINA *plur. de vna naue* Hor. od. 1, 14, 7. *Bentleius plures naues intelligit, quia vnius nauis vna tantum carina; quicum etiam conſpirat Geſnerus; ſed bene poteſt de vna naue h. l. inſelligi, quod* Iohnſon *in* Ariſtarcho Bentleiano pag. m. 68. *recte, quanquam nimis amaro in Bentleium animo, oſtendit, et* Schraderus ad Muſaeum pag. 131.

CARMEN *ſimpliciter, de carmine lyrico.* Hor. Epiſt 2, 2, 59. Carmine tu gaudes, hic delectatur Iambis *h. e. carmine Archilochico, Pariis Iambis, quos ab Odis etiam diſtinguit* Epiſt. 1, 19, 23. * *modulatio, S. melos.* Id. Epod. 9. 5. Sonante Miſtum tibiis *carmen* lyra, Hac Dorium, illis barbarum. *Bentlei.* et *Cuningam. legg.* miſtis *pro* miſtum; *quod placeret valde, ſi in vno tantum libro veteri inueniretur.* Carmen ſ. melos barbarum eſt phrygium; *erant autem, vt notat etiam Schol. ad h. l. ſeptem modi Muſici,* Dorius, Hypodorius, Phrygius, Hypophrygius, Lydius, Hypolydius, *et* Mixolydius. *Non vult Horatius modo phygio, et dorio, canere res geſtas Auguſti, vt perhibet Schol. ſed dulcem tantum inter epulandum concentum in animo habet. Si plura de his modis Veteris Muſices legere cupis, adi Savado-*

nadonium ad h. l. Tom. IV. pag. 233. sqq.

CARPERE escam, *discerpere, bene pro edere de aquilis* Phaedr. 1, 28, 4. Aquila catulos sustulit, Nidoque posuit pullis, *escam* vt *carperent.* * oscula, Id. 3. 8, 12, *feruorem amoris indicat.* * diem Hor. od. 1, 11, 8. *carpe diem*, quam minimum credula postero. *de festinante cura bene eo vtendi eleganti translatione. vid. Lambin. ad h. l.* * Phaedr. 2, epil. 17. Sinistra quos in lucem natura extulit, Nón quidquam possunt nisi meliores carpere.

CASA Ter. Ph. 5, 2, 3. Ita fugias, ne praeter *casam*, aiunt. *Est proverbium in eos, qui nimio studio euitandi mali abrepti in aliud quoddam incurrunt, aut qui nimii sunt in virtute quadam e. c. benignitate, ac liberalitate.* Erasmus *in adagiis existimat, metaphoram esse ductam ab iis, qui se ita in fugam coniecerant, vt ipsam domum, tutum receptaculum, praeterirent. Quod autem cum isto verbo componit illud Luciani:* Παρα θυραν εισβιαζομενοι, *in eo falsus est, vt commonstrauit Gronou.* obseruat. 3, 9. vid. Lucian. Nigr. Tom. 1. pag. 74. ed. Reitz.

CASTIGARE ad vnguem, *de carmine, metaphora ducta a marmorariis polientibus affabre facta, vt nihil asperi exstet, foedetque opus* Hor. Art. 294. Perfectum decies *castigauit* ad vnguem. *Legendum*, praelectum *pro* perfectum *cum optimus aliis editt. quod vel ipsa metaphora docet.*

CASTVS, *de omni eo quod notionem sanctitatis aut pietatis inuoluit.* Hinc Hor. Carm. Saecul. 42. *castus* Aeneas, *pius, Vet. Schol.* religiosus. Id. od. 1, 12, 60. tu parum *castis* inimica mittes, Fulmina lucis; *h. e. impiis in Caesarem.* Id. carm. Saecul. 6. Virgines lectae puerique *casti*, i. *ad rem sacram lecti. Vet. schol.* puellae illibatae, et pueri intacti. *Baxterus patrimos et matrimos intelligit;*

ligit; vterque non satis recte. Constat quidem, tales iuuenes solitos deligi, sed magis plana est h. l. et magis poëtica significatio, si interpreteris castos, *pios, sanctos, ad haec sacra rite delectos, cognosce ipse locum. Sic plane, nec vlla alia significatione Noster* od. 4, 11, 6. ara *castis* Vincta verbenis.

CATENA nectere catenas; *venuste de superbo, victoriam, et captos hostes iam animo agitante milite* Hor. od. 1, 29, 5.

CATERVA, *figurate et* ἀλληγορικῶς. Hor. od. 4, 9, 43. Per obstantes cateruas Explicuit sua arma victor. *de animo probo, integro, sapienti, quem paullo ante* perpetuum consulem *appellauerat h. e. rectorem sui ipsius.* Explicat *ille, expromit sua arma, virtutem, probitatem, magnitudinem animi, adeoque victor euadit per* obstantes cateruas, h. e. *vitia obsistentia rationi. Siue etiam, per munera et pecuniam, quibus saepe virtus oppugnatur; Prius tamen praeplacet.*

CATHEDRA *sella, qua vtebantur foeminae, tum vbi vehebantur, in publico, tum domi. vid. Scheffer. de re vehicul. 2, 4.* Phaedr. 3, 8, 4. Hi speculum, in *cathedra* matris *quod* positum fuit, Pueriliter ludentes forte inspexerant. *Sic enim Phaedrum scripsisse puto. In MSS. erat*: His speculum in cathedra matris suppositum fuit. *Aliv aliter emendauere. Speculum in cathedra non incongruum ab eo more, quo etiam in lecto speculа habuerunt Propert. 3, 4, 11.* Nec speculum in strato vidisti, Lygdame, lecto. Hor. Serm. 1, 10, 91. Demetri, teque Tigelli Discipularum inter iubeo plorare *cathedras; vsae enim etiam cathedris puellae ingenuae in ludo discentes.* Vet. Schol. Hi, (*Demetrius atque Tigellius*) modulatores fuerunt et docuerunt puellas ingenuas modos. *Quodsi verum, non satis vere Gesnerus in Thesauro comi-*

cit, vatem hic Tigellio mollitiem effeminatam et molles discipulos obiicere. Ablegat Horatius facete osores carminum suorum, ambo modorum doctores, in scholam suam. Bene, plorare, *de modulatore vocis, molliter decantante et praecinente.*

CATVS, Hor. od. 1, 10, 2, *ad Mercurium;* qui feros cultus hominum recentum Voce formasti *catus, solers, callidus, vt te in eorum mentem insinuares; quod proprium facundiae.*

CAVDA; trahere caudam *dicitur homo adeo stultus, vt pecude non sapientior sit habendus* Hor. Serm. 2, 3, 53.

CAVERE *solent Iureconsulti, dum consilio instruunt, prospiciunt, vt omnia bene cadant.* Phaedr. 1, 9, 1.

CAVLIS *pro* brassica Hor. Serm. 2, 4, 15. *Caule* suburbano qui siccis creuit in agris Dulcior. *Sed ego legend. censeo cum Baxtero et Cuningamio* Cole *pro* caule, *confirmante rem Vet. Schol. Facete sic inducitur homo plebeiae mentis loquens dialecto rustica. Adde* Serm. 2, 2, 62.

CAVTVS, numi cauti *sunt ii, qui chirographo dato collocantur foenore certo.* Hor. Epist. 2, 1, 105. *Cautos* nominibus rectis, *(debitoribus fidem praestantibus, certis)* expendere nummos.

CEDRVS; *libri apud antiquos aut cedrino oleo illinebantur, aut arca cupressina includebantur, ne vexarentur a tineis et putredine. vid.* Plin. Histor. Nat. 16, 39. et *Dioscorid.* libr. 1. c. 89. *Hinc intell.* Hor. Art. 332.

CELER fuga celeris *de Parthis, qui* versis animosi equis od. 1, 19, 4. *antea quam premantur fugientes retro tela mittunt* Hor od. 2, 13, 17. Miles sagittas et *celerem* fugam Parthi *(timet.) Bentleius immerito Horatium h. l. dorminantem culpat;* quid *enim tandem pulchrius hoc epitheto de celeriter fugientibus, et fuga tam veloci tremendis Parthis? Ipsa haec* celeritas *timorem incutit, Quam*

friget

friget Bentleii lectio, reducem fugam, *pro* celerem fug.! *Dormitans profecto Anglus Romanarum dormitare somniauit. Is enim etiam* od. 4, 8, 15. non *celeres fugae*, Reiectaeque retrorsum Annibalis minae.

CELSVS celsi Rhamnes Hor. Art. 342. *vid.* Rhamnes.

CENSVS equestrem summam, *ad graec.* ἀπογεγραμμενος. Hor. Art. 383. Liber et ingenuus praesertim *census* equestrem Summam nummorum. *possidens quadraginta millia aeris, censum equestris ordinis.*

CENTVRIA seniorum, *translate.* Hor. Art. 341. *Centuriae* seniorum agitant expertia frugis, *explodunt, exsibilant; intell. graues viri, aetate prouecta; sed alludit ad* centurias *Romanae ciuitatis, quasi comitia haberentur. totus ille locus inde repetit leporem suum quendam.*

CERA prima i. *prima tabula cerata; ex more solemni vtendi tabulis ceratis diptychis aut pugillaribus.* Hor. Serm. 2, 5, 54. Limis rapias quid *prima* secundo *Cera* velit versa; *obliquis oculis celeriter vide, quid positum sit in secunda linea primae tabulae. Primo enim versu testatoris nomen, secundo haeredis erat.*

CERATVS: pennae ceratae *pro* cera iunctis, affixis corpori. Hor. od. 4, 2, 2. Pindarum quisquis studet aemulari I-Vle *ceratis* ope Daedalea Nititur pennis vitreo daturus Nomina ponto. *cf. Poëtriae Karschiae odam; Wer mit Pindarischem Flug etc.*

CEREVS in vitium flecti Hor. Art. 163. *per breuiloquentiam, tam mollis, tam flexibilis ad vitium, vt cera ad, quodcunque inprimitur*, signum. * brachia cerea. Hor. od. 1, 13, 2. cum tu, Lydia, Telephi Ceruicem roseam, *cerea* Telephi Laudas *brachia. interpretantur mollia tenera; sed ego potius intelligo pulcra, quasi in cera efficta; brachia tam nitida, vt picta*

Comparat cum h. l. Aristaenet l. 1. *Klotzius* Vindic. pag. 126. *quem cf. si plura cupis similia. Bentleius emendat* cerea *in* lactea, *quod refutatione non dignum.* * Id. Epist. 2, 1, 265. ac neque ficto In peius vultu proponi *cereus* vsquam — opto. *Ex more, quo imagines auctorum librorum simul cum libro in taberna libraria proponebantur.*

CERITES. *His victis Romani in percutiendo foedere non dederunt suffragii ferendi ius.* Vet. Schol. *ad* Hor. Epist. 1, 6, 62. Caerite cera Digni. Caerites tabulae erant ciuium aerariorum, qui tribu mouebantur. *Torrentius. Nempe,* qui aliquid flagitii commiserat, in Caeritum tabulas relatus est. *Schol. Crucquii.*

CERRITVS *q. s. Cereritus, est a Cerere percussus, furiosus, quia in huius Deae sacris Sacerdotes fanatico furore correpti; hinc pro* insano Hor. Serm. 2, 3, 278. Hellade percussa Marius cum praecipitat se, *cerritus fuit? Vet. Schol.* Marius quidam ob amorem Helladem puellam occidit, cum ab ea contemneretur, et se postea praecipitauit.

CERTE Ter. A. 3, 2, 14. Saltem accurate, vt metui videar: certe si resciuerim. *sic vulgo hic locus interpunctus, vt* certe *sit asseuerantis, et ἀποσιωπησις h. l. inesse existimetur. Longe melius autem sic orationis series constituitur.* Saltem accurate, vt metui *certe* videar, si resciuerim; *saepissime enim sic pro* saltem *occurrit* certe. Phaedr. 1, 29, 8. Hor. Art. 472. etc. * Ter. Hec. 4, 3, 4. cum is *certe* renunciarit i. *tanquam certum.* * Phaedr. 1, 21, 12. te naturae dedecus Quod ferre *certe* cogor, bis videor mori. *Referend.* Ἰὸ certe *ad* videor *qualis συγχυσις etiam alibi saepius offenditur.*

CERTVM est, *locutio comica seuerum et immutabile propositum inuens* Ter. A. 2, 1, 13. E. 1, 2, 108. Ad. 4, 6, 6. Ph. 3, 3, 18.

CES-

CESSARE, *deficere, officium relinquere, languidum esse*, Hor. Epist. 2, 2, 14. Semel hic *cessauit* Id. Art. 357. multum *cessat*. Phaedr. 1, 9, 5. Quid ita *cessarunt* pedes, * cessatum ducere curas *pro* curae efficere vt cessent, *vt, ad strepitum lyrae* Hor. Epist. 1, 2, 31. Ad strepitum citharae *cessatum ducere* curam. *Praeclara, licet forte noua, et audacior dictio! Vet. Schol.* ducere cessatum ad Graecism. *cessare facere*, κοιμίζειν τας φρονίδας. *Alius Schol.* Est Infinitiuus a Futuro. *Non itaque opus emendatione Bentleiana:* ad strepitum citharae *cessantem* ducere somnum. *quanquam non negandum, et hanc sententiam pulchram, et vt cum maxime congruam esse procis Helenae nebulonibus, qui quidem non curis exagitabantur, nisi cura Helenae. Non omne vero, quod venustum, Horatio statim commodandum, qui profecto alienis bonis non indiget.*

CHLAMYS *militaris Graecorum vestis* Hor. Epist. 1, 6, 40. *Chlamydes* Lucullus, vt aiunt, Si posset centum scenae praebere rogatus; *ad fabulam edendam Graecam, vbi histriones chlamydibus vti necesse erat. Rem accurate narratam leges in* Plutarchi Lucullo *ad finem.*

CHORDA Hor. Serm. 1, 3, 7. Tigellius – ab ouo Vsque ad mala citaret, Io Bacche! modo Summa voce modo hac, resonat quae *chordis* quattuor ima. *Alii h. l. explicarunt aliter. Verus sensus hic:* Tig. *modo canebat ea voce, quae respondebat sono chordae vltimae in Tetrachordo* (vid. Tetrachordon.) *h. e. graui, modo ea voce, quae resonat ima chorda tetrachordi, acuta scil. non, vt alii voluerunt, accommodans tetrachordon cantui suo. Ridiculum eo magis pingit cantorem, qui vno temporis puncto tam diuersos sonos referret, inconstantiamque suam etiam cantando sic probaret,*

vt in aliis moribus. vid. dissertat. super h. l. ex qua haec excerpta, P. Sanadonis *in versione Ej.* Horat. Tom. VII. inde a pag. 140. sqq. *et cf.* citare.

CHORVS: chorus ducit Venus Hor. od 1, 4, 5. *indicat poëta festum solemne Veneris Vere nouo apud Romanos actum, vbi* Tribus choros videres, Feriatas noctibus Congreges inter cateruas Ire per saltus Deae, Floreas inter coronas, Myrteas inter casas. *Peruigilii Vener. verba; quod cf. ad h. l. et vid.* Imminere.

CIBORIVM *poculi genus* Hor. od. 2, 7, 21. Obliuioso leuia Massico. *Ciboria* exple; *ad quem loc. haec Schol. Crucqui:* Ciboria sunt Alexandrina poma, quae habent similia colocasiis folia, in quorum similitudinem facta pocula eodem nomine appellantur. *Gesnerus putat esse calycem siccatum floris, eandemque capsulam seminum, poculo aptam: vt corium cucurbitarum lagenae; deinde formatum quoduis illius figurae poculum. Figura ipse ad h. l. dat.*

CICVTA *solet immodico frigore afficere, vid.* Plin. 25, 13, *iam laud. ab Gesnero; hinc lepidissime, vt medicamen aestus poëtici occurrit apud* Hor. Epist. 2, 2, 53. Quae poterunt vnquam satis expurgare cicutae Ni melius dormire putem quam scribere versus h. e. *nisi nunc, bona et commoda re familiari constitutus, quem antea* paupertas impulit audax Vt versus facerem, *vid. praeced. vers.* 51. *melius putem otium sequi, quam poësin, adeo furore aestus poëtici laborarem, vt me* expurgare, *sanare non posset cicuta. Collige mecum, sic explicato loco, an opus sit emendare vocem* expurgare, *et reponere* expugnare *cum Gesnero? Nonne incommoda tibi videtur emendatio?* Lambinus *reponendum ducit* Sicuiae l. sicyiae *pro* cicutae; *sunt vero* sicyiae *apud Graecus cucurbitulae l. cucurbitae*, vid. Corn. Cels. libr.

libr. 3. c. 27. *quos pessima quaeque venena ducere, et sermones curiosorum pessimos attrahere solere, multis locis docte probat Lambinus. Cur vero ideo h. l. pro* cicutae *sint vsurpandae iste* Sicuiae *non probat.*

CINCTVTVS *qui Cingulum, s. cinctum, h. e. campestre, vel subligaculum loco tunicae gestat. Antiquissimum fuisse hoc vestium genus vel inde colligitur, quod* luperci, *antiqui dii eo vsi crediti* Ouid. Fast. 5, 101, coleris cinctutis faune lupercis. vid. Octau. Ferrarium de re vestiaria pag. 94. *Hinc* Hor. Art. 50. cinctutos Cethegos *appellat, vetustatem innuens.* Nunquam Cethegi tunica vsi sunt: ideo *cinctutos* eos dixit Horatius, quoniam *cinctus* est genus antiquius tunicae, infra pectus aptatae. *Vet. Schol. ad h. l.*

CIRCVMRODERE Hor. Epist. 1, 18, 87. Dente Theonino *circumroditur; bene*, circumroditur, *de multis obtrectatoribus.* Theon, *poëta mordax habetur, et petulans.*

CIRCVMTONARE *attonitum reddere, et hinc stupidum; de recto mentis statu deiicere.* Hor. Serm. 2, 3, 223. Quem cepit vitrea fama, Hunc *circumtonuit* gaudens Bellona cruentis. *Vet. Schol.* cruentis, absolute, pro sanguine.

CIRCVMVALLARE; *de angustiis, quibus quis premitur* Ter. Ad. 3, 2, 4. Tot res repente *circumuallant*, vnde emergi non potest.

CIRRI *proprie sunt crines longiusculi adolescentulorum, sed tropice sic et dicuntur nodi illi hirti villosique, flocci, dependentes de simbria; Gallis* houpes dicti, *nobis* Frantzen. vid. Salmas. in Capitolin. c. 8. pag. 549. *vel ipsa ora, simbria tunicae.* Phaedr. 2, 5, 13. Cui tunica ab humeris linteo Peluſio erat districta, *cirris* dependentibus. *Sunt qui etiam h. l. intelligant, de capillis in humeris dependentibus, vt ipse*

Burmannus, sed magis probandi, qui cirros *istas oras, extremitates tunicae interpretantur, quas diximus; aperte enim* tunica *dicitur* destricta *(ab humeris demissa ad ilia, ibique adstricta linteo.)*

CITARE *clamitare acriter, cantare.* Hor. Serm. 1, 3, 7. Si collibuisset ab ouo Vsque ad mala *citaret* Io Bacche! *Videtur Lambino et Bentleio respici hic certus quidam cantus, cuius fuisset initium* Io Bacche; *sed mihi hoc non opus esse videtur, cum pro quouis hymno et in Bacchum, et in alios Deos, positum esse possit. Bentleius etiam pro* citaret *legit* iteraret, *pessime! cum dubitantem quemcunque, an sit eo sensu* citare *vox latina refutet locus, iam a Gesnero allatus, ex Cic. de orat.* 1, 59. vid. *ad intellig.* h. l. *vocc.* Chorda *et* Tetrachordon.

CIVICVS *pro* ciuilis, motus *ciuicus* Hor. od. 2, 1, 1. *vid:* Motus.

CLAMOR Hor. od 3, 8, 15. Procul omnis esto clamor et ira. i. *Nos hilares viuamus hodie, non curemus bella et pugnas; non loquamur inter vina de strepitu et clamore pugnae, non de ira in hostes, furore pugnantium. Sic explicat h. l. et veram reddit rationem, quia poëta scribat ad Maecenatem, vbi non de clamore ebriorum,* et *rixis erat cogitandum,* Klotzius, *quem adi;* in Vindic. Horatian. pag. 202. sq.

CLARARE *verb. antiquum,* clarum reddere. Hor. od. 4, 3, 4. Illum non labor Isthmius *clarabit* pugilem, *non famam suam et gloriam captabit excertamine Isthmio; de quo certamine* Pausan. Corinth. 1, 2, p. 111. sqq.

CLARVS. *lucidus, splendens.* Hor. od. 3, 29, 17. iam *clarus* occultum Andromedae pater (*stella canicularis*) ostendit ignem. *Efficit haec vox imaginem viuidam harum stellarum, et tem-*

poris

paris canicularis. Imitatus est praeterea Horatius Alcaeum, cuius haec verba apud Athen. libr. 1. Ἰσγγε πνευμονας οἰνω, τὸ γαρ ἀςρον περισελλεσθαι. ἡ δε ὡρα χαλεπη, παντα δε διψα ὑπο καυματος *cf. seq. apud Horat.*

CLAVVS latus, *insigne illud senatorum, notum ex Antiquitt.* Hor. Serm. 1, 6, 28 *Latum* demisit pectore *clauum* vid. vers 25. Id. Serm. 2, 7, 10. *de homine inconstanti* Vixit inaequalis *clauum* vt mutaret in horas; *h. e. modo angustum, modo latum clauum, modo togam puram sumeret.*

CLIENTELA Ter. E. 4, 9, 9. Thais patri se commendauit in *clientelam* et fidem. *Graecorum ritu, quo omnes peregrini tenebantur ciuem aliquem* προξατην *s. patronum sibi eligere; quodsi neglexissent,* ἀπροξασια δικης *rei fiebant.*

COACTOR Erant coactores mercenarii eorum, qui habebant argentariam; argentarii qui habebant summam rerum venalium. coactores etiam dicuntur argentarii in auctionibus, quia pecunias cogunt, qui et collectarii nominantur. Argentarium etiam dicimus, qui habet summam oliuarum et rerum similium, a quo accipiunt foranei, coactor, qui exigit nummos a circumforaneis. *Haec Schol. Vet.* ad Hor. Serm. 1, 6, 86. Si praeco paruas aut, (vt fuit ipse) *coactor* Mercedes sequerer; i. *si parua mercede locarem operam meam* Praecones *dicebantur qui stabant ad hastam et enuntiabant pretia oblata.*

COENA dubia Hor. Serm. 2, 2, 77. *et* Terent. Ph. 2, 1, 28. *vid.* Dubius.

COEPIT: *vtitur h. v. Phaedrus quam frequentissime et eleganter ad circumscribendum illud Grammaticis appellatum historicum perfectum* 1, 8, 5. 1, 12, 8. per campum fugere *coepit*, 1, 12, 11, impeditus lacerari

cerari *coepit* morsibus saeuis canum. 1, 14, 2. 1, 3, 10. male multatus graculus *redire* moerens coepit. Adde. 4, 13; 2, 2; 2, 5; 2, 8. 4, 15; 4, 16; 4, 17. 5, 10.

COERCERE, *suaui translatione, de correctione carminum* Hor. Art. 292, Multa dies et multa litura *coercuit, vt falx vitem, ne luxurietur.*

COERVLEVS Hor. Epod. 16, 7, coerulea Germania pube; *ad oculos referendum: habent enim Germani alii* coeruleos *alii glaucos oculos* Vet. Schol. *sic et vox* caesius *q. vid. Idem fere Tacitus libr. de moribus Germanorum c.* 4. truces et coerulei oculi, rutilae comae, magna corpora, et ad impetum valida.

COGI in breue, *liber folet cum complicatur.* Hor. Epist. 1, 20, 8. Scis *In breue te* cogi plenus *(a te satiatus)* cum languet amator.

COGITARE moliri Hor. Art. 144. Non fumum ex fulgore sed ex fumo dare lucem *Cogitat* * *excogitare.* Phaedr. 3. prol. 39. *Cogitaui* plura quam reliquerat.

COGNITIO Ter. Hec. 5, 3, 33. inde est *cognitio* facta, *cognouimus*, Id. Eun. 5, 3, 12. Ibo intro, de *cognitione* vt certum sciam.

COGNITOR Hor. Serm. 2, 5, 38. Sis (*legendum vero existimo cum optt. librr. Fi*) cognitor ipse. *Vet. Schol. ad h. l.* Qui defendit alterum in iudicio, aut *patronus* dicitur, si orator est; aut *aduocatus*, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico; aut *procurator*, si negotium suscipit; aut *cognitor*, si praesentis causam tuetur.

COGNOSCERE, Ter. Hec. prol. 1, 5, vt neque spectari, neque *cognosci* potuerit i. e. *qualis esset fabulae interior ars, aut pulchritudo.* Spectare *enim est omnium*, cognoscere *existimatorum.*

COHIBERE Hor. od. 1, 28, 2. te maris et terrae — Mensorem *cohibent* Archyta, Pulueris exigui prope littus parua Matinum Munera, h. e. *Paullum*

tum puluueris, quod tuo corpori aliquis donet te retinet, *cum non datum sit scilicet, quo minus Stygium flumen adire possis, insepulti enim non admitti ad Styga credebantur, quo tota haec ode vergit: Eleganter autem cohibere de eo, qui antea omnem orbem et arenam emensus erat, Geometra*; Reiskius *intelligit cohibere*, retinere quo minus viuis interesse possit, κατεχειν. *Noli autem cogitare cum nonnullis, in hac ode legenda de allegoriis, et dilogiis.* * *Sic et pro retinere, includi*, Id. od. 2, 20, 8. Nec stygia *cohibebor* vnda. Id. od. 3, 4, 80. amatorem trecentae Pirithoum *cohibent* catenae, *arcent.* * Id. Serm. 2, 4, 14. Marem *cohibent* callosa vitellum, *constringunt, vid.* callosus. * od. 3, 14, 22. Myrrheum nodo *cohibere* crinem. *Bentleius legit* cohibente *pro* cohibere; *sed pulchre vidit* Gesnerus, *vigorem et affectum interimere illud* cohibente, *quia, qui festinant, et valde cupiunt, vt hic Horatius, tali Synecdoche, Antecedentis pro consequente, vti solent.*

COLLIGERE frigus Hor. Epist. 2, 11, Nec qui *Frigus collegit* furnos et balnea laudat. *Vetus dictum in eos, qui perpetuo rigebant*; numquam eos de balneo aut furno conducendo cogitasse. * puluerem olympicum. Id. od. 1, 1, 3. limum columbino ouo. Id. Serm. 2, 4, 56. * Id. Serm. 1, 4, 31. Per mala praeceps Fertur, vti puluis *collectus* turbine. *Prouerb.*

COLLINERE crines puluere; *de caeso tracto per puluerem.* Hor. od. 1, 15, 20. Seruus adulteros Crines puluere *collines*; *intelligendi concreti sanguine crines, propter* τὸ collinere. *sunt qui legant* cultos *pro* crines, *sed vulg. lectio melior, antea enim iam de nexa caesarie dixerat.*

COLLISVS Hor. Epist. 1, 2, 7. Graecia Barbariae lento *collisa* duello. *Aduerte vim vocabuli ad illud*

illud bellum atrox tam significantis!

COLLVDERE Hor. Art. 160. Puer – gestit paribus *colludere.*

COLOR verus, i. *naturalis* Ter. Eun. 2, 3, 26. Color *verus*, corpus solidum, et succi plenum, * *translatione perquam solenni atque etiam apud Ciceronem et Quinctiliianum obuia pro* stilo, orationis genere. Hor. Art. 56. Descriptas seruare vices, operumque *colores, characterem, stilum vnicuique poëseos formae proprium, et discrimen ipsius orationis. des Ausdruks, sententiarum, imaginum, sensuum, et sic porro, secundum genus ipsius carminis*, Odae, Comoediae, Tragoediae, Elegiae &c. *deinde pro materies diuersitate*, et argumenti, *partium, scenarum, personarum* &c. *diuersa plane inuicem a se dicendi* figura et forma *vt dicit Cicero in oratore, vt suo quidque loco, sublime, tenue, παθητικον, hilaritas, grauitas &c. po-*

natur. Nos dicimus etiam das Kolorit, der Ton, die Farbengebung, quanquam non tam ampla significatione, vt notum. Quae sequuntur apud Horatium verss. seqq. planiorem etiam rem faciunt. Inde Id. ibid. 236. *tragico* differre *colore.* * *de homine* Phaedr. 5, prol. 8. sua cuique cum sit animi cogitatio (*Denkungsart*) *color*que proprius i. *Character, alii leg.* priuus *pro* proprius.

COLVMNAE Hor. Art. 373. mediocribus esse poëtis Non Dî non homines non concessere *columnae; ad quas scil. libro venales pendere solebant, certe eorum tituli, iuxta Vertumni aedem et lani arcum in foro* cf. Epist. 1, 20, 1. *Vet. Schol. intelligit in l. cit. Art. poët.* columnas *porticus, et atria columnata, in quibus recitabant poëtae, quicum facio, propter contextum h. l.*

COMA: *colere comam solebant pueri concubini puellarum in morem;*

aetate

aetate *autem adulta eam detondebant, deponebantque, cum venissent ad pubertatem; de hoc more intellig.* Hor. od. 4, 10, 3. cum – Quae nunc humeris volitant deciderint *comae. vid. Lamb. ad h. l.*

COMEDERE *aliquem, dicitur qui bona eius abligurit* Ter. E. 5, 9, 57. *comedendum* et deridendum vobis praebeo. cf. vers. 45. 48. *vid.* Exedere.

COMES exterior Hor. Serm. 2, 5, 16. *vid.* Exterior.

COMERE Ter. H. 2, 2, 11. Dum moliuntur, dum *comuntur*, annus est; *de foeminis, quarum morem his tribus verbis comicus tam eleganter depingit, vt nihil supra.* Bentleius *in plerisque Codd. inuenit* conantur *pro* comuntur. *Sed quamuis hoc sit, haud opportune occurrerent ita duo perfecte synonyma, adeoque cum* Dacieria *et* Westerhouio comere *praeoptandum; praesertim cum ipse Donatus* ad Hec. 4, 3, 5. *hunc locum proferens, habeat* comuntur.

COMMENDARE *ex nostra emendatione, eleganti significatione, pro* deponere. Phaedr. 1, 17, 3, *vid.* commodare.

COMESSARI *sic falso vbique in nostris editt. cum verius sit* comissari *est enim graec.* κωμάζειν *a quo* comissari *sic vt a* πατραζω *patrisso. Festus:* comissatio a vicis, quos Graeci κωμους dicunt, appellatur. Ter. Eun. 3, 1, 52. si quando illa dicet Phaedriam *Comissatum* intromittamus: tu, Pamphilam cantatum prouocemus. *ex more illo consueto, quo solebant post coenam hilariter et lasciue compotare, vel etiam alius generis voluptati indulgere, puellae cantare &c. quae erat* comissatio, *fiebatque haec* comissatio *vel foris, vel in aliam domum transeundo, hinc:* Phaedriam comissatum *intromittamus.* Hor. od. 4, 1, 11. *ad Venerem:* In domum (*perperam etiam hic apud nos* domo) Pauli – comissabere

Maxi-

Maximi, *venies hilariter et molliter victum quasi Praeses eiusmodi* comissationi. *Belle eo vocabulo vtitur ad illam voluptatem designandam, cui etiam Romae sacratum quoddam perigilium agebatur, quo tempore forte hanc oden scriptam esse, nonnulla suadent.*

COMISSATOR, *non* comessator, vid. praeced. voc. *qui venit comissatum; de patre superueniente filio potanti* Ter. Ad. 5, 2, 8. Aedepol *comissatorem* haud sane commodum.

COMMITIGARE *verberando quasi mollire* Ter. Eun. 5, 8, 4. Vtinam tibi *commitigari* videam sandalio caput.

COMMITTERE, commissi fidibus calores, *de amoribus versibus lyricis mandatis ad posteritatem* Hor. od. 4, 9, 11. Vinunt *commissi* calores Aeoliae fidibus puellae. (*Sapphus.*)

COMMODARE Phaedr. 1, 17, 3. Calumniator ab que competeret canis Quem *commodasse* ponem se contenderet. *Sed Cod. Pithoei habet:* commendasse *pro* commodasse, *et alii; et haec vera est lectio longe elegantior ea, quae vulgo accepta.* Vlpian. l. 186. de V. S. commendare nihil aliud est quam deponere. vid. Cic. de Legg. 2. c. 9. *idque praeclare cadit in calumniatorem canem. cur non sequamur, vbi nihil impedit, auctoritatem iustam?*

COMMODVS *facilis, sese accommodans* Hor. Art. 257. Iambus — Spondeos stabiles in iura paterna recepit *Commodus et* patiens. *Totus locus probat poëtae artem eximiam, addendi honorem rebus de medio sumptis et vilibus.* Id. od. 4, 8, 1. Donarem pateras grataque *commodus* cet. * Id. od. 3, 19. 12. Tribus aut nouem Miscentur cyathis pocula commodis *i. commode.* vid. cyathus. * Ter Hec. 4, 2, 9. Mi Pamphile, hoc et vobis, et meae *commodum* famae arbitror.

COMMORIENTES Ter. Ad. prol. 7. *fabula Plauti e Graeco Diphili translata, qui ei titulum fecerat* συναποθνησκοντες. *Vtraque et latina et graeca interiit. Diphili mentio fit apud Strabonem* libr. 12. pag. 641. ed. Xyl. *fuit Sinopensis, ac secundum Clementem Alexandr. et Eusebium Pamphili tam* κωμικωτατος *quam* γνωμικωτατος.

COMMOTVS insanus. Hor. Serm. 2, 3, 209. Qui species alias veri scelerisque tumultu Permistas capiet, *commotus* habebitur. *vid.* Alius *et* tumultus. Sic *plane infra* vers. 278. *commota* mens * *perturbatus;* Ter. Ph. 1, 4, 6. Quidnam ille *commotus* venit Id. A. 5, 4, 35, Vix sum apud me: ita animus *commotus* est metu, Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono. *Adde* Andr. 1. 1, 67. * Ter. A. 5, 2, 23. Ergo iam te *commotum* reddam. *Westerhou. refert. ad h. scenae vers.* 1. *vbi Davus Simonem animo otioso esse iusserat; verum rectius explicari puto haec verba ex vers.* 20, *vbi Simo*, sublimen, *inquit*, hunc rape quantum potes. *Est igitur h. l.* i. a. citus, celer. * *de amore* Ter. Eun. 3, 5, 19. In hac *commotus* sum.

COMMVNIS communia *apud* Hor. Art. 128. *s. argumenta plane noua; v. c. personae nouae effictae cet. haec sunt communia h. e. nihil habent proprium, omnia sunt vniuersa, quae dicunt generalia.* Difficile est, *inquit poëta, res quae tantum habent generalia, ita proferre, vt proprium quoddam habeant, et sibi semper constent. Sic personam fingere nouam, et propriam, et secum vbique conspirantem, vt. v. c. Demea quidam charactere proprio et verosimili agat, de quo nihil aliud ante noueram, nisi esse hominem. Facilius est inducere loquentem Vlyssem aut Achillem, quia iam effictus est horum character, vid.*

plura

plura apud Batteſium ed. Ramler. T. II. p. 260. * Ter. Ph. 1, 5, 15. (al. 2, 1, 15.) *cogitet – communia* haec eſſe, fieri poſſe, vt ne quid animo ſit nouum. *Qui vero ita legunt, a vitio ineptae tautologiae Terentium vix poſſunt abſoluere. Nam ſi* commune *eſt, quod ſaepe fit, et fieri poteſt, cur illud addatur?* fieri poſſe. *Igitur Bentleio aſſenſum damus, qui e Cicerone, hunc locum integrum laudante,* Tuſcul. Quaeſt. 3, 14, *reponit: communia* eſſe haec, ne quid horum vnquam accidat animo nouum. *Iſta verba:* fieri poſſe, *gloſſam ſapiunt neſcio cuius interpretis.* * Hor. Epiſt. 1, 20, 4. *Communia* laudas; *conuentus et loca publica.* * Phaedr. 5, 6, 3. Eia in *commune*, quodcunque eſt lucri. *Formula ſolemnis eorum, quid videbant alium quid rei pretioſae inuenire in publico; Graeci dixerunt* κοινος ὁ ἑρμης *de quo vid. viros doctos ad Lucian.* Tom. I. pag. 14. ed. Reitz. *atque Eraſmum in* Adag. *Adde iam a Burmanno laud. Spanhem.* ad *Callimach.* Hymn. in Dian. 70.

COMPARARE *ad aliquem* Ter. E. 4, 4, 14. au! Ne *comparandus* hic quidem ad illum eſt. *Non dicit* comparandus cum illo, *neque* comparandus illi, *ſed* ad illum. *Hoc enim differentiam infinitam ſignificat. O miram Terentii in verbis eligendis curam atque ſolertiam! lubens enim facio vt illam hoc in loco cum Dacieria mirer.*

COMPARCERE Ter. Ph. 1, 1, 9, 10. Quod ille vnciatim, vix, de demenſo ſuo, ſuum defraudans genium *comparſit* miſer, id illa vniuerſum abripiet, non cogitans, quanto labore ſit partum. *Loci huius in exprimenda iniuſtitiae imagine elegantiam ſcite perſpexit Donatus, cuius verba eo lubentius adſcribo, quod iam Dacieria ad h. l. ea ſic tranſtulit, vt verbum paene ex verbo exprimeret.* „*Vix potuit,*

tuit, *inquit*, *et* vnciatim *et* cito *conflari peculium* – *Merito ergo additum eſt* vix. *Sed quid ſi et* vnciatim *et* vix, *et tamen* de lucro *dedit?* De demenſo ſuo. *Quid? ſi ex* abundanti? Suum defraudans genium. *Deinde non* acquiſiuit, *ſed* comparſit, *et ad poſtremum*, miſer: *vt iniquitas conſuetudinis comploratione finiretur.*„ *Haec de protaſi Donatus. De apodoſi*, id illa – partum, *haec ſunt eius verba:* „*Magna virtus paene in ſingulis ſyllabis: contra illud, quod ait:* Ille; illa *retulit*; *contra:* vnciatim, vix, *ac* de demenſo ſuo; *repoſuit* vniuerſum. *Contra id quod ait:* munus corraditur; – abripiet. *contra:* ſuum defraudans genium *et* comparſit miſer; *dixit:* non cogitans quanto labore partum.„ *Vtinam omnes poëtae tales habeant lectores, quales Terentius nactus eſt Donatum.*

COMPENSARE Hor. Serm. 1, 3, 70. cum meā *compenſet* vitiis bona, *h. e. vna penſet, in eadem ponat trutina.*

COMOSVS Phaedr. 5, 8, 2. caluus, *comoſa* fronte, nudo corpore.

COMPONERE *pro* ſepelire, condere, *quia componi* h. e. *linteis decore et aliis ornamentis circumdatis in toro cadauera poni conſpicienda ſolebant;* περιστελλεσθαι, Hor. Serm. 1, 9, 28. Haud mihi quisquam, Omnes compoſui, (*cognatos.*) *Non opus cum Baxtero et Geſnero ſtatuere, dicere ſe hominem ideo orbum cognatis, quo ſe veluti eſcam haeredi futuro Horatio proponeret, ſed ſimpliciter garrit reſpondens adὰ id, de quo interrogatus erat.* * *componere* arma Hor. od. 4, 14, 52. te caede gaudentes Sicambri *Compoſitis* venerantur *armis; l. de manu poſitis, abiectis, l. de more ſub armis te excipientes venerabundi: prius verius.* * tempus, *i. bene collocare. ad graec.* ἐυ θεσθαι το παρον. *Hor. od.* 3, 29, 33. Quod adeſt

adest memento Componere aequus; *aequo animo.* * togam Hor. Serm. 2, 3, 77. *vid.* Toga. * gladiatores, *vid.* compositus.

COMPOSITVS, *dicuntur gladiatores* compositi, *qui vna in arenam descensuri, inter se decertaturi sunt compositi i. comparantur vt par cum pari certet;* (*Sic.* Trax est Gallina Syro par Hor. Serm. 2, 6, 44.) Hor. Serm. 1, 7, 20. Rupili et Persi par (*pares sibi viribus*) pugnat vti non compositos melius cum Bitho Bacchius; *hi duo nobilissimi gladiatores commissi tandem mutuis vulneribus conciderunt.* * hora *composita; condicta, constituta* Hor. od. 1, 9, 20. lenes sub noctem susurri *composita* repetantur *hora. Sic* Ter. Ph. 5, 1, 30. *composito* est factum, quo modo hanc amans habere possit. *Donatus:* vetus locutio; Ablatiuus vice aduerbii.

COMPRIMERE manus Ter. H. 3, 3, 29. At tu pol tibi Posthac *comprimito* istas manus; *i. a. abstineas manum* v. ibid. vers. 4.

CONATVS Ter. H. 4, 1, 8. *idem fere est, quod apud* Horat. Art. 138. hiatus. Nae ista hercle magno — iam conatu maximas nugas dixerit. *Eleganter notat mulierum plerarumque mores, quae in rebus friuolis ac minimis maximas excitare tragoedias et maritis suis* (*vt est apud* Persium Sat. 5, 19.) *bullatas nugas obiicere solent.*

CONCEDERE in turbam, *ire in sententiam maioris numeri, formula ducta ab more* discedendi *in sententias, vid.* Clav. Cic. *in* v. Discessio. Hor. Serm. 1, 4, 143. veluti te Iudaei cogemus in hanc *concedere* turbam; *scil. vt laudes poëtas, non minus in nostro studio, quam Iudaei in religione pertinaces, et in sacris baculino argumento vtentes, te in nostram sententiam rapiemus inuitum.* cf. Iuuenal. Sat. 15.

CONCILIATVS: *emtus,* Ter. Eun. 4, 4, 2. Prodi male conciliate. *Non eo spectat, vt nonnulli vo-*

volunt, quod magno pretio sit emtus, verum quod Eunuchus crederetur virginem vitiasse, ideoque sceleratus, noxius, pessimus esset. Non tamen omnino negandum, istam vim in hoc vocabulum cadere, vt Plaut. Amphitr. 1, 1, 132. scortum *dicit* male conductum; *sed ab h. l. ista significatio aliena.*

CONCLVDERE Ter. A. 2, 3, 12, Huc *concludor*, i. *cogor ad nuptias a quibus abhorret animus.* * Id. Ph. 5, 1, 7. *Concluſam* hic habeo vxorem ſaeuam. *Eſt qui a veris translationem ductam exiſtimet; mihi autem id non veriſimile. Alluditur potius ad Graecorum conſuetudinem, qua vxores in interiore parte domus includebant; vt vel ex* Nepotis praefatione *patet.* vid Potteri Archaeol. libr. 4. c. 13. p. m. 633. T. XII. Theſ. Gronou.

CONCLVSVS locus, *de balneo concamerato* Hor. Serm. 1, 4, 76. Quique lauantes, (*recitent poëmata in balneo ſunt multi*) ſuaue *locus* voci reſonat *concluſus*; *ironice, et venuſte!*

CONCVRRERE Hor. Epiſt. 2, 1, 205. Tanto cum ſtrepitu ludi ſpectantur et artes Diuitiaeque peregrinae; quibus oblitus actor Cum ſtetit in ſcena, *concurrit* dextera laeuae. i. *plauſus datur priusquam aliquid dixerit actor.*

CONDITIO *de nuptiis certis alicuius puellae* Ter. Ph. 4, 1, 13. Nam hanc *conditionem* ſi cui tulero extraneo *Galli hoc verbum iſta ſignificatione reddunt:* une partie. cf. Hec. 2, 1, 44.

CONFERRE, dare Phaedr. 4, 4, 12. centena matri *conferant* ſeſtertia. *Dubium videri poteſt, vtrum tres filiae conferre debuerint ſummam, an potius ſingulae centena millia ſeſtertium; poſterius magis placet.* * Ter. Ad. 1, 2, 14. ſi *conferendum* exemplum eſt, non fratrem videt rei dare operam.

CONFESSVS paſſiue; reus *confeſſus*, opp. innocenti, *qui talis manifeſto*

est, *ita vt nemo dubitet*. Phaedr. 4, 25, 22. Saepe impetrauit veniam *confessus* reus, Quanto innocenti iustius debet dari. *Rittershus. explicat vulgari sensu*: qui delictum fatetur; *sed fallitur, et aperte repugnat opp.* innocens. *sic etiam confessa* res, Ouid. Pont. 2. 2. *confessus* amor, Petron. 127 vbi vid. Burm. et ad Eund. 91.

CONFESTIM *pro* confertim *vt quidem Gesnerus eleganter explicat*. Hor. Epist. 1, 12, 9, Protinus vt te *Confestim* liquidus fortunae riuus inauret; *non tenui modo bracteola sed solido auro*. *Alii celeritatis notionem cum emphasi in coniunctis* protinus *et* confestim *quaerunt*. *Iudica ipse*; *mihi praeplacet Gesneri interpretatio, nisi quis velit legere* confertim *pro* confestim, *quicum conspirarem lubentissime*.

CONFICERE argentum, *consumere* Ter. Ph. 5, 5, 11. Ne, cum hic non videant me, *conficere* credant argentum suum. *comparare* Ter. Eun. 5, 4, 6. Virginem, quam amabat, eam confeci. *Ita enim erat imperatum a Pamphilo* 2, 3, 28. hanc tu mihi vi, clam, precario fac tradas, mea nihil refert dum *potiar* modo. * *confecta* duella *pro* finita Hor. 2, 1, 254. * Hor. Serm. 1, 9, 29. felices, nunc ego resto, *confice* i. *interfice me etiam*; *ceterum non haec dicit poëta garrulo parasitastro, vt vel omnes, et ipse Gesnerus credidit, sed secum agitat compressis labris. Quomodo enim probabile esset, ea postea accidisse, quae sequuntur, si haec Horatius dixisset in os hominis. Sentit et ipsum hoc Gesnerus, sed forte eo gestu dixisse putat vatem, vti nugator accipere posset honestam petitionem. An igitur nugator honestum duxit occidere hominem, honestas etiam preces vt eum interimeret? Est hoc meae intelligentiae nimis doctum et subtile*.

CONFLICTARI *de consuetudine cum aliis periculosa, et in qua facile* ali-

aliquis possit ad nequitiam abduci. Ter. And. 1, 1, 65. Nam qui cum ingeniis *conflictatur* eiusmodi (*quae sint procliuia ad libidinem*) neque *commouetur* animus in ea re tamen, scias tum iam ipsum habere posse suae vitae modum. *Ducta vero est similitudo a luctantibus, qui, si bene rem suam agunt in conflictando, ne* commoueri *quidem debent.*

CONFORE *pro* confectum iri Ter. A. 1, 1, 141.

CONFVSVS *perterritus, perturbatus.* Phaedr. 4, 17, 24. Canes *confusi*, subito quod fuerat fragor. *Sed quis quaeso est, qui sanam putet hanc lectionem? Emenda fortiter*: Canes, confusos subito quos fecerat fragor cet.

CONGLVTINARE Ter. A. 5, 4, 110. meretricios amores nuptiis *conglutinas: facis vt filius meus eodem tempore, quo eum animus erat honestae virgini despondere, meretricem in matrimonium ducere velit.*

CONGRVERE Ter. E. 5, 9, 3. In me plane dii potestatem suam Omnem ostendere, cui tam subito tot *congruerint* commoda. *Bentleius in multis libris se inuenisse testatur* contigerint l. contigerunt *pro* congruerint; *quam etiam lectionem recepit Westerhouius. Sed ego tamen cum quibusdam aliis bonis libris et Faerno faciens vulgatam lectionem praeopto. Habet enim* congruere h. l. *comicum quoddam; et longe exquisitius verbum est quam* contingere *h. l. Notum* congruere *dicere proprie de* gruibus *in maxima coniunctis turba aduolantibus; vnde ductus tropus in h. l. mirifice quadrat.*

CONIICERE in nuptias, *de insperato oblatis* Ter. A. 3, 5, 14. Qui me hodie ex tranquillissima re *coniecisti* in nuptias *ibid.* 4, 1, 44. si omnes hunc *coniectum* in nuptias inimici vellent. *ibid.* 3, 4, 23. in nuptias *conieci* herilem filium (*h. e. vt ipse explicat vers. seq.*) feci hodie vt fierent *insperante*

hoc atque *inuito* Pamphilo. *His igitur locis magna cum vi coniunctum h. voc.* * *Ar.* H. 2, 2, 51. *cum dicitur;* ne me in laetitiam frustra *conicias; nihil est aliud, quam* quod H. 1, 2, 12, *appellatur* laetitiam obiicere.

CONIVRARE *de amica coniunctione, atque conspiratione, vti notum saepius occurrere* Hor. od. 1, 15, 7. Graecia *Coniurata* rumpere nuptias. *vbi etiam Vet. Schol. Crucq.* fallitur in malam partem accipiens; *Baxterus adposuit aliud minus doctum Scholion.* Hor. Art. 411. Alterius sic Altera poscit opem res et *coniurat* amice.

CONIVRATIO *de morum similitudine, atque ad malas actiones consensione* Ter. Hec. 2, 1, 1, quod hoc genus est, quae haec *coniuratio?*

CONOPEVM Hor. Epod. 9, 16. Inter signa (turpe!) (*sic enim cum Bauero, praeceptore meo animo dulcissimo, obseruatt. crit. ad Hor. pag.* 4. *distinguo*) militaria Sol aspicit *conopeum. Rectius scribitur* conopium, *quia breuis penultima, et Graeci vtrumque habent* κωνωπειον *et* κωνωπιον. *Schol. ad h. l.* Tentorium s. velum lineum l. laneum l. bombycinum, ad muscas et culices abigendos, quo Alexandrini potissimum vtuntur propter culicum illic abundantiam. Hic autem de lecto delicatiori et omni mundo Cleopatrae.

CONSCINDERE Ter. E. 4, 3, 4. tum ipsum *capillo conscidit. Grauior est locutio ac fortior ob id ipsum, quod abhorret a communi loquendi vsu. Non erat igitur, quod Guyetus ab illa lectione discederet, quam etiam Bentleius, Gesnerus in Thesauro, aliique seruarunt.*

CONSCRIPTVS *simpliciter pro* Senatore Hor. Art. 314. *De antiquo discrimine inter* Patres *et* Conscriptos vid. Ernesti Clau. Cic. *in voc.* Conscriptus.

CONSEQVI Ter. Hec. 4, 4, 27. Eam iam consequitur alienus puer. i. e. *ex ea natus est ab alio viro filius. Metaphorum hanc a pecoribus ductam esse notat Donatus, quae, vt mox nata fuerant, matres sequantur.*

CONSILIVM *prudentia, aut facultas suo vsui et commodo prospiciendi* Ter. Eun. 2, 2, 19. Itane parasti te, vt spes nulla reliqua in te siet tibi; Simul *consilium* cum re amisti? Hor. od. 4, 4, 24. Diu lateque victrices cateruae Consiliis iuuenis (*Drusi*) reuictae. *Bene* reuictae, *cum praecesserint*, victrices cateruae. Adde od. 4, 4, 33. * *voluntas, animus* Ter. Hec. 3, 5, 44. non est *consilium* pater. * *cogitatio, consideratio* Ter. Ad. 4, 4, 4, pectore consistere nihil *consili* quicquam potest; *hoc est, coll. vers. 2. ita perturbatus sum, vt neque, quid de me faciam*, neque quid agam certum siet. * Phaedr. 5, 3. 13. casu peccans opp. peccanti *Consilio.*

CONSISTERE *dicuntur flumina frigore congelata* Hor. od. 1, 9. Videsne vt – – – gelu flumina *constiterint* acuto. *Pulchre vidit Gesnerus hoc vocabulo frigus primum indicare, non gelu post solutionem denuo ingruens, vt innuit Vet. Schol. explicat pluribus h. l. Turneb.* 11, 26.

CONSORS *proprie, cohaeres, quicum communi et nondum diuiso patrimonio*, Sorte, *vtitur aliquis* Hor. od. 3, 24, 60. Cum periura patris fides *Consortem*, socium fallat, et hospitem; *ita disiunctim enim illa legenda, non* Consortem socium, *vt et in ipsa Gesneri Editione perperam est*, Vet. Schol. Crucqii *bene exponit:* consortem in asse *h. e. qui totam haereditatem cum alio communem possidet vid. Varr.* libr. 2. de ling. lat. pag. 57. et Burm. ad Vellei. Patercul. 1, 10. Fuluii censoris frater, et quidem *consors* Cn. Fuluius, senatu motus est ab iis censoribus.

CONSPIRATVS Phaedr. 1, 2, 4, Hinc *conspiratis* factionum partibus Arcem tyrannus occupat. *Sunt qui intelligant* actiue, *pro* conspirantibus, *interea dum illae conspirant; sed praestat cum* Kohlio Comment. critic. 1, 15. passiue, *vt iam Gudius ad h. l. notauerat, accipere, pro* conflatis. *cum factiones ortae essent, et ita ciuitas tota in partes abiret; hae sunt factionum* partes, *per gratam* μαχρολογιαν, *qua tamen Phaeder raro admodum vtitur, quanquam huc pertinet* paruum tigillum ead. fab. vers. 14.

CONSTARE Hor. Art. 127. Seruetur ad imum Qualis ab incepto processerat et sibi *constet; formet integrum vnum quoddam.*

CONSVLTOR *pro* cliente, *qui sc. Iurisperitum consulit de lite.* Hor. Serm. 1, 1, 10, sub galli cantum Consultor vbi ostia pulsat.

CONSVLTVS sapientiae; *sic dictus, vt* Iuris consultus, *noue* Hor. od. 1, 34, 3. Insanientis dum sapientiae Consultus erro. *Pulchre,* insan. sap. ὀξυμωρως.

CONSVSVRRARE. Ter. H. 3. 1, 64. Syrus cum illo vestro *consusurrat. Antea dixerat: subsensi — illos — id* inter se agere clanculum.

CONTAMINARE fabulas *dicitur, qui commiscet componendo plures ex vna* Ter. A. prol. 6. vituperant factum atque in eo disputant *Contaminari* non decere fabulas. *quia Terentius e duabus vnam composuerat.* Westerhov. *reddere malebat,* mutilare; *qui quidem significatus in h. v. nescio an vnquam, certe in hanc loci perpetuitatem nullo modo cadit.* H. prol. 17. *postquam dixerat,* Heautontimorumenon *esse* integram comoediam ex integra, *repetit eandem accusationem, quod maleuoli dixissent,* se multas *contaminasse* graecas fabulas, dum faceret paucas latinas; *atque ne putarent aduersarii, se illorum vituperio commotum a pristina ratione dis-*

discessisse, quoniam Heautont. non erat ex pluribus composita, statim addit: Neque se id pigere, et deinde facturum autumat * Hor. od. 1, 37, 10. *Contaminato* cum grege turpium Morbo virorum. *vid. de hoc satis vexato loco* voc. Morbus.

CONTEGERE Phaedr. 1, 11, 4. Venari asello comite cum vellet leo, *Contexit* illum frutice.

CONTENDERE *comparare et pretium inde definere, sed cum imagine quadam rei* Hor. Epist. 1, 10. 26. Non qui Sidonio *contendere* callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera fucum i. *qui non adeo est sagax in dignoscenda purpura bona et falsa, vt sciat quae sit tincta Tyrio Sidonio murice, quae Succo Aquinati, vbi solebant purpuram adulterinam fingere: solent autem*, tendere pannum, *qui comparant, vt discrimen reperiant; Eleganter ideo* contendere.

CONTENTVS poples Hor. Serm. 2, 7, 97. Placide iam contento poplite miror Proelia. *referendum ad decertantium gestum; gladiatores, dum pugnant, extendunt alterum poplitem, altero leuiter inflexo.*

CONTORTOR legum, *de fabula* Ter. Ph. 2, 3, (al. 2) 27. Bonorum Extortor, legum *contortor*.

CONTRACTVS *de eo qui prae frigore membra, incuruans sese, contrahit, eleganti imagine*, Hor. Epist. 1, 7, 12. sibi parcet *contractus*que leget; *Gesnerus quidem intelligit contractum in paruum cubiculum, iacentem in lectulo, involutum vestibus; sed mihi hoc videtur contortum esse; vbique* contractus *sic occurrit, vbi de frigore est sermo, vt ego interpretor.* Phaedr. 4, 23, Mori *contractum* quum *te* cogunt frigora. Virg. Georg. 4, 259. Ignauaeque fame et contracto frigore pigrae; *vbi ego quidem legendum putauerim* contractae frigore pigro; *dignior etiam haec lectio Virgilio, cum* ignauae *et*

pigrae *habeat tautologiae speciem; pulchre vero diceretur* frigus pigrum, *et* contractae apes. *Alios locos ad meam in Horatii loco explicationem tuendam aptos vide* apud Scheffe-rum loc. c. Phaedri. * *contracta* paupertas; *quia rem contrahit, angustam facit.* Hor. Epist. 1, 5, 20. * vestigia vatum Hor. Epist. 2, 2, 80. *sunt arcta, angusta, quae pauci sequi possunt; ex mente scilicet Gesneri et Baxteri. Sed ego hanc lectionem vulgatam quare suspectam habeo, accipe. Primum Vet. Scholl. legunt diserte* contacta *pro* contracta. *Deinde eandem lectionem Lambinus* (*quamuis ipse accipiat* contracta) *se reperisse in* Sex MSS. *testatur, nec denique aliter habent* Codd. *Gesner.* G. S. et Med. 1477. *Num tot auctoritates plane ac temere abiiciendae? Sed sensus parum rectus esset, si legamus cum MSS.* contacta *pro* contracta. *Ita certe rati sunt interpretes; Baxterus vltro:* apage! contacta. *Ego vero id de ipsorum lectione dicere audeo, vbi autem receperis* contacta, *spondeo sensum fore optimum. Videamus locum. Dicit poëta, se male rogari, vt carmina faceret, inter strepitus diurnos atque nocturnos vers. 79. Iam pergit:* Vis *itaque*, me contracta sequi vestigia vatum? i. *vis itaque me angustam sequi viam poëticam? quaenam coniunctio? qui nexus? At si legamus; vis me inter tot strepitus versus pangere, adeoque* contacta vestigia sequi; *sensus est: an vis, vt, dum districtus cano, vulgaria scribam, trita, eamque viam vulgarem* i. contactam *sequi, quam tetigerunt omnes mali poëtae. Num planior esse sensus potest. cf vers. seqq. et 85. Bentleius, qui ipse* contracta *probare non potuit, emendat* non tacta; *ingeniosa, at ab hoc loco maxime aliena lectio, si contextum contemplaris.*

Sana-

Sanadonus cunctata i. *incerta dubia* vestigia *ponit, vt nempe aliquid dixisse videatur.*

CONTRAHERE Hor. Epod. 13, 1. Horrida tempestas coelum *contraxit* et imbres Niuesque deducunt Iouem. *Bene* contrahere, *videntur tempestate nubes coactae, et coelum in densam caliginem contractum. Iupiter* h. l. *est aër, Iupiter pluuius, qui descendere imbribus credebatur. vid. Burmanni disput.* Ζευς καταβαλης *pr. pag.* 265 *et alibi.*

CONTREMISCERE *aliquid* Hor. od. 2, 12, 7. *pericula* Fulgens *contremuit* domus Saturni veteris.

CONTRISTARE *translate et pulchre*, Hor. Serm. 1, 1, 36. Simul innersum *contristat* Aquarius annum. i. *simulatque sol ingrediens Aquarium XVII. Calend. Febr. tristem anni faciem creat.* Annus *inuersus est quia tum iam annus in se redierit. vid.* Turneb. Aduers. 12. c. 3, et 19. c. 29.

CONTVMAX lima, *quae aculeis suis morsui viperae se opponit, bene! est* contumax *enim pertinacia quasi tumens.* Phaedr. 4, 7, 5.

CONTVMELIA *de verbis non solum sed factis indignis saepius.* Phaedr. 1, 2, 21 Quod (*rigellum*) cum inquinassent omni *contumelia*; cf. vers. praeced: *vbi contumelia illa narratur.* Id. 5, 7, 5. Ter. A. 1, 8, 5. *vbi iniuria ex contemtu profecta* cf. ibid. vers. 14. Id. Eun. 5, 2, 27. Ad. 4, 3, 16. Ph. 5, 7, 79. Hec. 3, 5, 20, **plur.* Ter. A. 3, 3, 25. dum eius libido occlusa est *contumeliis*; *dum adhuc irae sunt inter Glycerium et Pamphilum* (cf. v. 20.) *adeoque eius amor frigescit.*

CONTVRBARE Ter. Eun. 5, 2, 19. *conturbasti* mihi rationes omnes; *locutio a negotiatoribus petita*, Westerhou. *simili nobiscum fere metaphora: du hast mir einen Strich durch die Rechnung gemacht. Contrarium est apud Plaut.*

Amphitr.

Amphitr. prol. 5, 4, 5. *Ipsum autem* conturbare, *deriuandum est ab antiquo more in arena calculum ducendi.*

CONVASARE *verbum comicum hoc sensu, vt sit furtim quaedam colligere atque in sarcinas componere* Ter. Ph. 1, 4, 13. aliquid *conuasassem*, atque hinc me conicerem protinus *in pedes. Addit enim* vers. 14. Antipho: Quam hic fugam aut *furtum* parat. *Bentleius legit* conrasissem. *Cui tandem persuadebit?*

CONVERTERE studia; *mutare cupiditates, alio quo versas.* Hor. Art. 166. *Conuersis* studiis aetas animusque virilis Quaerit opes *cet.* Id. Epist. 1, 17, 26. vitae via si *conuersa* decebit.

CONVICIVM *proprie, coniunctio vocum, q. s. conuocium.* Phaedr. 1, 6, 5, Conuicio (ranarum) permotus quaerit Iupiter causam. Id. 3, 16, 3. Cicada acerbum noctuae *conuicium* faciebat; *beh! de stridula cicadae voce!* Ter. Ad. 2, 1, 26. Hor. Serm, 1, 5, 11. Pueri nautis, pueris *conuicia* nautae Ingerere; *respicit* poëta *clamorem exprobantium.*

CONVIVIA arcta. Hor. Epist. 1, 5, 29. vid. Arctus.

COPIA narium, *de florum vario apparatu, et omnibus, e quibus suauis odor naribus afflatur* Hor. od. 2, 15, 6. * Ter. H. 4, 1, 55. Ita hercle in angustum oppido nunc meae coguntur *copiae. comice, de rerum statu angusto, translata locutione a re militari.* cf. loc. integr.

COPIOSVS, domus *copiosa* Phaedr. 4, 23, 20. Mori contractam cum te cogunt frigora Me *copiosa* recepit incolumem *domus* i. *omni rerum copi abundans. vid.* Contractus.

COQVERE *de vento, dum putidum quid reddit calore flatus sui* Hor. Serm, 2, 2, 41. At vos Praesentes (*audientes preces meas*) Austri *coquite* horum obsonia. *Bene*, Austri, *cum ante Harpyias nominasset, quas pestilentes*

lentes auras Hecatis telis armatas putabant.

CORINTHVS *pro, vasis Corinthiis* Hor. Epist. 2, 1, 193. Captiuum portatur ebur (*l. signa ex ebore l. elephanti*) captiua Corinthus. *Deridet puerilem pompae superbiam, vt bene notauit Baxterus. Lambinus, aliique post eum intelligunt* captiuam Corinthum, *simulacrum Corinthi, quam L. Mummius cepit ac deleuit. Portata quidem oppidorum captorum simulacra in triumphis loca nonnulla probant, sed h. l. ea non accipienda. Ceterum ista voc. significatio in Thesauro Gesn. omissa.*

CORNA silueſtria; *cibus auari* Hor. Serm. 2, 2, 57. Quinquennes ollas est et silueſtria *corna.* * rubicunda Id. Epist. 1, 16, 9. *Corna et cerasa eadem esse vult Seruius ad Virg. Georg.* 2, 18. *Sed vid. Casaub. ad Athenaeum* libr. 2. c. 11. *de cerasis, cornis et moris subtiliter disputantem, et adde* Quid. Met. 1, 105.

CORNV *Vasculum quoddam olei, sextarium capiens.* Hor. Serm. 2, 2, 61. *Cornu* ipse bilibri Caulibus instillat, veteris non parcus aceti. *Mirus iconismus, vbi omnia verba pondere suo rem sustentant; Auarus* ipse, *ne serui nimium defundant, oleum* instillat, *guttatim tantum emittit, et quidem e* cornu, *tale vas enim diu durat, et* bilibri, *satis paruo igitur*, caulibus s. *brassicae durae, quae e caulibus constet maxime*, sed *tamen* non veteris parcus aceti *infundendi.*

CORPVS pro *pinguedine, sagina corporis* Phaedr. 3, 7, 5, quo cibo feciſti tantum *corpus* * *per charientismum pro* obscoena parte corporis ad graec. δερμας *quod ita vsurpatur.* Id. 3, 11, 3, Damnum infectatus est amissi corporis. *Sic et* Hor. Serm. 1, 2, 43. Dedit hic pro corpore nummos. *Plura exempla aliorum Auctorum dat Burm.* ad Petron. 112. et 130.

CORRIGERE *explicare, ex obscura intelligentia quem eximere* Ter. Eun. 4, 5, 11. *Correxit* miles, quod intellexi minus.

CORRIPERE gressum, *bene de morte in eius imagine accelerantis ad vitia hominum* Hor. od. 1, 3, 33. vid Klotz. Vindic. pag. 91. seqq.

CORRVMPERE, *de amore vago, alieno, illicito* Ter. H. 2, 2, (al. 1.) 2, vereor ne mulier me absente hic *corrupta* sit; *alienis amoris vacet.* Id. And. 2, 3, 21. Quod tu speres (*non pro* timeras *vt existimat Andr. Barlandus et alii*) id ego facile propulsabo. *Sc. spem tuam vanitatis conuincam. Putas scilicet*, daturum meminem *tibi adeo dissolutis moribus* vxorem *praesertim bene dotatam. Sed pater tuus, mihi crede*, inopem inueniet potius, quam *concedat* sinat, te, *cum abhorreas a matrimonio* corrumpi i. e. *illicitis vagis amoribus pendi. Ceterum cf.* Plaut. Bacchid. 3, 3, 3. et 15. seqq. *ad sensum nostrum vero confirmandum vid.* Andr. 3, 3, vers. 26. sqq. * Phaedr. 4, 24, 18. Ne male dimissus gratiam *corrumperet. Turba interpretum h. l. difficilem quasi data opera reddidit; vulnerarunt vt sanare possent. Quid clarius quam iste sensus? Simonides* quamuis esset fraudatus *vers. praeced. parte mercedis promissae* v. vers. 5, 6, et, 16, 17. tamen *inuitatus ad coenam* promisit *se venturum, ne rumperet, perderet plane omnem gratiam, et male ab pycta dimitteretur. Valeant emendatores, vbi iis non opus.*

CORRVPTVS, boues corrupti, *tabescentes*, Phaedr. 2, 8, 21. * Hor. Serm. 1, 5, 95. Iter factum *corruptius* imbri.

CORVVS *pro* cornice *saltem vt vult Baxterus; equidem non video cur* cornus *h. l. sit mutandus in cornicem* Hor. od. 3, 27, 11. oscinem Corvum prece suscitato Solis ab ortu. *Sunt ab ortu solis prospera omnia auguribus, qui auspicium*

cium captantes, orientem scilicet spectabant.

COTYTTIA *Sacra nocturna et obscena a* Cotyttone, *impudentiae ac Veneris obscoenae dea, quam Suidas* ἐφορον των αἰσχρων *nominat.* Hor, Epod. 17, 56. Inultus vt tu riseris *cotyttia* Vulgata. *Haec vulgaris explicatio et lectio; quam primus protulit* Ang. Politianus Miscell. c 10. *In plurimis MSS. est* cocytia l. cocitia, *quam lectionem ego iure postliminii accipiendam censeo.* Cocytia *sunt infernalia sacra, vt* cocytia virgo *pro* Furia *apud Virgil. haec infernalia sacra cadunt potissimum in sagam,* haec *euulgauerat Horatius antea, vt* Epod. 5. *et alibi. nunquam vero, vel vbi acriter inuehit poëta in Canidiam, de istis nocturnis obscoenis sacris mentionem facit. Erat denique* Cotys l. Cotytto *Dea Thracum, Chiorum et Corinthiorum; apud Romanos eius nullum vestigium; nam* Iuuenalis Sat. 2, 92. Talia secreta coluerunt orgia taeda Cecropiam soliti Baptae lassare cotytto, *aperte Graeca sacra indicat, non inde vel minimum indicium Romae fuisse in vsu et quidem hoc nomine.*

CRATES Hor. Epod. 2, 45. Claudens textis cratibus laetum pecus Distenta siccet vbera. *Vet. Schol. Crucq.* Crates a pastoribus texi consueuerunt ad mutandas pecudibus mansiones. *Hic de septis eiusmodi iuxta domum intell.*

CREDERE *de aliqua re cum altero communicare.* Ter. H. 1, 1, 104. *Menedemi enim filius omnia patrem de amore suo celauerat.* cf. vers. 46. *Ita et alibi: sed cum pulchra sententia* Hor. od. 1, 3, 5. Nauis quae tibi *creditum* Debes Virgilium finibus Atticis Reddas incolumem. *Nota hic artem poëtae in verbis tam significantibus colligendis.* Creditum – debes – reddas – incolumem. *Simili potestate* Id. od, 1, 24, 12. Non

Non ita *creditum* Poscis Quintilium Deos.

CREPARE fores, *disting. a* pulsare fores. Ter. Ad. 2, 3, 11. Sed quisnam fores crepuit? Sy. mane, ipse exit foras. *More attico dictum; nam quia Athenis fores in publicum aperiebantur, qui domo exibat, ne quem, eas aperiendo, forte praetereuntem laederet, eique fores impingeret, crepitum, eas feriens apte, edebat. Hactenus Turnebus* Aduerſ. lib. 4, c. 15. *Igitur hanc locutionem vsurpari videmus omnibus locis, vbi quis domo egreditur, non autem si quis introeat* cf. Ter. Eun. 5, 8, 5, *cum verſ. 6 et ſc. 9.* H. 1, 1, 121, 122. it. 3, 3, 52. Ph. 5, 5, 12. *Aliud autem eſt* fores pulsare ſ. pellere, *quae vocabula locum habent, vbi quis e platea veniens domumque ingreſſurus, cornice ſignum daret, vt ſibi oſtium aperiretur* c. gr. H. 2, 3, 34. 35. it. H. 3. 1, 1, coll. 17. Ad. 4, 5, 3. coll. 4, 4, 23-25. Ad. 5, 3, 2. crepare *et* pulsare *plane ſic differunt, vt Graecorum* ψοφειν et κοπτειν. *Teſtatur Menandri fragmentum apud Suidam in* κοπτω: κοψω την θυραν – ἀλλ' ἐψοφει και τις την θυραν ἐξιων. * *aſſidue de re aliqua loqui; eleganter* Hor. od. 1, 18, 5, Quis poſt vina grauem militiam aut pauperiem crepat. *Non placet lectio* increpat. Id. Art. 247. imunda *crepare. reſpic.* gr. αἰσχρολογειν.

CRESCERE *plauſu atque approbatione augeri* Ter. H. prol. 28. Date creſcendi copiam (iis) Nouarum qui ſpectandi faciunt copiam ſine vitiis. *Interpretatio noſtra confirmatur* v. 35. 36. *vbi prologus*, date poteſtatem, *inquit* mihi ſtatariam agere vt liceat per ſilentium. *Ceterum in iſto loco* ſpectandi *dicitur pro* ſpectandarum.

CRESSVS nota creſſa i. *creta ducta nota alba, qua Romanos ſolitos fuiſſe dies felices ſignare notum eſt. Probabile enim ex* Iſidoro orig. 16, 1. a *Bentleio ad h. l. iam citato*

citato cretam aut esse terram Cressam aut a cretensibus mercatoribus aduehi solitam. Hor. od. 1, 36, 10. *Cressa* ne careat pulchra dies *nota.* Plura *similia loca et fusam explicationem quaere a Bentleio ad h. l.*

CROCVM: *solebant croco, floribus, aliisque odoribus conspergi histriones et scena; ritus notus, sed ego eum obtinuisse tantum credo, si fabula bene staret, populoque placeret; hinc* Hor. Epist. 2, 1, 79. Recte necne *crocum* floresque perambulet Attae Fabula si dubitem i. *an iure meritoque Attae fabulae agantur, recitenturque cum plausu.* Lucret. 2, 416. et cum scena croco cilici perfusa recens est. *Plura inde loca explicata vid. in Thes. Gesn. in voc.* crocum. *Vox apud Horatium,* perambulet *figere dicitur a Crucquio Titum Quintum Attam, sic appellatum, quod Atta esset* i. *vitiosis pedibus, plantis extremis tantum terram attingens eundo.*

CRVDVS *qui nondum coenauit* Hor. Epist. 1, 6, 61. *Crudi* tumidique lauemur; *et ante et post coenam, quod erat luxuriosorum.* * *qui cibum non concoquit* Hor. Serm. 1, 5, 49. Pila lippis inimicum et ludere *crudis.* * bos, i. *qui cruditate laborat, Baxterus* excoriatum *intelligit; verius Gesnerus cruditatem, de qua* Colum. 6, 6. **crudā* virgo. Hor. od. 3, 11, 12. et adhuc proteruo *cruda* marito. *Omnes interpretes intelligunt de intempestiua virgine et immatura; sed nescio an recte. Tota oda, precans Mercurium, vt faciliorem puellam redderet, et mitiorem, velle mihi videtur, vt h. l.* Cruda *sit* crudelis, immitis; (vt crudus ensis Virg. Aen. 10, 6 §2.) *quae spernat omnem maritum. Neque obstat voc.* adhuc, *quod forte interpretes decepit, namque* huc vsque *fuit crudelis.*

CRVX *de homine alios cruciante* Ter. E. 2, 3, 91. illis *crucibus* h. e. *meretricibus, nostram a-*

dolescentiam cruciantibus.

CVBARE cum *venustate, rem pingente, de loco depresso, leuiter decliui.* Hor. od. 1, 17, 11. Vlticae *cubantis* leuiter personuere saxa. * *aegrotare, et iacere in lecto.* Id. Serm. 1, 29, 18. Trans Tiberim longe *cubatis* prope Caesaris hortos. *Adde* Serm. 2, 3, 289. Epist. 2, 2, 68.

CVBITALE *puluillus, qui cubito coenantis supponi solebat.* Hor. Serm. 2, 3, 255.

CVBITVS pressus, *de discumbentibus ad coenam, cubito innitentibus.* Hor. od. 1, 27, 6. *Cubito* remanete presso. *venustet! non rixas agite, non mouete cubitus litigantes: solent irati vagari, et agitare brachia et manus.*

CVCVLLVS *auis ridicula, pigra et obliuiosa, nam et obliuiscitur sui nidi, et sua oua aliis auibus fouenda relinquit.* Vet. Schol. *ad* Hor. Serm. 1, 7, 31. Magna comellans voce *cuculum. Exprobratio foeda putantium vites.*

CVDERE Ter. H. 4, 3, 19: Ego argentum *cudo*, quod tibi dem. *Dictum ambigue et iocose.* * Id. E. 2, 3, 89. faba *cudetur in* me, *vid.* Faba.

CVIVS Ter. H. prol. 8. Nunc *qui scripserit*, et *cuia Graeca* sit, ni partem maximam existimarem scire vestrum, id dicerem. *Prologus nempe dicit, non esse necessarium, primo eum*, qui scripserit, *(scil. latinam comoediam)* Terentium *nominare; nec indicare etiam*, cuia Graeca sit, *i. e. a quo graece sit scripta, scil. Menandrum, quoniam plurimis hoc satis notum sit. Iure mirari quis posset, tantum fuisse apud Romanos Graecarum literarum studium et amorem, vt fere quiuis e populo graecarum comoediarum auctores cognitos haberet.*

CVM *praeterquam quod* Ter. Ph. 1, 4, 10. Ehem! me miserum! *Cum* mihi paueo, *tum (noch dazu)*

ζω) Antipho me excruciat animi.

CVMERA I. cumerum; vas ingens, vimineum aut fictile, non absimile dolio, quinque l. sex modiorum, in quo reconditur, et reponitur frumentum. *Vet. Schol.* ad Hor. Serm. 1, 1, 53. Cum tua plus laudes *cumeris* granaria nostris. *Id.* Epist. 1, 7, 30. Forte per angustam tenuis vulpecula rimam Repserat in *cumeram* frumenti *vid.* Vulpecula.

CVMQVE *pro* quandoque *l.* quotiescunque, *rarum voc. ab Horat. forte hac significatione cusum, vt alia plura.* Hor. od. 1, 32, 15. Mihi cunque (*leg.* cumque *necessario!*) salue Rite vocanti. *Bentleius emendat* cuique. *Heuman. in* Poecile s Tom. 3. p. 22. mihi nunc resolue; *quod video et Gesnerum in Thesauro L. L. monuisse. Sed vulgata lectio* cumque, *vera. vid.* Cuning. Animaduers. c. 13. p. 239. sqq. *qui etiam* Lucretium L. 2, v. 113. *citat, et* Fabri Notas p. 438.

CVLPARE aquas *venuste dicit et dulci metaphora* Hor. od. 3, 1, 30. arbores, *quae scilicet* aridae, *egentes aquae, fructum ferre non possunt, quasi se excusent domino. Elegans etiam est emendatio Gesneri* ibid. vers. sq. 31. nunc torrentia *agro* sidera, *pro* agros.

CVPIDO sordidus, *de amore pecuniae,* Hor. od. 2, 16, 15.

CVPPA Hor. Serm. 2, 2, 123. Post hoc ludus erat *cuppa* potare magistra. *locus vexatissimus! Ita, vt posuimus, fert nostra editio et Lambiniana. Sensus: nullum alium regem conuiuii et magistrum poculi habentes, vt alias mos* (*vid.* Thaliarchus:) *nisi ipsam cuppam. Bentleius in disputatione integra quadam ad h. l. conscripta coniicit aut leg.* nulla potare magistra; *quae quidem nulla emendatio; aut* cupa pot. mag. *vt ipse edidit;* cupa *vero tum est mulier quae vinum e taberna vendit* καπηλις. *Sed vt nil aliud dicam, quam stul-*

te diceretur, illa muliere archipoſia bibimus? MSS. et libri omnes conſtanter legg. culpa potare magiſtra h. e. *ita vt reginae noſtrae compotationis ſit* culpa lapſus, *vbi quis per imprudentiam non attendiſſet ad verba praebibentis, multabatur poculo. Hanc Baxteri explicationem, vel ideo amplector, quod Vet. Schol. eam confirmat*, morem fuiſſe antiquis, *innuens*, dicere ſe magiſtram facere culpam; *et omnes libri Vet. conſentiunt. Sequitur eam etiam Sanadon. Geſnerus docte reſpicere iubet ad* leges inſanas Serm. 2, 6, 68.

CVPRESSVS Hor. Art. 332. Carmina linenda cedro et leui ſeruanda cupreſſo. *vid.* Cedrus. *leuis* cupreſſus *eſt arca e tabulis cupreſſi bene politis* * Id. Art. 19. fortaſſe *cupreſſum* ſcis ſimulare *Vet. Schol.* Prouerbium hoc eſt in malum pictorem, qui neſciebat aliud bene pingere quam cupreſſum; ab hoc naufragus quidam petiit, vt fatum ſuum exprimeret; ille interrogauit, num ex cupreſſo vellet aliquid addi, μη τι και κυπαρισσε θελεις. *Carpere Horatium* poëtam, *qui vna tenui parte artis excellat, eamque adſuat vbicunque, loco etiam alieno, facile quiuis videt.* * *quia cupreſſi ſunt* funebres Hor. Epod. 5, 18. *dicuntur* inuiſae od. 2, 14, 23, *et bene ibi; cum vi in auarum, qui odit mortem.*

CVRARE *inuentum aliquem, pro* vt inueniatur Ter. A. 4, 2, 1. Vbi vbi erit, inuentum tibi *curabo* et mecum adductum. * Id. Ad. 5, 9, 5. Ego iſtos vsque a pueris *curaui* ambos ſedulo.

CVRATIO Phaedr. 5, 7, 12. Ad ſanitatem dum venit *curatio; rara locutio pro* dum ſanatur; *cui ſimilem illam tantum* Plin. 33, 3, *de auro:* quo ſaepius arſit proficit ad bonitatem: *inuenit Schefferus.*

CVRIALIS Ter. Ph. 5, 6, 10. *Curialis* vernula eſt qui me vocat. *Haec verba in plurimis Codicibus*

non

non exstare dicuntur. Primus, qui addendum e Codice quodam censuit, Goueanus est. Quoniam tamen in impressis libris hodie leguntur, adferamus explicationem. Dicitur curialis *idem esse qui Graecis est* δημοτης *eiusdem pagi homo.* vid. Graeu. ad Cic. offic. libr. 2. c. 18. *Serui autem neque apud Graecos* δημον, *neque curiam apud Latinos habuerunt. Itaque maxime placet Goueani explicatio, qui putabat,* curiales vernulas *dici eos seruos, qui dominis eiusdem curiae siue* δημῳ *seruirent.* vid. Popularis. *Ceterum Gesnerus in Thesauro istum versum omisit, vnde forte colligi possit, illum ei non genuinum visum fuisse.*

CVRIOSVS *pro sollicitus, rebus suis prospiciens.* 4, 21, 12. quidam *curiosior* Simonide tu ex opibus nil sumis tuis.

CVRRICVLVM currere H. 4, 3, 11. πλεοναζιμως, *ad* maiorem celeritatem significandam cf. Plaut. Rud. 3, 6, 17. * *pro* stadio, quo curritur Hor. od. 1, 1, 3, Sunt, quos *curriculo* puluerem Olympicum Collegisse iuuat. *Suauiter puluerem dicit* olympicum, *qui in certaminibus olympicis colligitur.*

CVRVATVS, ignes *curuati* Lunae Hor. od. 4, 2, 57, *vid.* Ignis.

CVRVLIS, ebur *curule, de sella curuli, insigni illo magistratus maioris* Hor. Epist. 1, 6, 53. Cui libet is fasces dabit eripietque *curule,* Cui volet importunus *ebur; de eo qui valde gratiosus in tribu sua efficere potest, vt aliquis, ambiens magistratum, quam plurima suffragia accipiat.*

CVTIS tonsa Hor. Epist. 1, 18, 7. Qui se commendat *tonsa cute,* dentibus atris: *i. sima rusticitate praeditus, et sic, vt virtutis assectator rigidus, amicis placere studeat.* vid. Adrasus. * cutem. curare *prouerb. de vita otiosa, Epicurea.* Hor. Epist. 1, 4, 15, 16. et Epist. 1, 2, 29.

CYATHVS, *duodecima pars sextarii, quasi ma-*

ius cochleare, quo vinum infundebant in pocula temperandum cum aqua Hor. od. 3, 19, 11. Tribus aut nouem Miscentur *cyathis* pocula comodis. *Qui locus ita non capiendus, vt vulgo fit, de ebibendis tribus tantum poculis, aut adeo cyathis, quo nihil magis falsum esse potest; cum in ipsa* ode 8. libr. 3, 13, centum cyathi *explendi essent, sed sic, vt* cyathus *sit mensura, non poculum.* Miscentur, *inquit*, pocula *ita, vt in quouis poculo tres cyathi vini infundantur, temperandi cum cetera poculi aqua. Cum vero sit* cyathus *duodecima pars sextarii s. poculi h. l. (quia sextarius est* As *ratione cyathi) vult tertiam partem vini admisceri aquae, qui erat mos vsitatissimus, etiam apud Graecos, vnde de bono vino illud notum* Φερει τα τριτα. *Sic vere interpretari mihi h. l. et recte videor. Sed iam videbis, aut leg. esse cum Bentleio* Miscentor, *vt pro imperio quasi iubeat modimperator vates, aut cum Cuningamio* comodum *pro* commodis, *quam vocem quidem Gesnerus explicat cum Vet. Schol. per* aptis, sobriis, *quod non plane improbo, et* Klotzius Vindic. pag. 215. *per* plenis. *Sed quid tum* miscentur? *Saltem vemustior est Horatius, si aut legatur* miscentor, *aut, quod mihi elegantius etiam videtur* commodum. Bene *inquit vates*, recte, sine vllo damno misceri possunt tres cyathi vini cum aquae poculo: *Nonne sic tibi placet Horatius? Reliqua etiam hac ratione melius intelligentur, et lenius fluent. Plane sic etiam pro* mensura cyathus Hor. Serm. 1, 1, 55. Vt tibi si sit opus liquidi *i. aquae; more graeco*, non amplius vrna Vel *cyatho.*

CYCLICVS scriptor Hor. Art. 136. *est aut scriptor et poëta cycli epici de quo vid. Voc.* Orbis, *aut merus rerum descriptor, qui res, vt gestae erant, absque vlla fictione,*

ne, et arte scriberet, vt in Achill. Statius. vid. *singularem dissertat.* C. G. Schwartzii *de* poëtis cyclicis, *et* Turneb. 19, 9.

D.

DAMNATVS, vrbs *damnata*, i. *destinata ad perniciem* Hor. od. 3, 3, 23. Ilion — damnatum. *Ego vero profecto malim cum Bentleio legere* damnatam, *vt et obscuritas et ambiguitas euitetur; quippe interuenit* τὸ puluerem, *dubiumque prima facie reddit, vtrum* Ilion damnatum, *an* puluerem damnatum *velit. Ilion foeminino genere occurrere, satis probabit exemplis Bentleius ad h. l.*

DAMNOSE bibere, *cum damno hospitis* Hor. Serm. 2, 8, 34. Nos nisi *damnose* bibimus, moriemur inulti; *comice et festiue* cf. praeced.

DAMNVM Ter. Heaut. 4, 1, 15. *Quum Chremeti ab vxore filia nuper recognita* indicaretur, *perquam iocose Syrus,* Ergo, *inquit,* herus damno auctus est. *Nostri fere, velut ille auarus apud Rabenerum, dicerent: Wieder ein fressendes Capital mehr. Sic Menander in* ανεψιοις *dixerat* θυγατηρ κτημ' εστιν εργωδες πατρι. *et in* αλιει. χαλεπον γε θυγατηρ κτημα και δυσθιασετον. *Mira vero in nostro loco lectionum varietas. Equidem sic recte et ex mente Terentii legi arbitor.* (v. 13.) Meministin, me esse grauidam, et mihi te maxumo opere interminatum, Si puellam parerem, nolle tolli? Ch. Scio quid feceris: sustulisti. Sy. Sic est factum: *domina ego, herus damno* auctus est: Sc. Minime: sed erat hic anus Corinthia haud impura, cet. *Nec mea haec est emendatio, sed quam bene praecepit* Acidalius *ad* Vellei. Paterc. libr. 1. *in fine* pag. 124. ed. Burm. *Cum e verbis vxoris sublatam filiam coniiceret Chremes, quam interimi voluisset: astutus seruulus, et mores mulierum*

lierum optime doctus, idem statim coniicit, et secum, siue adeo ad spectatores; Plane istuc est, *inquit*, mihi hera noua nata est, domino damnum. *Haec Syri verba interponuntur velitationi Chremetis et Sostastrae. Haec vero*: Minime *inquiens*, sed erat hic etc. *non respondet seruo, sed marito.*

DARE *explicare, enarrare.* Hor. Serm. 2, 8, 4. Ter. Heautont. prol. 10. Nunc, quam ob rem has parteis didicerim, paucis dabo. * *edere.* Ter. H. prol. 33. Cum dabit alias nouas *scil. comoedias* * *perpetrare, facere, committere* Ter. Ad. 3, 4, 4. pol haud paternum isthuc dedisti. * dari *pro occurrere*, obuiam venire, alteri secum colloquendi copiam facere. Ter. Heaut. 4, 4, 10. Te mihi iam ipsum optabam – Obuiam dari. * dare malum Ter. E. 3, 3, 2. Nimirum *dabit* haec Thais mihi magnum *malum.* adde A. 1, 1, 6. * solertem aliquem Ter. E. 3, 2, 25. *praestare.* * silentium Id. Hec. prol. 56. * Phaed. 1, 13, 2. Qui se laudari gaudet verbis subdolis, Serae *dat* poenas turpes poenitentiae. *In constituendo versu variant libri. In schedulis P. Danielis fuit teste Gudio:* Serae dant poenas turpes poenitentiae; *at habere videmur, quo nos tueamur cum affirmemus, hunc codicem pluribus in locis a scriptore correctum fuisse, quo vera lectio paullo obscurior planior redderetur. Nos h. l. veterem lectionem amplecti malimus:* qui se laudari gaudet verbis subdolis. *Fere* dat poenas turpi poenitentiae. *Fere est* plerumque; *sic saepius:* v. c. vt *fere fit* &c.

DAVVS, persona comica Menandriana, Hinc Hor. Art. 114. Intererit multum *Dauusne* loquatur, an Herus i. e. *seruusne an Dominus; patet, longe diuersas esse personas, adeoque discriminari inter se eorum orationem etiam debere. Ita enim non dubito legendum esse. Alii legunt* Dauusne loqua-

loquatur, an Heros. *Sed vt alia omittam, character Dei et herois non adeo est distans inter se quoad orationis genus, vt, quae sequuntur apud Hor. eis adiungi possent. Alii Dauum et Heroa duo faciunt seruos Menandrianos legentes vt nos:* Dauusne loquatur *an Heros* Sed *nec eorum oratio e diametro vt senis et iuuenis sibi opponi poterat; huc pertinet etiam Hor. Serm.* 1, 10, 40. *Dauoque* Chremeta Eludente senem cf. Terentii Andriam.

DE *pro* ex, e, *in Ter. Ad.* 3, 1, 11. *Clamat de* via Phaedr. 1, 16, 6, *de* conspectu fugere. Id. 1, 13, 3, *de* fenestra raptus caseus Hor. od. 2, 7, 23, *de* conchis capacioribus sunde. *Adde* od. 1, 31, 2. * *inde ab* Ter. Ad. 5, 3, 55. de nocte it. 5, 9, 8. de die. vid. dies. *de* luce media Hor. Epist. 1, 18, 19. *Ita enim cum Bentleio legimus. Adde ibid. vers.* 91. et Id. Epist. 1, 14, 34. Serm. 2, 8, 3.

DEBELLARE: rixa *debellata*. Hor. od. 1, 18, 9.

DEBERE *plane graeco more, ad quem omnino Horatius linguam suam mirifice accommodauit.* Od. 1, 14, 15. Nisi ventis *debes* ludibrium, h. l. *nisi vis ludibrio ventis te agitantibus esse. vid. Graecas eiusmodi formulas apud Lambinum ad h. l.* * *alicui* Ter. E. 5, 2, 22. *est iniuriam facere. Debeam*, Credo isti quicquam furcifero, si id fecerim *Nostri dicerent.* Ich würde ihm auch wohl noch zu viel thun. * Detentia dici Hor. Art. 43. *non, quae proxime dicenda venebant, vt intelligit Baxter, et alii omnes. Nam ab omnibus hucusque iste locus praeter veritatem de more explicatur, quo solent poëtae auditorem statim in medias res immittere, relictis aliis in initio, suo tempore reuocandis, vt in comoediis, epicis aliisque carminibus fieri usu venit, quod etsi per se ad naturalem ordinem pertinet,* vid. Annotat. Battesii ad h. l. in der Einleitung

leitung zu den schoenen Wissenschaft. Ed. Ramler T. III. p. 234. *tamen Horatius non docuit h. l. qui nihil aliud, pro more suo breuiter praecipiendi, nisi, suo quaeque loco, vbi iubet opportunitas, dici debere, praecipit. Induxit in hunc errorem interpretes praua horum versuum distinctio, et in ipsa Gesn. edit. adhibita, quae ponit incisum post* voc. dicat *vers.* 43. *et coniungit* debentia dici Pleraque: *Ego vero audacter, veritate iubente sic distinguo:* Vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici, Pleraque differat, et praesens in tempus omittat. *Ipsum verbum* debentia *fauet meae interpretationi et correctioni, quin etiam flagitat eam. Contextus vero rem magis et satis firmabit.*

DEBILITARE, *de hyeme, tempestatibus infestante mare* Hor. od. 1, 11, 5. Quae (hyems) nunc oppositis *debilitat* pumicibus *mare. Suauiter* debilitare *de fluctibus fractis ad moles et aedificia in mari collocata.*

DECEMBRIS libertas Hor. Serm. 2, 7, 4. *est illa quae Saturnalibus XIIII. Kal. Ianuarias seruis dabatur* impune, quicquid liberet, inter opipares epulas, loquendi.

DECEMPEDA, *pertica decem pedum qua metabantur terram.* Hor. od. 2, 15, 14. Nulla *decempedis* Metata priuatis opacam Porticus excipiebat Arcton.

DECENS, Hor. 1, 18, 6. *decens Venus est pulchra omni parte corporis quasi statua, ad regulam exacta.* vid. Burm. ad Petron. 128, p. 793. * *pro* decorum id. Epist. 1, 1, 11.

DECENTER Hor. Art. 92. Singula quaeque locum teneant sortita *decenter.* Bentlei. Cuning. Sanadon. *legg.* decentem; *quod mihi vehementer placet, etsi non nescio, eiusmodi aduerbia Horatio alias esse perquam familiaria. Longe elegantius enim;* decens *locus, quam* sortiri decenter.

Est

Est profecto etiam compositio tum dulcior.

DECERNERE existimare, putare Ter. H. 1, 1, 95. Hec 2, 1, 15.

DECIDERE, *de comis tonsis non amplius altis* Hor. 4, 10, 3. Quae nunc humeris inuolitant, *decidere nt* comae vid. comae. * decidit *pro* mortuus est Hor. Epist. 2, 1, 36. Scriptor, abhinc annos centum qui *decidit.*

DECIPERE Hor. 2, 13, 38. Prometheus et Pelopis parens *Dulci* laborum decipitur sono; *Graecorum exemplo*, decipitur *pro obliuiscitur. Sed Bentleius emendat:* Dulci laborem Decipitur cet. *item ad Graecorum consuetudinem, fallitur, ne sentiat molestias, vt dicitur fallere laborem; passiue sic etiam saepe dici, ostendit Bentlei. ad h. l. cogita ipse quae lectio tibi magis arrideat. Gesnerus et Cuningam. a parte Bentleiana stant; et ego auctor sim, vt eis accedas.*

DECLAMARE poëtam Hor. Ep. 1, 2, 2. Troiani belli scriptorem, maxime Lolli, dum tu declamas Romae Praeneste relegi; *intelligo hic ego* pronuntiationem rhetoricam, *id quod nos dicimus* declamiren; *Vet. Schol.* declamas, quia orator erat *sed cum esset hic Lollius adolescens vid. vers.* 68. *et quidem maximus natu*, (*hinc* maxime Lolli. v. 1.) potius *cum Baxtero de exercitatione in schola intelligendum, vbi etiam adolescentes cum actione quadam pronuntiabant poëmata Gesnerus in Thesauro h. l. quidem citat, sed inde aliquis credat, esse h. l. ex ficto themate se exercere, quod non est.*

DECLINARE *in aliquam, Spreta amata aliqua, aliam complecti* Hor. 1, 33, 7. Cyrus in asperam *declinat* Pholoen.

DECOLORARE: *colorem vitiare, vt sanguine flumina.* Hor. od. 2, 1, 35. Quod mare Dauniae Non decolorauere caedes?

DEDICATVS Apollo Hor. 1, 31, 1. *est, aut cui sacellum dedicauit vates,*

grae-

graeca figura, aut potius signum Apollinis ei dedicatum. *Non hic cogitandum de templo Augusti Apollini dedicato, non de secularibus ludis vt alii fecere; poëta tantum ipse suum dedicatum Apollinem canit. Omnes hoc versus iubent, volunt.*

DEDOCERE Hor. od. 2, 2, 20. Virtus, populumque falsis *dedocet* vti vocibus. Bauerus *vir eruditus, in libro singulari* animaduersionum Horatian. reponendum suadet: virtus populique falsis &c. i. *virtus dedocet (nos) vti falsis vocibus populi, non tribuere vocabula vel nomen beati iis, quibus vulgus tribuit, qua emendatione nil mihi elegantius, verius videtur.*

DEDVCERE *Suaui metaphora de tristi et moerente* Hor. Art. 110. Ad humum moerore graui *deducit* et angit; *sumtum a ramis arborum, hic autem pulchre pingit tristem, vultu dejecto, et capite, vocab. graues h. l. aptissimum ad efficiendam imaginem.* * *Idem ibidem* 129. *deducere* carmen Iliacum in actus. *Metaphora a filo sumta, vt volunt nonnulli; ego tantum ad Homeri Iliada respici credo, hinc scilicet deducitur in tragicam scenam.* * *Erat officium clientum, aut amicorum, comitari patronum e foro domum euntem; aut etiam hoc modo gratiam quaerere, quod dicebatur* deducere Hor. Serm. 1, 9, 59. occurram in triuiis, deducam. * Ter. E. 2, 3, 23. Si qua est habitior paullo, pugilem esse dicunt. *deducunt* cibum; *minuunt, detrahunt.*

DEDVCTVS *eleganter de eo, qui non consulto in aliquid incidit* Phaed. 2, 1, 7. forte viator est *deductus* in eundem locum.

DEESSE Hor. Epist. 2, 2, 52. mire! quod non desit habentem cet. i. *certum annuum vectigal et reditus possidentem, qui quotannis ex fundo et villa redeant.*

DEFECTVS simpliciter, *de eo, qui est confectus,* de-

debilitatus, languidus. Phaedr. 1, 21, 3. annis *defectus h. e. qui prae* annis deficit, *idem fere quod* Phaedr. 4, 1, 10. *dicit:* annis et senecta *debilis. Sic etiam Martial* 13. Ep. 77. *dulcia defecta modulatur carmina lingua* * *destitutus, quem aliquid deficit* Phaedr. 5, 6, 2. *pilis defectus. Vtramque significationem coniungit Columella* in praef. libr. 1. lecticariorum *defectissimum* annis et viribus in agrum relegat.

DEFENDERE *seruare agendo* Hor. Art. 1 794. Actoris partes chorus officiumque virile *defendat* v. Virilis **prohibere, arcere* Hor. od. 1, 17, 3. Faunus et igneam *defendit* aestatem capellis: *et saepius alibi.*

DEFICERE Hor. Epist. 1, 4, 11. Mundus victus, non *deficiente* crumena.

DEFLVERE *dicitur* toga, *vbi non composita et inconcinne vltra talos demittitur*, Hor. Serm. 1, 3, 31. Rusticius tonso toga *defluit.* Vet. Schol. *Virgilium hic figi* notat, *cuius eiusmodi habitus fuisset* cf. Epist. 1, 1, 95. *vbi Gesnerus valde lubrica fide niti, quae de Virgilio ferantur, bene monet.*

DEFRAVDARE *genium* Ter. Phor. 1, 1, 10. *suum defraudans* genium comparsit miser. *vid. de eleganti h. l. voc.* comparcere.

DEFVGERE vid. *auctoritas.*

DEFVNGI, *calamitate liberari* Ter. Ph. 5, 9, 32. Cupio misera in hac re iam *defungier* i. e. *vtinam haec vltima esset iniuria mihi a viro meo illata! Contenta essem si sic discederem etc. deinde addit:* Sed quid sperem &c. *Dacieria hoc in loco tota aberrauit via; Sic enim translatum dedit:* Je veux *rompre* avec lui pour toujours! *car* que puis je esperer. *Luce meridiana clarius est, hoc omnino verbis Terentii repugnare. ceterum* cf. Ad. 3, 4, 62.

DEGRVNNIRE Phaedr. 6, 5, 27. scurra degrunnit prior. *Indicat Phaedrus simul totum habitum*

ac

ac positum corporis huius scurrae in scena; nimirum grunnit inde a sinu, in quem caput demiserat.

DEIECTVS *proprie, de victis atque feris occisis*; Erleget. Phaedr. 2, 1, 3. super iuuencum stabat *deiectum.*

DEIICERE *erat tribunorum plebis, damnatos de saxo capitolino, a rupe Tarpeia deiicere*, inde Hor Serm. 1, 6, 39 Tune Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes *Deiicere* e saxo ciues, (Tribunus) aut tradere Cadmo? *i aut mittere in exilium*; *Cadmus enim mons Asiae, vt explicat h. l Crucquius, aut, quod magis placet, tradere morti. Cadmus enim notante* Vet. Schol. *fuit Carnifex notus; et hoc erat triumuirorum capitalium* vid. Plaut. Amphitr. 1, 1, 3. Quid nunc faciam, si tres viri me in carcerem conecerint. *Solebant hi triumuiri damnatos a praetore tradere Carnifici supplicio afficiendos. Vnde fit, vt de exilio cum Crucquio non cogitandum sit.*

DELECTARI *cum infinitiuo* Phaedr. 5, 3, 9. quae *delectaris* bibere humauum sanguinem: *et saepius.*

DELIBATVS, *perfusus, diffluens* Ter. 5, 6, 15. Satin' est, si te *delibatum* gaudio reddo.

DELICATVM *omne dicitur, quod est pretiosum atque venustum, ad pompam et ostentationem compositum.* vid. Cuperi *obseru.* 1, *c.* 3. *Phaedr.* 4, 4, 26. cf. vers. 34. Id. 5, 1, 13. Veniebat *gressu* delicato et languido; *molli, cuius vestigia extra mensuram non aberrant.*

DELICIVM Phaedr. 3, 20, 8. *delicio* suo quidnam fecissent. *Non est, quod de puerili scorto hic intelligas, quod delicium quoque vocatur*, vid. Burmannum ad h. l. *Caeterum notari meretur haec Phaedri locutio, similis Plautinae* Bachid. 2, 2, 100. Tantas diuitias habet, nescit quid *faciat auro, mit dem Gelde. Sic Terentius* H. 4, 3, 37.

3, 37. Tu fortasse, quid me fiat, *parui* curas.

DELITIGARE *pro* acriter litigare Hor. Art. 94. *sic et alia verba:* Desaeuire, deproeliari *&c.*

DEMENS, ex aliqua, *de amore incredibili atque ardentissimo* Ter. Ad. 3, 1, 11. *Adeon' est, demens* ex peregrina? *strepitus Hor. 3, 19, 23. Audiat inuidus Dementem strepitum Lycus i. *Auarus ille vicinus Lycus audiat nos furentes* dulce, et strepitum facientes bacchando. *In vocabulo* Dementem *Ethopoeia est: ita enim Lycus eum appellat.*

DEMISSVS, *pro humilis, abiectus* Hor. Serm. 1, 3, 57. Probus quis Nobiscum viuit? multum est *demissus* homo: *appellamus probum eum, vilem, abiectum.*

DEMOVERE, Hor. Serm. 1, 1, 38. Te neque seruidus aestus *demoueat* lucro. Neque hyems, ignis, mare, ferrum. *Baxterus legi mallet* dimoueat, *sed causam nullam video; elegans est et politicum* demouere *adeo vt etiam pro* dimoueat *reponerem lubens in* Hor. 1, 1, 13. Gaudentem patrios findere sarculo Agros Attalicis conditionibus Nunquam *dimoueas. Est breuiloquentia; non qs. mouere eum (agricolam) ab agro suo poteris, et ad conscendendam nauem perducere.* Reiskius *leg. coniicit:* Vnquam Non moueas cet.

DENORMARE, *decurtare, inaequalem facere; Est enim norma, ad quam mensores fines aequales dirigunt habita perpendiculi ratione* Vet. Schol. ad Hor. Serm. 2, 6, 9. O si angulus ille Proximus accedat, qui nunc *denormat* agellum.

DEPECTERE Ter. Heaut. 5, 1, 77, 78. si viuo (Syrum) adeo *exornatum* dabo, adeo *depexum* vt, dum viuat, semper meminerit mei, *Comica plane omnia! adeo duris verberibus ipsum excipiam, sic male mulctabo eum. – Ducta e re praesenti metaphora, quoniam aderant nuptiae, filiae Chremetis*

cum

cum Clinia; cuius festi causſa se ornare, comere, pectere solebat.

DEPERDERE summa, i. *perdere de summa* Hor. Serm. 1, 4, 32. Ne quid Summa *deperdat* me tuens, *vid.* Desurgere.

DEPERDITVS Phaed. 1, 14, 1. Sutor inopia *deperditus*, *paupertate eo perductus*, *vt artem suam exercere non posset.*

DEPROELIARI Hor. od. 1, 9, 11. Venti aequore feruido *deproeliantes*. *Bene* feruidum aequor; *est illud* Herodoti ζεσασῃ θαλασσῃ. *Dacierii somnium de latente stoicorum doctrina*, *Deos minutissimarum rerum curam non gerere*, *quam h. l. irrideret poëta*, *refutauit iam*, *et descriptionem tantum poëticam esse immensae potestatis Deorum docuit* Klotzius *in libello* de felici audacia Horatii opuscul. pag. 135.

DEPROPERARE, per breuiloquentiam *properando efficere* Hor. od. 2, 7, 24. quis vdo *Deproperare* apio coronas Curatue myrto? i. *celeriter properans nectere curat coronas ex apio &c.*

DEPVGNARE, *ita pugnare*, *vt hostem deiicias bellumque conficias* Phaed. 5, 2, 5.

DERIPERE Hor. od. 4, 15, 7. signa *derepta* Parthorum superbis Postibus. *pro erepta*, *retracta* * *de vi carminum venesicarum.* Hor Epod. 17, 78. *Deripere* Lunam vocibus possum meis. *deducere*, *vt* carmina de coelo possunt deducere Lunam. *bene autem* decipere *in ore Canidiae venesicae vim suam iactantis.* Crucquius *explicat* deorsum rapere ex superiori loco. *Adde* Epod. 5, 46. Quae sidera excantata voce Thessala Lunamque coelo *deripit*. *Qui plura de his Thessalicis magis cupit*, *inueniet* apud Plin. libr. 30. c. 1.

DERISOR, *dissimulator*, εἴρων, *qui fingit se nescire*, *quae probe norit.* Hor. Serm. 2, 6, 54. Vt tu semper eris *derisor* * *fictus amicus*, *qui inhonesta*

neſta adulatione riſum captat diuitis patroni, ſcurra, εἴρων etiam graecis dictus, aſſentator ridiculus et facetias captans, γελοτοποιος qualis Philippus in Sympoſ. Xenoph. c. 1. Hor. Art. 433. *vid. apud eundem* Epiſt. 1, 18, 11. ſeq. eius imaginem *viuis coloribus depictam.*

DESCENDERE *in aures* Hor. Art. 387. ſi quid tamen olim ſcripſeris in Metii *deſcendat* iudicis aures. *Fuit* tum *Spurius Metius* Tarpa *doctus et ſeuerus carminum exiſtimator.** Hor. od. 3, 2, 7. *Ad Amphoram bene:* deſcende Coruino iubente, promere languidiora vina. *Cogita hic vina veterum, vt moris erat, poſita in Apotheca, editiori parte aedium.* vid. Amphora.

DESCRIBERE Ter. Eun. prol. 7. *eſt actoribus perſonas dare, ex Weſterhouii ſententia: Alii, inter quos Bentleius, malebant h. verſum ita legere. qui bene* vertendo et easdem ſcribendo male: *vt ſignificetur, La-uinium nimis anxie atque ad verbum tradidiſſe comoedias. Guyetus autem ita reponit:* Qui male vertendo, et eadem ſcribendo male &c. *atque interpretatur:* ſenſum auctoris non exprimendo, atque barbara dictione vtens. *Eadem vero* per ellipſin *poſitum eſſe dicit pro eadem opera. Nonne optime tibi placet Bentleii ratio? Sed non opus vt emendemus, et legamus* ſcribendo *pro* deſcribendo.

DESIDERE *pro ſimplici* ſedere Phaed. 2, 4, 21. ruinam metuens, aquila ramis *deſidet; eleganter ſubinnuit ignauiam aquilae ex pauore.*

DESIGNATOR. *ſunt* deſignatores funerum mancipes, et ordinatores; nam deſignare eſt ordinare, vnde et qui locum theatris ſpectatoribus diſtribuebant, deſignatores dicebantur. *Vet. Schol.* ad Hor. Ep. 1, 7, 6. dum ficus prima (*auctumno enim ficus primum matureſcunt, cuius temporis hi verſus ſunt deſcriptio,*) colorque *deſi-*

gnatorem decorat lictoribus atris i. e. *multi moriuntur; venuste ministros libitinarios atratos vocat lictores.*

DESIGNARE *efficere inusitatum et nouum quiddam, moliri aliquid.* Hor. Ep. 1, 5, 16. Quid non ebrietas *designat*, operta recludit.

DESILIRE in arctum apud Hor. Art. 134. eleg. *de imitatore, qui nimis duras sibi leges fancit, qui non vult paullulum secedere ab archetypo suo, et quasi vt capra apud Aesopum in puteum desiliens* fab. 4. et 284. *non potest se expedire angustiis*; *et* clauso haeret vado Phaedr. 8, 4, 12.

DESINERE *cum casu secundo graeca elocutione* Hor. 2, 9, 17. *Desine* mollium tandem querelarum.

DESTINARE *figurate et eleganter* Hor. od. 3, 13, 5. Cui (haedo) frons turgida cornibus Primis et Venerem et proelia *destinat* i. e. *quasi deliberans secum et cogitans, et deligens Venerem, suumque aduersarium, cum quo proeliabitur. Videbit quisque quanta sit huius imaginis suauitas et felix audacia.*

DESTRICTVS, *de tunica ad inferiores partes stricta* Phaedr. 2, 5, 13. Cui tunica ab humeris linteo pelusio erat *destricta, tunicam ab humeris demiserat ad ilia, ibique adstrinxerat, ita vt brachia, et pectus haberet nudum.*

DESVRGERE Hor. Serm. 2, 2, 77. vides vt pallidus omnis coena *desurgat* dubia i. *de coena surgat. vid.* deperdere *et* Dubius.

DETERERE *eleganti metaphora a ferro ducta pro minuere, tenuare magna modis paruis* Hor. 1, 6, 26. Musa vetat laudes egregii Caesaris et tua, Culpa *deterere* ingeni. *belle!* culpa ingenii.

DETERGERE *de ventis nubes dispellentibus, et serenitatem creantibus, imagine vt audaci sic vere poëtica!* Hor. od. 1, 7, 15. Albus vt obscuro *deterget* nubila caelo Saepe

Saepe Notus. *vid.* Albus.

DEVICTVS Ter. Hec. 1, 2, 93. Hic animus partim vxoris miseria *Deuictus*, partim victus huius iniuria. *Melius esse puto, vt legatur deuinctus, quod Bentleius et Westerhou. receperunt.*

DEVIVS *de Bacchante vagante, errante* Hor. od. 3, 25, 12. vti mihi *deuio* Ripas et vacuum nemus mirari libet! *Bentleius legit* riuos, *male, nam ripae h. l. idem iam sunt, figurate, quod riui, sed saepius* ripas *in* riuos mutare *male conatur.* * scortum. Hor. od. 2, 11, 21. Quis *deuium* Scortum eliciet domo Lyden? *Sunt qui explicent*, non publicam meretricem, paucis cognitam, nam *deuia* sunt ἀνοδα, difficilia aditu et ardua. *Sed ego sequendum arbitror* Cruequium *qui intelligit* meretricem *domos cognitas oberrantem, corpore ibi merentem, cithara canentem. Tales fidicinae passim et apud Horat. occurrunt.* vt od. 3, 14, 21. Dic et argutae properet Neaerae. Adde od. 3, 11, 6. et Iuuenal. 3, 62. et cf. Turneb. aduers. 11, 23.

DEVOCARE, *ducere, pellicere* Phaedr. 3, 5, 1. Successus ad perniciem multos *deuocat. Adde Eund* 1, 20, 2.

DEVOLVERE, *significanter de poëta dithyrambo rum, qui plenus Bacho de ore voluit quasi verba grandia, noua.* Hor. od. 4, 2, 10. *de Pindaro*, Seu per audaces noua Dithyrambos Verba *deuoluit.*

DIANA *iracunda lymphatos efficere* σιληνιτας *credebatur.* Hinc resp. Hor. Art. 454. Quem vrget – Aut fanaticus error et *iracunda* Diana.

DIARIVM, *vnius diei demensum* Hor. Ep. 1, 14, 40. Cum seruis vrbana *diaria* rodere mauis. *Belle, rodere, de victu illo, auido, et sollicito.*

DICTA Phaed. 2, Prol. 10. Sed si libuerit aliquid interponere, *Dictorum* sensus vt delectet varietas. *Intellige de iis, quae ab eo scribuntur*

in hoc libro, ita enim Aesopum sequetur, vt saepius etiam de eo, quod ipse inuenerit, addat, quo lectorum animos delectet. Modestie sic vocat quoque artificiosam suam narrandi rationem, atque elegantiorem: non enim ita planus esse ac Aesopus in narrando esse voluit, sed paullulum poliuit. hinc orta est dictorum quaedam varietas, atque elegantia placens.

DICTARE voc. Iuris; *mutuo dare pecuniam quia creditor* dictat, *praescribit formulam syngraphae* Hor. Serm. 2, 3, 76. *Dictantis* quod tu nunquam rescribere possis *vid.* Rescribere * alicui litteras, *per breuiloquentiam, pro,* ad eum scrib ndos dictare puero scribae. Hor. Epist. 1, 10, 49. Haec tibi *dictabam* post fanum putre Vacunae. *Vet. Schol.* typographia! in Sabinis Dea quae sub incerta est specie formata; Varro *Mineruam esse dicit.*

DICTITARE *de publica opinione ab omnibus credita et palam vagante in ore* Hor. Epist. 2, 1, 17. Annosa volumina vatum *Dictitet* Albano Musas in monte locutas. Vet. Schol. *apprime: Quia Egeria nympha* dicebatur loqui cum Numa Pompilio in Albano monte. *cf.* Liu. libr. 1. c. 21.

DIDERE munia; *seruis distribuere* Hor. Serm. 2, 2, 67. Hic neque seruis, Albuti senis exemplo, dum munia *didit*, saeuus erit. *Vet. Schol.* quae quisque agat; tu rus ibis, tu granaria curabis etc. *qualis scena est apud Plaut.* Pseudol. Art. 1, Sc. 2.

DIDVCERE assem in partes; *de subducendis diuidendisque numeris; in rationibus.* Hor. Art. 326. Romani pueri longis rationibus assem Discunt in partes centum *diducere.*

DIECVLA, tempusculum Ter. And. 4, 2, 27. Eho impudens non satis habes, quod tibi *dieculam* addo.

DIES, Ter. E. 5, 6, (al. 7.) 19. Sed *in diem* isthic Parmeno est fortasse,

taſſe, quod minitare, tu *iam* pendebis h. e. *tu forſan aliquam, ſpero, vindictae tuae moram facies, vt mihi in praeſenti non ſit timendum, cum e contrario tua te poena* iam nunc, *hoc ipſo tempore manet. Vid.* Pendeo. * tempus Ter. Heaut. 3, 1. 13. falſum eſt, quod vulgo audio dici, *diem* adimere aegritudinem hominibus, *et ſic ſaepius.* * apparare de *die* conuiuium Ter. Adel. 5, 9, 8 *eſt iam a prima luce de parando conuiuio cogitare;* indicatque *luxuriam Graecis pariter ac Romanis moribus, ad ſobrietatem compoſitis, contrariam.* * Phaedr. 1, 16, 7. Vbi vos requiram cum *dies* aduenerit? *nempe reddendi mutui dati. Sic enim* dies *ſaepiſſime obuenit; eſt formula vero etiam:* venit dies, *in hac re frequens; vbi eſt voc. iuris.* Phaedr. 4, 10, 8. olim quum adſcriptus *venerit* poenae *dies.* * ſolidus *pro* integro Hor. od. 1, 1, Nec partem *ſolido* demere de *die.* Πεφοπαν ἡμας ἐυωχειν. Hom. *Pulchre autem* demere *ad* ſolidum, *translatio enim de ſumma* ſolida *ducta.*

DIFFERRE Ter. And. 2, 4, 5. Orationem ſperat inueniſſe ſe qua *differat* te, *i. e.* perturbet, *addit enim Dauus.* proin tu face apud te vt ſies.

DIFFICILIS bilis *de ira graui* Hor. od. 1, 13, 4. Feruens *difficili bile* tum et iecur.

DIFFINDERE: *vocabulum iuris ciuilis, ſignificans, rem differre, non abſoluere cauſſam; hinc lepide* apud Hor. Serm. 2, 1, 79. *Iure conſultus, audita quaſi cauſa vatis, accuſati criminis maledicentiae in ſcriptis ſatiris dicit: ſe nullo modo defugere poſſe, quin pronuntiet in ſententiam Horatii; Nonnulli leg.* diſſingere *q. e. mutare, emendare ſed melior noſtra lectio.* Cuiacius Obſeruatt. libr. 12. c. 18. *exponit:* nihil quidquam deducere de tua ſententia poſſum. * Hor. od. 3, 16, 14. *Diffidit* vrbium Portas vir Macedo. *Philippus empta ille ciuita-*

tum corruptionibus, vt ex historia sui temporis patet. cf. *Demost. Orat. de coron.* c. 19. πλεο νεκτημα μεγα ὑπηρξε Φιλιππω. παρα γαρ τοις ἑλλησιν – Φορων προδοτων και δωροδοκων – συνεβη γενεσθαι. *Adde orat. de falsa legat. passim. Eleganter* vir Macedo.

DIFFINGERE *pro* refingere Hor. od. 1, 35, 39. O vtinam noua (i. e. *repetita*) incude *diffingas* retusum (i. *hebetatum*) in Massagetas Arabesque ferrum. *Ita enses incude redacuas, ciuili bello fraterno sanguine maculatos, et hebetes, vt melius in Massagetas stringi possint. Bentleius leg.* defingas, *et pro* retusum, *cum Cuning. recoctum.* Sed *nil mutandum! * conuellere, aliud plane creare* Hor. 3, 29, 47. neque *Diffinget* (*Iupiter*) infectumque reddet Quod fugiens semel hora vexit * *male fingit, describit* Hor Ser. 1, 10, 37. *Diffingit* Rheni luteum caput i. e. *luteum facit describendo male. Alii legunt* Defingit i. e. *pingit, describit. quibuscum me facere non nego.*

DIFFVSVS, vinum *diffusum intell. ex lacu in amphoras et lagenas* Hor. Epist. 1, 5, 4. Vina bibes iterum Tauro (i. e. *cum secunda vice esset consul*) *diffusa.*

DIGITVLVS Ter. E. 2, 2, 53, 54. *qui mihi nunc vno digitulo* fores aperis fortunatus, nae tu istam faxo calcibus saepe insultabis frustra. *Suauis est locutio allegorica. Parmeno autem his verbis cauillatur Gnathonem, qui ei, quod cum domino a Thaide exclusus esset, illuserat. Vult autem hoc dicere. Noli gloriari, o Gnatho; namque spero me effecturum, vt post biduum tu, qui hunc facilem* habes hic aditum, *cuique fores ita pateant, vt vel digitulo aperire eas possis, vt igitur breui post tempore cum domino tuo Thrasone plane excludaris, adeo vt ianuam tibi nemo aperiat*

riat, si vel calcibus eam insultares, ferires.

DIGNARI, *dignum esse putare adeoque aggredi* Hor Epist 2, 2, 86 Verba lyrae motura sonum connectere *digner?*

DILATOR, *qui semper procrastinatur, res differt timidus; vere senis aetati tributus character* ab Hor. Art. 172.

DILVDIA Hor. Epist. 1, 19, 47. Displicet ille locus clamo et *diludia* posco. *Vet. Schol.* Intermissionem et dilationem ludorum exposco. Diludia autem dicuntur tempora, quae gladiatoribus conceduntur inter dies munerum, quibus pugnatur, dilationes ludorum.

DIMINVERE Ter. Ad. 4, 2, 32. *Quod Syro ibi minatur Demea: Diminuetur* tibi quidem iam cerebrum: idem 5, 2, 6. *sic effert:* an tibi iam mauis cerebrum dispergi hinc!

DIMOVERE Hor. od. 1, 1, 13. Gaudentem patrios findere sarculo Agros, Attalicis conditionibus Nunquam *dimoueas, vid* Demouere.

DIONYSIA Ter. H. 1, 1, 110. Dionysia hic sunt hodie. *Vero simile est* h. l. *ea Bacchi festa, quae tempore Vindemiae ruri celebrabantur* Διονυσια κατ' ἀγρους *intelligi. Nec superfluum* est *hic; quoniam non omnibus locis eodem die obiri solebant. Id quod ignorasse videtur* Castelvetro, *qui in* opp. variis criticis p. 179. *poëtam nostrum erroris incusat. Ceterum Terentius* H. 4, 3, 11, vbi eiusdem festi *mentio fit, quantum vel in minimis rebus sibi ipse constet, ostendit.*

DIOTA *Secundum Lambinum vas est duarum aurium i. ansarum (quasi aures sint,* ὦτα) *quod latini appellant quadrantal, capiens* 48 sextarios. *Gesnerus vero de mensura dubitat* Hor. od. 1, 9, 8. Benignius Deprome quadrimum Sabina Othaliarche merum *diota.*

DISCESSIO *pro repudio* Ter. And. 3, 3, 36. si

eueniat, quod Di prohibeant, *discessio*. *vid.* Dissidium.

DISCINCTVS *nepos*, *pro homine molli, negligente rem familiarem* Hor. Epod. 1, 34. Haud paruero Quod aut auarus vt Chremes terra premam, *Discinctus* aut perdam vt *nepos*. *Erat luxuriosorum* discincta veste *ambulare*, vid. Senec. Epist. 114.

DISCVS *qui fuerit vid. in Ern.* Clau. Cic., sub h. voc. Hor. od. 1, 8, 11. saepe *disco*, Saepe trans finem iaculo nobilis expedito. *vid. infra* Expedire.

DISERTVS Ter. Eun. 5, 7, 10. *peritus*, *promptus*, *qui facile se ex aliqua periculo expedire potest*. *Westerhou. Dacieria.*

DISPAR, *de imbecilliori, viribus infirmiori* Hor. od. 1, 17, 25. Ne male *dispari* incontinenter iniiciat manus. *Aut refer* male *ad* dispar *et valet* valde dispar *vid.* Erhard. et Barhdt. ad Petron. 119. p. 720. *Ita et capit locum Reiskius; aut* male *referendum ad* iniiciat, *pro saeue, inhumane, quod nolim tamen h. l.*

DISPVTARE Ter. A. prol. 15. atque in eo *disputant* i. e. *a me alieni sunt, sententia sua mihi aduersantur, Refertur enim ad verbum vituperare.*

DISSIDIVM *pro* diuortium. Ter. A. 4, 2, 14. Valeant, qui inter nos *dissidium* volunt: hunc, nisi mors, mihi adimet nemo. *Adde* Hec. 3, 5, 26, et 52, 16.

DISSILIRE *eleg.* Hor. Ep. 1, 18, 42. gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque Zethi, *dissiuit. Notum est odisse Zethum pastorem Musicam et poesin, quibus vacabat frater Amphion.* Lambinus *ad h. l. rem pluribus auctoribus laudatis refert*, Athenaeo, libr. 7. Dione Chrysostomo, aliis.

DISSOLVERE se, *negotium quoddam a se remouere; veluti excusando.* Ter. H. 3, 1, 102.

DISSOCIABILIS, Oceanus dissociabilis, *actiue, qui sociari coniungique non potest.*

potest. Hor. od. 1, 3, 22. Nequicquam Deus abscidit Prudens Oceano *dissociabili* Terras. Bentlei. *leg. pro vulg.* oceano dissociabili; oceano *dissociabile, et refert ad* terras. *Cuningamius vero* oceano dissociabile, *aduerbialiter voc. sumto.* Reiskius *probata lectione vulgata explic. dissociabile mare per ἀμικτον, cum quo societas nulla possit contrahi, aut contracta aegre seruari, quia, fides ei nulla sit.*

DISTARE Hor. od. 4, 9, 29. Paulum sepultae *distat* inertiae celata virtus. *non decantata poëtis aut scriptis mandata.*

DISTINERE, *disiungere* Hor. od. 4, 5, 12. Quem Notus inuido flatu Dulci *distinet* a domo.

DISTINGVERE Hor. od. 2, 5, 11. *distinguet* autumnum racemus purpureo varius colore. intellig. *de uuis vel purpureo colore vel aureo nitentibus, quae quasi distinguunt autumnum coloribus.*

DIVES: *insulae diuites sunt campi Elysii, fortunatae insulae,* Hor. od. 4, 8, 27. lingua potentium vatum diuitibus consecrat *insulis; immortalitati tradit.* Vid. Eund. Epod. 16, 41. seqq. *vbi descriptio harum Insularum ampla, et vere poëtica.*

DIVIDERE carmina Hor. od. 1, 15, 15 Grata foeminis imbelli citharae carmina *diuides.* i. *per vices et alternis canenda distribues foeminis.* Ita *Gesnerus* secundum Vossium ad Catull. p. 239. Lambinus vero explic. *apte concinne, disposite, lyra canes a quo non dissentit Baxterus, sed ego.* Klotzius Vindic. pag. 30. *explicat, modo huic, modo illi foeminae aliquid iucundum decantare, distribuere cantica, vt quaeuis vnum accipiat.*

DIVIDVVM *dimidium* Ter. Ad. 2, 2, 30. Potius, quam venias in periculum, Sannio, Seruesne, an perdas totum!, *diuidium* face. *acquiescas dimidia parte,*

quaestus ac damni. Sic et Plaut. Rud 5, 3, 52, *Diuiduum* talentum faciam.

DIVINVS, sententia diuina futuri, i. *gnara, prudens* Hor. Art. 218. Vtilumque sagax rerum et *diuina* futuri, Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

DIVRNVS: vinum *diurnum, cui per totum diem vacamus. Audax et poët. epithet.* Hor. Art. 209. *Vino diurno* Placari Genius festis impune diebus, — coepit. vid. Turneb. Aduers. libr. 19. c. 9.

DOCERE graec. διδασκειν *edere fabulas dicitur poëta, vt actor* discere. Hor. Art. 288. cf Ter. H. prol. 10.

DOLARE *fuste, translate a fabris* lignariis, *qui dolabro ligna dolant,* et *satis festiue de grauibus ictibus.* Hor Serm. 1, 5, 23. Mulae nautaeque caput lumbosque saligno *Fuste dolat.*

DOLON *proprie ensis, aut cuspis ferrea recondita. Eleganter de aculeo suo per fastum dicit musca.* Phaedr. 3, 6, 3. vide, ne *dolone* collum compungam tibi.

DOLOSVS cinis, *qui celat et tegit ignes subiectos. Epitheton* venustum, in hac praesertim re Hor. od. 2, 4, 8. Incedis per ignes suppositos *cineri doloso.* αλληγοριικως *dissuadet poëta Pollionem, ne scribat tragoediam e bello ciuili ductam; quia offendere facile multos possit, vnde magna irae flamma nasceretur. Hic cinis dolose latens!*

DOLVS pro *culpa* Hor. Serm. 1, 6, 90. vt magna *dolo* factum negat esse suo pars. *non sua culpa, aut quodam delicto factum scilicet, vt parentibus ignobilis sit natus; Bene Torrentius* ad h. l. *Iure consulti sine dolo nullum graue delictum statuunt*

DOMESTICVS Hor. Art. 287. celebrare *domestica* facta i. *Romana. Sic et Cic. Orat. c.* 7.

DOMINANS; *dominantia* nomina Hor. Art. 234. Non ego inornata (*in condita*) et *dominantia* nomina solum Verbaque,

Piso-

Pisones, Satyrarum Scriptor amabo. *Sunt* κυρια, *propria*, v. c. *quibus res quantumuis obscoena proprie appellatur; haec enim laedent*, opp. ἀκυρα.

DORMIRE, *securum esse*. Ter. Ph. 5, 9, 18. dum tu *dormis*.

DVBIVS Ter. 2, 2, (al. 1.) 25. coena dubia apponitur. *Qualis haec sit explicat ipse* Phormio vers. 29, vbi tu dubites quid sumas potissimum. *Apparet inde lautam atque opiparam coenam intelligi*. *Horat.* Serm. 2, 2, 77. Vides vt pallidus omnis *Coena* desurgat *dubia*? *Baxterus explicat*, vbi incertum est, an sit sessura (*vid.* sedere) nec ne. *Pessime! cf. etiam Turneb. Aduers.* libr. 28. c. 4. *in sententia ipsa vers. seqq. videtur secutus* Platonem de republ. libr. 9. in fine. δηλον φαμεν αὐτον εἰναι δειν, σκεινε τε βελτιςε, και εχοντος ἐν αὐτω το θειον αρχων. *quem locum orae libri sui adscripserat* S. V. Semlerus.

DVCERE obliuia, *dulci metaphora, tamquam hauſtibus bibere, vt e poculo Lethaeo* Hor. Ser. 2, 6, 62. Ducere sollicitae iucunda obliuia vitae. * *cessatum* curas Hor. Epist. 1, 2, 31. *vid.* cessare * *de poemate, rariori significatu*. Hor. Epist. 2, 1, 75, si versus paullo concinnior vnus et alter, Iniuste totum *ducit* venditque poema h. e. *producit, iactat, vt explic. Vet. Schol. et Lambinus; sed quis iactat? an ipse versus? Ridicula potius quam pulchra esset metaphora*. Gesnerus *itaque putat translationem ductam esse ab animalibus, quae, vbi rapite transitum fecere, reliquum corpus facile sequitur, vt est Germanorum de felibus prouerbium. Sed ego valde ridiculam illam felem propello tito, ne erumpat risus, et Gesneri manes offendat. Quam aliena haec interpretatio ab h. l.! quam — Audiamus Bentleium. Ille sic*

locum

locum emendat, neque tantum de arbitrio suo, vt accusat eum Baxterus, verum secutus codicem *Reginensem.* Si versus paullo concinnior vnus et alter; Iniuste totum ducit, *venitque* poema. *Quae possit esse melior lectio? Sensus elegans. Si vnus aut alter versus excellat ornamento in poemate quodam*, ducit *iste versus lectorem, decipit, fuco fallit, et venit. Voc.* ducere *in re venali et mala merce sic etiam occurrit* Hor. Serm. 1, 2, 88. ne sic facies vt saepe, decora, Molli fulta pede est, emtorem *ducat* hiantem. *ad quem loc. vide plura apud* Bentleium; *a quo etiam discas, non esse probandam religionem Gesneri* quae illam interpretationem Bentleii loc. cit. Epist. 2, 1. *tum demum audire vellet si esset additum:* emptorem. *Denique, mirer si quis h. l. Bentleium posponeret Gesnero.** ducere Coenam. Hor. Art. 376. poterat *duci* quia *coena* sine istis.* ruinam Hor. od. 2, 17, 9. Ille dies vtramque ducet ruinam * notam Hor. od. 4, 2, 59. Qua *noram* duxit, niueus videri Caetera fuluus, *de iuuenco candido, quadam in parte, ceu notatus esset, cetero corpore fuluus.* Niueus videri, *est ad* Graec. λευκος, φαιδρος ιδεσθαι. * Ter. A. 4, 1. *Quod Charinus* v. 20. *dixerat:* Etiam nunc me *ducere* istis dictis postulas; *ipse explicat* v. 24. *Nisi me laetasses amantem, et falsa spe produceres. Adde* Ph. 3, 2, 15. * ducere se, *clam se auferre, aut corripere* Ter. Hec. 4, 1, 7. vxor vbi me ad filiam ire sensit, se *duxit* foras. *Bentleius h. l. reponit:* eduxit. * *de bestiis proprie, dum turbam suam, primum educunt.* Phaedr. 1, 19, 7. dum firmiores posset catulos *ducere. Sunt qui legant:* educere, *quod non improbo.*

DVDVM *paullo ante* Ter. E. 4, 4, 16. cf. v. 30. *vbi eius loco dicitur, modo.*

DVEL-

DVELLVM lentum, *pugna stataria quasi; ridicule*, Hor. Epist. 2, 2, 98. Lento Samnites ad lumina prima *duello*. *Vide* Lentus. * Id Epist. 1, 2, 7. Graecia Barbariae lento collisa *duello*. *vid.* collidere.

DVLCIS Hor. Art. 99. Non satis est, pulchra esse poemata, *dulcia* sunto i. e. *non phantasiam solum iuuare sed etiam pectus debent*. Pulchrum *ad sententias et ordinem*, dulce *ad sensus et suauitatem doctrinarum moris respicit. illa virtus ornatum, haec pectus* et πάθος *spectat*. Reiskius *emendat* dulcia *in* ductia i. ἀγωγα, πιθανα. *vid.* Pulcher. * iuuenta Hor. od. 1, 16, 23. *est mustea quasi*, quae *efferuescat facile*. *Die leicht aufwallende Jugend*.

DVM *pro* dummodo Ter. A. 4, 1, 54. Capitis periculum adire *dum* prosim tibi. Id. H. 4, 2, 39. Ph. 3, 2, 41.

DVPLEX Vlysses Hor. od. 1, 6, 7. *Nihili est interpretatio duplicis Vlyssis per eum, qui duplicem cursum in mare egisset; ridicula allusio, quam statuit* Sanadonius *factam ad Agrippam et Augustum, qui quasi essent duplices Vlysses. cum sit h. l. vt vulgo, qui aliud cogitat, aliud loquitur, versutus*, πολυτροπος, *qualem fuisse Vlyssem probat integra odyssea. vide* Klotzii Vind. p. 10. sqq. * *de comoedia, quae inscribitur Heautontimorumenos, prol.* 246. *dicitur. Duplex* quae facta est argumento simplici; *Hoc est, explicante* Nannio, *quia in hac comoedia duo sunt filii familias amatores, duae amicae, duo senes, duo serui, quae omnia in* Menandro (*ex quo argumentum comoediae sumserat Terentius*) *erant simplicia. Hinc intelligis cur* vers. 7. *noua* certe recte nominari possit.

DVRARE, pro *perferre* ὑπομενειν καρτερειν Hor. 1, 14, 7, Vix *durare* carinae Possint imperiosius aequor. *Adde* Ter. Ad. 4, 2, 15. * ferro,

ro, *et*, aere durare saeculo, *audacter*, *et figurate* Hor. Epod. 16, 65. *de aetate aenea mundi, et ferrea, de qua tam multa apud Poëtas.* * Phaedr. 2, Epilog. 19. Cor *duratum, obfirmatum,*

DVRVS, *de eo, qui per aetatem grandem iam non amplius ad amoris sensum satis aptus* Hor. od. 4, 1, 7. Desine flectere mollibus iam *durum* imperiis. *Bene* mollia *et* durum *oppositа!* * Ter. E. 4, 7, 36. os durum, i. e. *impudens* * Ter. Heaut. 2, 4, 22. immo vt patrem tuum vidi esse habitum, diu etiam duras dabit, *scil partes h. e. aegerrime amorem tuum feret, multa ei impedimenta obiiciet* * *difficilis* Ter. Ph. 2, 1, 8. P. illud *durum*, G. ego expediam: sine *vid. omnino de h. v.* Vavassor de vi et verbb. significc. opp. pag. 159.

E.

EBVR curule Hor. Epist. 1, 6, 53. *vid.* Curulis.

ECHINVS *Vas aeneum, in quo calices lauantur, quod modo trissile, (ita lege pro trisile. vid. Du Fresne Glossar. in voc. Trissilis. in Gesn. Thes. est* trisille*) appellamus.* Vet. Schol. ad Hor. Serm. 1, 6, 117. astat *Echino* Vilis cum patera guttus. *Alii intelligunt vas salis in modum echini piscis marini, alii ampullam vitream.* Hesychio, *inter alia multa quae a Graecis* Echini *nomine appellantur, est,* λοπας ἡ σκευος μαγειρικον.

EDITIOR viribus, *valentior* Hor. Serm. 1, 3, 110. Viribus *editior* caedebat, vt in grege taurus; *bene* editior, *cum sequatur*, vt in grege taurus.

EDORMIRE, *de actore fabulae; signif. dormientis personam gerere.* Hor. Serm. 2, 3, 61. Non magis audierit quam Fusius, (*Bentleius et Gesnerus leg. Fusius hanc enim gentem notem fuisse dicunt. Sed et h. l. emendare et omnes alios vbi constanter occurit Fusius Calenus Cic. Phil.*

8, 5,

3, 5, et 6. et 11, 6. *mihi videtur esse arrogantis et male pertinacis.*) ebrius olim Cum Ilionam *edormit*, Catienis mille ducentis, Mater te appello, clamantibus. *Fusius Phocaeus actor Tragoediarum fuit, qui cum vellet Ilionam dormientem exprimere* (*in Tragoedia quadam Pacuuii secuti forte illam* Hygini Fab. 109.) *in scena vere obdormiuit. Vet. Schol. Verba:* mater te appello; *sunt ipsius Pacuuii vid.* Cic. Tuscul. 1,44. *Sensus est: quem neque actor Catienus, nec mille ducenti Catieni clamantes expergefacere potuissent.*

EFFICAX, epitheton Herculis, *magnificum, vere lyricum.* Hor. Epod. 3, 17. Nec munus humeris *efficacis* Herculis Inarsit aestuosius. *Respici hic vestem Deianirae tinctam sanguine Nessi centauri, munus datum fatale, facile quiuis videt.* **efficax* scientia, *de arte magica* Epod. 17, 1. Iam iam *efficaci* do manus scientiae.

EFFODERE *oculos* Ter. E. 4, 6, 2. *pertinet ad muliebres praecipue minas. verb. sunt* Atqui si illam digito attigerit vno, oculi illico *effodientur.*

EFFVNDERE *de partu solita vox, vt diluuio exemplorum probant Burman. ad* Phaedr. 3, 15, 6. prolapsam *effudit* sarcinam.

EGO Ter. E. 3, 5, 64. Eamus ad me *i. e. in domum meam: plane vt Galli et nos: venons chez moi. kommen sie zu mir.*

EGREGIVS, Hor. od. 3, 25, 4. Quibus Antris *egregii* Caesaris audiar Aeternum meditans decus. *Bene* Landinus *ad hunt locum; Quasi vnicus inter mortales sit, egregius.*

EIICERE *contemtim dicitur pro sepelire, quoniam, qui sepultura honesta priuarentur, foras eiiciebantur* Ter. Ad. 1, 2, 29. vbi te exspectatum *eiecisset* foras. Vid. Turneb. Aduers. 1, 21. c. 15. p. m. 683.

ELABORARE, saporem Hor. od. 3, 1, 19. non Sicu-

Siculae dapes Dulcem *elaborabunt* saporem. *Elegantissime! non poterunt omni arte quasi et conatu efficere dulcem saporem.* Siculas *dapes non intelligo, quasi ad prouerbium respexisset poëta, quo* siculae dapes *dicebantur pro opulentissimis; sed potius alludit ad illas dapes siculas Dionysii, de quibus Cicero videndus* Tuscul. 5, 21. *ceterum compara cum hac ode illa* Hagedornii nostri. *Locustens* würdger Freund gekrönter Wüterich du Nero quälst die Welt und jeder Frevel dich *&c. et illa* Vzii: *Dem Reichthum bleicher Sorgen kinde Schleicht stets die bleiche Sorge nach &c.*

ELABORATVS pes, *de Anacreontis carmine* Hor. Epod. 14, 12. Qui persaepe caua testudine flenit amorem, Non *elaboratum* ad pedem i. e. *non ad certum et accuratum modum, et metrum: qui enim Anacreontis carmina ad regulam metri exegerit, magnam reperiet licentiam, passim iam a* Barnesio *et* Pauio *eius editoribus notatam. Alii intelligunt de maiori facilitate, quam ingenio Anacreontis, de simplicitate absque vllo labore, et cogitatione. Sed* pes elaboratus *vix eam interpretationem admittit; certe Horatius ita exprimere res non solet.*

ELATRARE, vocab. *suaue ad pingendum hominem rixandi cupidum et rabiosulum.* Hor. Epist. 1, 18, 18. Scilicet vt non Sit mihi prima fides, et veré quod placet vt non Acriter *elatrem,* pretium aetas altera sordet. *vid* Pretium. *Minus vero inest h. l. Iconismus, geminatum illud* vt non, *et quidem fine versus vtriusque;* prima *fides* — vere *placet, denique* — elatrem; *et illud ipsum* scilicet. —

ELEGANTIA *festiue* Phaedr. 2, 2, 4. Annos celans elegantia *de anu,* h. e. *cura atque comtu corporis morumque suauitate* (galanterie) *anilem aetatem dissimulabat,*

quare

quare eam non rudem vocat h. e. moribus magis atque habitu quam pulchritudine conspicuam.

ELEGVS: elegi exigui Hor. Art. 77. *Quis* tamen *exiguos elegos* emiserit auctor *vid.* Exiguus. * miserabilis Od. 1, 33, 2. neu *miserabiles* decantes *elegos. festiue ad Tibullum, cuius Elegiae nonnullae miserias plorant, amatam amissam &c.*

ELEVARE Phaedr. 3, 10, 7. sed fabulosa ne vetustate (*haec*) eleuem narrabo tibi memoria quod factum est mea, i. e. *fidem eius*, (intelligendum ἀπο τȣ κοινȣ *quod dixi, credere et non credere periculosum esse*) *minuam, eo quod ex veteri memoria desumta sint illa exempla, quae poëtae tractarunt.*

ELIMINARE dicta, *foras limen efferre* Vet. Schol. *ad* Hor. Epist. 1, 5, 25. *ne* fidus inter amicos sit qui dicta foras *eliminet.*

ELLVM pro *en illum* Ter. And. 5, 2, 14. Nescio qui senex modo venit: *ellum*, confidens, catus And. 3, 4, 26, et 2, 3, 7.

EMANCIPATVS *elegantissime!* Hor. Epod. 9, 12. Romanus eheu! (posteri negabitis) *Emancipatus* foeminae, *Antonius Cleopatrae. Sed vox in hac re scite delecta, est enim* emancipatus *auctore Festo aut is, qui ex patris iure exiit, aut is, qui alius fit dominii.* Romanus *foeminae mancipium est! quis tandem credat?*

EMICARE, *eleganter de bonis quibusdam et pulchris verbis in carmine integro exili, quae ex insperato apparent.* Hor. Epist. 2, 1, 73. Inter quae verbum *emicuit* si forte decorum Versus paullo concinnior vnus et alter.

EMIRARI Hor. od. 1, 5, 8. Aspera Nigris aequora ventis *Emirabitur* insolens. *Nouum forte ab Horatio ad locupletandam linguam suam factum verbum! vid. Insolens.*

EMORI Phaedr. 1, 6, 8. Cogitque miseras arida sede *emori.*

EMITTERE *de primo auctore et inuentore rei.* Hor. Art. 77. Quis exiguos elegos *emiserit* auctor, Grammatici certant.

ENIMVERO Iam, igitur Ter. And. 1, 1, 64. it. 1, 3, 1. Heaut. 5, 5, 1.

EQVES Hor. Art. 113. Romani tollent *equites* peditesque cachinnum *vid.* Pedes.

EQVITARE *poëtice de hominibus bellum gerentibus et licenter equis vagantibus* Hor. od. 1, 2, 50. Neu sinas Medos *equitare* inultos Te duce, Caesar. *Medi, Parthi et Scythae equestri pugna pugnabant solemniter, quo vinida magis hoc verbo redditur imago. Sic etiam alibi* equitare *dicitur hostis diripiens palando et peruagando regiones* Hor. od. 2, 9, 24. Intraque praescriptum Gelonos Exiguis *equitare* campis. Id. od. 4, 4, 44. Dirus per vrbes Afer (Hannibal) vt Italas ceu flamma per taedas vel Eurus Per siculas *equitauit* vndas. *Quamquam Horatius posset defendi, si* equitare *referretur ad* Curam, *id quod allato loco ex* Euripidis Phoenissis, *vbi Zephyrus* equitasse *in collo dicitur, fecit* Muretus Var. Lect. Libr. 1. c. 10. *et adferendis pluribus locis, vbi epitheta militiae adducitur ventis* Klotzius in lib. de felici audacia Horatii opuscul. pag. 163. *a me tamen non impetrare recte possim, vt dixisse Horatium credam,* equitare Eurum per vndas. *namque* primum *tum nullum verbum adesset* quod *referretur ad* dirum Hannibalem, *nisi duplici sensu velis τὸ* equitare *intelligere quod nolim*: deinde, *si haec valeret explicatio, necessario* equitare *esset etiam cum taeda coniungendum,* vt flamma per taedas equitat, id vero vix aliquis probabit: denique *plurima sunt loca poëtarum, vbi comparatio, sine verbo, per tale Zeugma interpretanda,* atque vltro apud oratores occurrunt.

EQVVS

EQVVS, albus i. e. velox. Hor. Serm. 1, 7, 8. vid. *Albus.*

ERADICARE: *funditus alicuius fortunam perdere* Ter. And. 4, 3, 22. Heaut. 3, 3, 28. Eun. 4, 3, 13.

ERVERE Hor. Serm. 1, 4, 25, Quemuis media *eruet* turba: *sed verior lectio Baxteri et plurimorum librorum*, elige, *sume et elige quemuis e populo.*

ERVMPERE *actiue* Ter. Eu. 3, 5, 2. Iamne *erumpere* hoc licet mihi gaudium?

EST, pro *esto*, *licet* Hor. od. 3, 1, 9. Est vt viro vir latius ordinet Arbusta sulcis. *Correctio Bentleii Esto vt etc. frustra est. Nam non significat fieri potest, sed* licet sit vt cet. et *sic saepius in ipso Horatio occurrit.*

ETIAM, *adhuc*, Ter. E. 5, 8, 6. Hunc ego nunquam videram *etiam.*

EVERSVS Ter. Heaut. 2, 3, 131. *cum dicuntur euersae* ceruices *intelligi videtur crebra ceruicis in omnes partes flexio, quod est animi perturbati inquieti, atque anxii signum. Non tamen plane negem, his verbis gestum effeminatum quemdam, quo aut nobis aut aliis placere studeamus, indicari posse;* quo ex genere est *mollitia ceruicum* Cic. orat. c. 18. *quod cum nostro loco comparare non dubitauit* Ernesti in Clau. Cic.

EVINCERE Hor. od. 2, 15, 5. Platanusque coelebs Euincet vlmos i. *plures erunt platani quam vlmi.* vid. Klotzii *Vindic.* p. 173.

EVOLVERE *expedire* Ter. Phor. 5, 4, 5. ego nullo possum remedio *euoluere* ex his herbis *Quidam hic legebant exsoluere, sed istud melius.*

EX puer *ex* aula, *qui aulae seruiuerit, Sic saepius* ex. Hor. od. 1, 20, 7. * Phaedr. 4, 10, 1. Lucernam sur accendit *ex* ara Iouis.

EXACTVS, poëma exactum, perfectum Hor. Epist. 2, 1, 72. Emendata videri, Pulchraque

et *exactis* minimum distantia, miror.

EXACVERE, *eleganter de vi carminum Tyrtaei* Hor. Art. 403. Tyrtaeusque mares animos in martia bella Versibus *exacuit.*

EXAMEN, *venuste de exercitu ex iuuenibus conflato*, Hor. od. 1, 35, 30. Iuuenum *recens Examen* Eois timendum Partibus Oceanoque rubro. Schol. *nouum delectum ab Augusto habitum.*

EXANIMARI *de vehementissimo metu quo pene animo linquaris* Hor. od. 3, 12, 2. Miserum est neque Amori dare ludum, neque dulci Malo lauere aut *exanimari* metuentes, Patruae verbera linguae. *vid.* Patruus. Id. Serm. 1, 4, 127. Auidos vicinum funus vt aegros *Exanimat* mortisque metu sibi parcere cogit. etc.

EXAVGERE Ter. H. 2, 2, 3. Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum *exaugeant*, occasio, locus, actus etc. *Impeditum atque difficilem hunc locum felicissime, etsi coniectura sola fretus, hunc in modum emendauit Bentleius.* Concurrunt multa, opinionem hanc, quae mihi animo exaugeant etc. *Nam primo loco non poterat scripsisse, multae opiniones; vna enim erat suspicio, sed multae eius caussae, nimirum occasio, locus etc. Deinde* animum exaugere *dicitur de laetitia, non de maiori tristitiae gradu.*

EXCIDERE in vitium Hor. Art. 282. In vitium libertas *excidit*; *lapsa est, excedens fines certi iustique.*

EXCITARE *verbum venatorium* Phaed. 2, 8, 1. Ceruus *excitatus* latibulis * *Eleganter de seruo, qui festinanter Simonidem de Coena foras euocat* Phaed. 4, 24, 26. Homo perturbatus *excitat* Simonidem.

EXCLVDERE Ter. Ad. 1, 2, 39. vbi non erit (*argentum*) fortasse excludetur foras. *Nempe non a Mitione sed a meretrice* cf. Ter. E. 1, 2, 18,

18, id. 5, 8, 1. et Plaut. Asin. 3, 3, 6. *Et verissimum est, quod addit huic loco Donatus:* „*Mire* fortasse *dicit, vt* „*pater indulgens, et credens, adolescentem* „*posse etiam gratis amari ab amica; non enim* „*affirmauit vt diceret:* „*excludetur foras.*

EXCOCTVS, *aestu et calore exsiccatus ac squalidus.* Ter. Ad. 5, 4, 63. Tam *excoctam* reddam atque atram, quam carbo est.

EXCVRSVS finitus Ter. Ad. 5, 4, 5. nam ego vitam duram quam vixi vsque adhuc Prope iam *excursu* spatio mitto i. e. *extrema, paene finita senectute, exacta aetate,* vt ipse dicit v. 16. *Metaphora sumta a currendi certamine;* sicut apud Cic. Orat. 1, 1. si — occupatio *decursu* honorum et iam aetatis flexu constitisset.

EXCVTERE. Ter. 4, 1, 20. Quod si sit vt me *excutiam,* atque egrediar domo id restat. *Domo enim egredientes vestes excutere solebant: antecedens pro consequente ponitur.*

EXEDERE, *plures comessando sumtus facere, quam alterius opes ferre possunt* Ter. H. 3, 1, 53. Quid te futurum censes, quem assidue *exedent?*

EXEMPLVM Ter. E. 5, 5, 4, *poena, quae aliis exemplo esse potest,* παραδειγμα, *Donat.* Quae futura exempla dicunt in eum indigna i. e. *quam indignae sunt poenae, quibus eum audio mactatum iri.* Phaed. 4, 6, 20. Minus iusto vindicauit *exemplo* impetum. * *fabula, quippe quae rem ad alios bene applicandam contineat* Phaed. 1, 3, 3. Aesopus nobis hoc *exemplum* prodidit. * Phaed. 1, 26, 12. Sua quisque *exempla* debet aequo animo pati, h. e. *eas res, quas praeiuit aliis.*

EXERCERE, rura, *colere* Hor. Epod. 2, 3. Beatus ille, qui procul negotiis, Paterna rura bobus *exercet* suis. *Singula hic verba rem ornant,* paterna — rura — suis —

exercere – bobus. * Ter. H. 1, 1, 22. Quod in opere faciundo operae consumis tuae, Si sumas in illis *exercendis* plus agas. *ad laborem compellendis* * Ter. H. 1, 1, 91. qui facile sumtum *exercerent* suum. *Hanc lectionem tenent* Westerhouius, Dacieria Faernus, et plerique alii, *Si genuina esset, significaret* i. q. *graece* εκπονειν τα εισιοντα aut ἐργαζεσθαι τον βιον, *nimirum si intelligerentur servi, qui tantum domino quaestum facerent, quo alere illos posset. Sed vide Exsercire.* * Ter. H. 1, 1, 94. hic me *exerceo* i. e. *laborando fatigo. Sic* Ad. 4, 2, 48. I, sane ego te *exercebo*, hodie vt dignus es, silicernium i. e. *currendo te fatigatum et commotum reddam.*

EXIGERE *explodere* Ter. And. prol. 27. Rem cognoscite, Vt pernoscatis ecquid spei sit reliquum Posthac quas faciet de integro comoedias Spectandae an *exigendae* sint vobis prius. Id. prol. Hec. 15. In his, quas primum Caecilii didici novas Partim sum earum *exactus*, partim vix steti. * Hor. od. 3, 30, 1. *Exegi* monumentum aere perennius. *Nescio quid sibi velit* Baxterus, *notans hoc esse verbum circi, indeque h. l. explicans. Quaenam mens fuisset Horatii, si duas tralationes adeo insanus miscere voluisset*, Exigere *momentum*, vt cursor cursum? *Non itaque aliud est* h. l. exigere *nisi* perficere, absoluere, *erat et h. v. sculptorum, de altera illa significatione, qua etiam de cursu dicitur, ne cogitandum quidem.*

EXIGVVS: elegi exigui Hor. Art. 77. Quis tamen *exiguos elegos* emiserit auctor, Grammatici certant. *quoniam decurtatus quasi alterquisque versus; eleganter! Baxterus explicat*, tenues *querulos; et ipse Gesnerus in Thesauro* non ad modum versuum ad respici sed ad argumentum *indicat. Sed non patitur Horatii* sen-

ten-

tentia, et contextus vers. 76. *probat satis, non* querulos *accipi* h. l. exiguos elegos *debere; et idem renuit de argumento h. l. cogitare in voc.* exiguus. * *Id. od.* 1, 18, 10. Fas atque nefas *exiguo fine* libidinum discernunt auidi.

EXILIS, *Exilis* domus est, vbi non et plura supersint etc. Hor. Ep. 1, 2, 1. domus *exilis* Platonia Id. od. 1, 4, 17. *est propter tenues umbras, et exiles ibi habitantes, nam id regnum est* των ἀμενηνων. *vid. Homer. Necyomanth.* Reiskius. *Anne simul respiciendum ad horrorem et foeditatem? ita horridum et exile coniungitur apud Cic. de Diuin.* 2, 30.

EXIMIVS Ter. Hec. 1, 1, 9. Vtin' *eximium* neminem habeam? *propria significatione* pro *exemtus, vt neminem eximam, delectum non habeam.*

EXITVS, artis Hor. Epod. 17, 81, Plorem artis in te nil habentis *exitum*, i. *deplorem artem* (*magicam*) *in te nil valentem. Hunc esse sensum omnes vident; sed in lectione constituenda mira est diuersitas. Cuningamius leg.* artis in te nil habentis exitus. *Muretus, quem sequitur Sanadonius,* in te nil valentis exitum. *Lambinus*: in te nullum habentis exitum. *Bentleius denique*: in te nil agentis exitum: *quem sequendum duco, quicquid contra eum dicat Cuningamius. Gesnerus interpretatur, artis in te nil habentis, sic, vt est apud S. Ioann.* 14, 30. καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν *sed quam dure! Equidem ex locutione Sancti Iohannis Horatium explicare nequeo.*

EXPEDIRE, iaculum et discum, *celeriter vibrare, verbum vere Lyricum et significans apud* Hor. od. 1, 8, 12. Saepe disco Saepe transfinem (*vltra scopum quem attingere debebat,*) iaculo nobilis (*magna cum gloria*) *expedito. Hinc suauissime, eadem metaphora* Hor. 1, 22, 11.

Vltra Terminum *curis* vagor *expeditis* * Hor. od. 1, 27, 23. Vix illigatum te triformi Pegasus *expediet* Chimaera, *liberabit ab illa amica. Allusio ad Chimaeram, monstrum illud nobile, a quo Lyciam, Bellerophon, Pegaso vectus liberabat. Propter notam rem breuiter tantum Pegasum nominat, quo audito omnia iam animis lectorum succurrerent. Hinc Perraltus intempestiue vituperat poëtam propter hanc virtutem* * *explicare* Ter. E. 4, 4, 27. agedum, hoc mihi *expedi.* * *de iis, qui per labores et pericula multa euadunt tandem victores* Hor. od 4, 4, 76. (Quos) Curae sagaces *Expediunt* per acuta belli. * Phaed. 3, 14, 6. *Expedi*, quid faciam? item 4, 4, 14. * Id. 1, 16, 2. Fraudator nomen cum locat sponsu improbo Non rem *expedire*, sed mala videre expetit. Expedire rem *est nomen soluere. sic* expedire *apud Cic.* Epist. Attic. 16, 6. nomina per Deos *expedi*; exolue, bella reliqua; opus est diligentia, *et* Sueton. Grammat. 11. rem expedire apud Plaut. Poenul. 3, 5, 3. *explicaui meam rem* post illa lucro. *Sunt qui legant* mala dare *pro* m. videre q. e. *procurare; de quo vid.* Heins. ad Ouid. Art. 1, 587. Mala dare *occurrit apud* Ter. A. 1, 1, 116. Quis ederit damnum aut malum. adde Cic. 2. Verr. 10. *et vid.* Fraudator.

EXPLERE Ter. Heaut. 1, 1, 77. hem! tot mei Solius solliciti sunt causa. vt me vnum *expleant, commodis meis ac necessitatibus inseruiant.* * explere animum, Hec. 5, 2, 21. et 5, 1, 28. *est aliquem ex incertitudine, perturbatione aut errore eripere.*

EXPLICARE *proprie et suauissime!* Hor. od. 3, 29, 16. Mundae coenae – sollicitam *explicuere* frontem. die Sorgen volle Stirn entfaltet. Phaedr. 3, 18, 8. *De pauone.* pictis plumis gemmeam caudam *explicas.*

plicas. Vbi tamen libere fateor, mihi duplicem illam metaphoram coniunctam, et a pictura et a gemmis ductam, non placere in loco alias longe elegantissimo. Gemmea cauda, pictis plumis *confundit imaginem* * expeditum reddere. Phaedr. 4, 6, 15. Medea per artus fratris *explicuit* fugam. *Dum detruncata membra Absyrti hinc inde sparget.*

EXPOSTVLARE Ter. Ad. 4, 3, 2. sqq. quod peccatum a nobis ortum est, corrigo. Nisi si in illo me credidisti esse hominum numero, qui ita putant sibi fieri iniuriam, vltro, si, quam fecere ipsi *expostulant*, et vltro accusant. *Huius loci difficultatem Donatus intellexit quidem, at non expediuit. Igitur Dacieriae opinionem primum afferemus; postea, quid sit, quo ab ea dissentiamus, indicabimus. Ait igitur matrona doctissima se Msc. quodam regio adduci vt sic textum constituat: qui ita p. s. f. iniuriam,* vltro si quam *fecere, ipsi expostulant, et vltro accusant. Hoc ergo, ex illius quidem sententia ad iniustos illos homines pertineret, qui, si cui iniuriam fecerunt, non satis sibi fecisse videntur, nisi alterum quoque a se offensum, iniuriae accusent. Sed vt verborum ordinem taceam, qui ex hac interpretatione maxime oritur difficilis, atque impeditus, negari non potest, eam vniuersae huius loci perpetuitati impugnare. Namque vt paullo altius eam rem, quoniam necesse est, repetam, Hegio Mitionem conuenerat, vt ei peccatum filii, quod erga Sostratae filiam putabatur admisisse, obiiceret, eumque nimiae in tolerandis filii vitiis lenitatis accusaret. Mitio non solum aequo animo reprehensionem sustinet, sed etiam Hegionem in errore versari ostendit, atque Aeschinum suum falso ob fratrem Ctesiphonem,*

eiusque amicam, psaltriam in suspicionem venisse commonstrat. Tunc Hegio Mitionem laudare, eiusque ingenium consilii ac reprehensionis patiens extollere. Mitio contra hanc laudem recusare, omniaque ad officium, quae fecerit, referre. Iam in isto loco, ex emendatione Faerni, quae codice Bembino nititur, atque Bentleium quoque patronum habet, pro expostulant, legendum est, expostules. Quodsi ponimus, vt recte poni potest, hinc funditur sensus et planus et facilis, nec reliquae orationi contrarius. „Laudes tuas, Hegio, non promereor, Nam officium meum facio, ac hortatione tua bonam in partem accepta, peccatum, si quod commissum est, corrigo. Est autem genus quoddam hominum, qui, si forte ob falsam ab illis iniuriam cum eis expostules, statim irascuntur. Hoc est, fortasse quod gratiae mihi adponis, scilicet me istorum morem, contra ac speraueras, secutum non fuisse.„ *cf.* Ter. Ph. 2, 3, 13. *cum vniuersa huius loci perpetuitate, et vide, an non ille quoque locus nostrae interpretationi faueat.*

EXPROBRATIO Ter. And. 1, 1, 16. 17. Nam isthaec commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii *Recte.* Qui *enim beneficia sua coram eo, cui tributa sunt, enumerat, videtur eum velle commonefacere partim ei non satis grata esse quae acceperit, partim haud ipsius merito ei contigisse. Locum hunc egregie illustrat* Plutus Amph. prolog. v. 43-50. vbi *commemorare et exprobrare pro se inuicem substituuntur. A sententia autem huius loci proxime abest illud effatum Demosthenis in oratione* περι στεφανε c. 81. ἐγω νομιζω τον μεν εὐπαθοντα δειν μεμνησθαι — τον δε ποιησαντα — ἐπελελησθαι το δε τας ευεργεσιας ὑπομιμνησκειν

και λεγειν μικρε δειν ὁμοιον ἐστι τω ονειδιζειν.

EXPVGNARE domos iuuenum Hor. od 3, 15, 11. *de amica* s. *fidicina vaga, quae solebat, vt multae aliae cum cithara domos iuuenum venire, ibique quaerere amorem.* Bentleius *Dacierii explicationem, proprie scilicet haec esse accipienda, et Pholoen ipsam vectibus expugnasse aedes amatorum, confirmat auctoritate Senecae* Praef. 4. Nat. Quaest. Crispus Passienus saepe dicebat, adulationi nos opponere, non claudere ostium: et quidem sic, *quemadmodum opponi amicae solet*, quae si impulit grata est; gratior, si effregit. *Quam interpretationem etiam laudat Gesnerus. Ego vero vt concedam viris his doctissimis hunc morem, etiam notum ex Horatio ipso, vide voc.* Funale; et Plauto Milit. 4, 6, 35. *sic hoc loco eum respici non credam. Dicit poëta rectius, conuenientius, (Pholoen) puellam viridi adhuc aetate quam illam vetulam, iuuenes expugnare. i. capere, amore irretire, de qua signif. τῷ expugnare, ne tiro quidem dubitabit; quod autem addit, domos expugnare, pulchre hoc dictum de fidicina plurimas domos frequentante, consequentia etiam magis firmare meum sensum videntur; nam* expugnare *dicitur iuuenum domos, Pulso Thyas vti concita tympano. Quid hoc aliud nisi, capit, et allicit, citharam tam scite tam feruido animi affectu pulsans. Nescio cur quaeram, allusionem, vbi bene omnia sine ea procedunt et clara sunt.*

EXSCVLPERE verum ex aliquo Ter. E. 4, 4, 45. possumne ego hodie ex te *exculpere* verum. de *diligentia in experiendo* * Ter. Ph. 5, 8, 96. vel oculum exsculpe. *Alii legebant exclude; illud vero Bentleius magis probat.*

EXSEQVI. *sequi, tenere* Ter. Hec. 3, 1, 26. si vis vero veram rationem *exsequi*; h. e. *si rectam* sen-

ſententiam tenere aut ſequi vis, vel id quod verum eſt, ſentire. Bentleius huic lectioni nuntium remittit, propterea quod exiſtimat inuſitatam eſſe illam loquendi formulam. Sed in eo fallitur. Rationem ſaepe idem ac ſententiam, aut opinionem velare, quis demum neſcit? Exſequi autem pro ſequi, tenere, amplecti, haud raro vſurpatur. Ita Plautus Trin. 3, 2, 60. egeſtatem *exſequi.* Cic. Epiſt. Att. 9, 4. cur non omnes illius ſatum vna *exſequuti* ſumus, *ſecuti.*

EXSERCIRE Ter. H. 1, 1, 91. niſi eos qui opere ruſtico faciendo facile ſumtum *exercerent* ſuum. *Ibi poſt* Ian. Palmerium Guyetus *et* Bentleius *reposuerunt* exſercirent. Exſercire *autem eſt i. a. reſarcire, labore ſuo impenſas domini penſare. Hanc lectionem vulgo receptae praeferendam eſſe, probatur non ſolum ex gloſſis quibusdam marginalibus, vbi adſcriptum erat iſtud verbum ſed etiam ex* Pauli epitoma Feſti *vbi ponit: Exſercirent, ſarcirent:* quod vix *alio ex loco quam ex iſto Terentii deriuari potuit. Turnebus initio fuerat in iſta ſententia, poſt abiecit eam, et vulgatam lectionem amplexus eſt.*

EXSICCARE culullis vina i. *exhaurire. Belle.* Hor. od. 1, 31, 11. dines et aureis Mercator *exſiccet culullis* Vina Syra reparata merce.

EXSORS Hor. Art. 304. fungar vice cotis actutum reddere quae ferrum valet *exſors* ipſa ſecandi: *apta et vera comparatio critici cum cote, imitatus eſt vero ſine dubio poëta* Iſocratis *nobile illud de ſe dictum, quod fere in prouerbium abierat.* vid. Plutarch. Vit. Iſocrat. opp. pag. 638. et Photium pag. 1455. ed. Hoeſch.

EXSPECTARE *proprium eſt verbum* (vt recte obſeruat Graeuius ad Cic. Paradox. 6, 1.) *quod vſurpatur de iis, qui optant vt aliquis moriatur.* Ter. Ad. 5, 4, 20. Illum

Illum vt viuat optant, meam autem mortem *expectant* cf. Hec. 4, 2.

EXSPES Hor. Art. 20. si fractis enatet *exspes*. Nauibns, aere dato qui pingitur. *Spe omni destitutus. Ego vero amplectendam esse censeo lectionem* Bern. Martini Var. lection. 1, 25. *qui legit* expes h. e. *ore tantum exstans, pedibus et reliquo corpore adeo aqua occultatis et submersis. Agitur enim hic de pictura. Et cod. Goth.* firmat vltro *auctoritate sua hanc lectionem.*

EXSPECTATVS Ter. Ad. 1, 2, 24. sine res nunc facere, dum per aetatem licet, potius quam vbi te *exspectatum* eiecisset foras i. e. *postquam a longo tempore mortem tuam exspectauerat, optauerat* cf. Ad. 5, 4, 20. *et vid. Exspectare.*

EXSTINGVERE Ter. Hec. 5, 1, 23. Puerum ob eam rem clam voluit, qui natus est, *exstinguere* i. e. *non tollere, adeoque vel* exponere, *vel* occidere.

EXSVRDARE Hor. Serm. 2, 8, 38. Feruida subtile *exsurdant* vina palatum: *hebetant vt saporem sentire non possit.*

EXORNARE *metaphorice*, pro male aliquem multare Ter. H. 5, 1, 77. Egone? si viuo, adeo *exornatum* dabo adeo depexum, vt, dum viuat, meminerit semper mei.

EXTENTVS, aeuum extentum *metaph. venusta de longa et producta vsque gloria* Hor. od. 2, 2, 5. Viuet *extento* Proculeius *aeuo.*

EXTERIOR *comes est, vbi duo vna eunt, qui ab illa exteriori parte it, qua non munitus pariete, claudit latus alius, interior, qui ad parietem it, siue dexter, siue sinister. sic recte rem, et scite explicat Gesnerus, aliis omnibus interpretibus caecutientibus, vel ipso Baxtero quod eo magis mirum, quia in Anglia idem mos est, vt locus euntis ad parietem sit honestior.* Hor. Serm. 2, 5, 17. ne tamen

illi Tu comes *exterior* si postulet ire recuses.

EXTIMESCERE *suauiter*; *ad Ethiopoeiam facilis pueri et pie discentis, et studiose, a magistro quem veretur* apud Hor. Art. 415. Qui Pythia cantat Tibicen didicit prius, *extimuit*que magistrum, *Fuit Pythia olim Citharaedicum tantum certamen, vbi de laude carminis certatum.* Plura Turneb. libr. 11. c. 25.

EXTVNDERE Hor. Serm. 2, 2, 14. cum labor *extuderit* fastidia i. *expulerit*, excusserit. *Verum est, quod notat Bentleius* ad h. l., *hac significatione, vt sit* expellere *h verbum nusquam occurrere; Fassus etiam Gesnerus idem est in Thesauro. Nec tamen ideo legam* expulerit, *cum Anglo, aut* extulerit, *vt nonnulli libri habent; obseruabit attentus Horatii lector, plura verba noua plane significatione a vate esse vsurpata, vt et nos hoc in Indice saepius notauimus.*

EXVLTIM, *ludere, saliendo et exultando noue dictum.* Hor. od 3, 11, 10. *de Lyde:* velut latis equa campis *Ludit exultim. Imitatur, vt omnes fere interpretes iam notarunt illud Anacreontis.* πωλε θρηικιη - νυν δε λειμωνας τε, βασκεαι, κȣφα τε σκιρτωσα παιζεις.

F.

FABA. Ter. E. 2, 3, 89. P. Vide nimium calidum hoc sit modo. C. Non est profecto: sine. P. At enim istaec in me cudetur *faba. Sensus planissimus: In me omne malum huius facti recidet. Sed vnde metaphora sit ducta, grammatici certant. Nescio vero ego quidni Donatum sequamur, cum inprimis eius interpretatio optimum fundat sensum.* In me haec, *inquit*, vindicabitur culpa, vt laborat solum, in quo cuditur, id est batuitur faba, quum siliquis exuitur tusta fustibus, vt in areis more rustico-

ſticorum fit. *Hactenus* Donatus: *nam, quam addit, pars explicationis non placet. Deduci dicit poſſe etiam ab more quo* male cocta faba ſupra caput ipſius coqui ſaxo comminuebatur. *Namque h. l. non ſatis habet haec metaphora ſimilitudinis cum Parmenone cf. locum integrum. Suſtentatur vero prior explicatio etiam loco Plin.* 18, 27. extr. Faba metitur, deinde cuditur. *ſ. vt alii legg.* concutitur. *Notum eſt* fabam *veterum longe aliud fuiſſe legumen, quam noſtrum hoc nomine dictum, et ex loco Donati patet, ſolitam eſſe tundi fuſtibus et* cudi *h. e. feriri, percuti, quae propria eſt h. v. ſignificatio, vt docet Feſtus. Dicit itaque Parmeno in me* extundetur *omne quod inde malum veniet. Iam ſenſus apertus, niſi me omnia fallunt. Adde* nobiscum conſentientem Turneb. Aduerſ. 30. c. 1. Scholion *Perſii, quod affert Geſnerus in Theſauro, nullius eſt pretii: en tibi illud ipſum:* Faba erat ſcutica quaedam corrigia habens in ſummitate, nodos quosdam, in modum fabae, ſimiles fere caeſtuum, vnde Terentius: *Haec faba cudetur in me:* et erat poena ſeruorum. *Sed vbi omnis antiquitas tacet, ibi tale ſubleſtae fidei ſcholion audire nemo profecto poteſt, atque, ſi etiam audiremus, ab h. l. alieniſſima eſſet res. Verba enim:* Iſtaec faba *apud Terentium aperte de ipſa re intelligenda. dixi ſatis: locus ipſe clamat. Quid tandem ſi* faba *pro poena ipſa accipiatur* μεταφορικως *quia* ποανος *eſt triticum coctum. vid. Athen. Libr. 9. pag. 648. Eſſet ethopoeia in ore ſerui pro: hoc intritum mihi paratur. Poſſes tum legere* coquetur *pro* cudetur: *nec tamen opus. Fabam vero etiam inter ea, quae populo donabantur, fuiſſe, et aediles, ambitioſos homines, ſolitos legumina id generis in*

vulgus

vulgus spargere, colligitur ex Hor. Serm. 2, 3, 152. In cicere atque *faba* bona tu perdasque lupinis.

FABVLA *ficta, namque narratiuncula quaeuis etiam fabula est* Phaedr. Prol. 1, 7. fictis iocari nos meminerit fabulis. Id. 2, 5, 6. vera fabella 4, 6, 22. *lepide suum scribendi morem defendens, de sublimioribus carminibus, tragoediis cet. locutus, dicit:* quid ergo possum facere tibi lector Cato, si nec *fabellae* te iuuant, nec *fabulae.* * Ter. A. prol. 3. populo vt placerent, *quas* feciſſet *fabulas. Alii hic* syllepsin ſ. ἀντιπτωσιν *quaerunt; alii rectius* ellipsin, *q. d.* populo vt placerent fabulae, quas fabulas feciſſet. cf. Ter. A. Prol. 26. it. A. 1, 1, 20. * Id Hec. 4, 3, 14. Postremo iam nos *fabulae* sumus, Pamphile, senex atque anus. *Donatus existimat senem h. l. quasi ad initium fabulae cuiusdam alludere; quod et Bentleius, ac Dacieria in animum induxerunt credere. Mihi quidem hoc non fit verisimile. Quapropter hunc potius his verbis ineſſe ſenſum arbitror: nos iam omnium in ore verſamur, omnibusque ſumus ludibrio ob vtriusque noſtram ſenectutem.* Hor. Epod. 11, 11. Heu me, per vrbem, (nam pudet tanti mali) *fabula* quanta fui.

FABVLOSVS, *de quo multa narrantur, clarus.* Hor. od. 1, 22, 7. Quae loca *fabuloſus* lambit *Hydaſpes. Adde Eund.* 3, 4, 9. *fabuloſae* fronde noua (*recenti*) puerum palumbes texere. *Notae ſunt fabulae de Veneris columbis &c.*

FACERE, Phaedr. 3, 16, 4. conuiuium *facere* cui. Id. 1, 8, 9. periculoſam fecit medicinam lupo, *de curatione, quae erat cum periculo ipſius graui coniuncta.* Id. 1, 14, 2. facere medicinam, *eſt ſenſu vulgari, artem medicorum exercere ſ. ſe medicum profiteri.* * *cogere, acquirere, colligere.* Ter. Ad. 5, 4, 15. dum ſtudeo illis Vt quam pluri-

plurimum *facerem.* Phaedr. 23, 8. *facias* ne mea culpa lucrum. Id. 3, 7, 5. facere corpus. *vid. Corpus.*

FACIES, *de tota specie corporis* Ter. Eun. 2, 3, 5. O *faciem* pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres. cf. vers. 21-27. Hor. od. 4, 13, 21. notaque et artium gratarum *facies.* i. *facies tua nota, celebris ob formam, quae oculis, nutu superciliorum, cervicis volubilitate, capitis gratia, totiusque denique corporis motu placet. hae sunt artes formae s. faciei corporis. voc.* notus *autem cum genitiuo ita constructum reperies saepius.* v. c. Viuet extentus Proculeius aeuo *notus* in fratres *animi paterni.* od. 2, 2, 6. *Sed neque opus esset voc.* nota *referre ad genitiuos*, gratarum artium; facies *est et* nota, *omnibus celebrata, et* artium gratarum. * Phaedr. 4, 16, 5. *faciem* ad serenam subito mutatur dies. *Varie distinguunt viri docti hos versus ab antecedentibus; nobis Gronouius ita vt edidit proxime abesse videtur a Phaedri scribendi consuetudine, breui atque concisa, atque ita a vera lectione; sic vero habet:*

Vexata saeuis nauis tempestatibus
Inter vectorum lacrymas et mortis metum
Faciem ad *serenam* subito mutatur dies.
Ferri secundis tuta coepit flatibus
Nimiaque nautas hilaritate extollere.

Tacemus de aliis. * Ter. Hec. 3, 4, 28. *facies* cadaueroſa. *vid.* Cadaueroſus.

FACILE, *iucunde, commode.* Phaedr. 3, 17, 13. quanto est *facilius* mihi sub tecto viuere; *verba canis, ad quae quam elegantissime reuertitur in suo sermone vsque ad vers.* 24.

FACILLIME agere Ter. Ad. 3, 4, 56. *de vita commoda, omnibusque rebus abundanti:* Quam vos *facillime agitis; explicatur enim hoc verbis, quae sequuntur:*

quam estis maxime potentes, dites, fortunati, nobiles.

FACVNDIA *ars stili, quae luminibus colluſtrat orationem; digne, figurate, ornate, apte dicendi facultas* Hor. Art 41. Nec *facundia* deſeret hunc nec lucidus ordo. *Eſt vero* lucidus ordo οἰκονομία, *diſpoſitio rerum apta.* Id. Art. 217. Tulit eloquium inſolitum *facundia* praeceps. *Stili ornandi cupiditas nimia, et ardor inconſultus. Omiſit h. l. et ſignificationem* Geſnerus in Theſauro.

FALLERE in vita, *eſt latere, ignotum aliis viuere* Hor. Epiſt. 1, 17, 10. Nec vixit male, qui natus moriensque *fefellit. Praeceptum Epicureum.* λάθε βιώσας. Id. Ep. 1, 18, 103. *Fallentis* ſemita vitae. * *latere aliquem.* Hor. od. 3, 14, 20. Spartacum ſi qua potuit vagantem *fallere* teſta. *Si qua ratione illa teſta, (quem antea cadum dixerat, potuit effugere, et latere vagantem et omnia diripientem ducem Marſorum Spartacum.* Simili fere ſenſu od. 3, 16, 32. Purae riuus aquae – fulgentem imperio fertilis Africae *Fallit* ſorte beatior. h. e. *Res mea tenuis felicior, beatior ſorte ſua, fallit, latet eum, qui fulget imperio Africae, proconſulem diuitis illius prouinciae. Beatior eo ſum, qui meam felicitatem ignorat, proconſule. Bentleii autem emendatio eſt elegantior forte, et recepta a Geſnero.* Purae riuus atquae – – – fulgente imperio ſ. A. *Fallit* ſorte beatior. *Fallit ſorte, ſiue plene in ſua ſorte beatior proconſulatu Africae: reuera felicior conditio eſt, quamuis id a plerisque ignoretur. Tum* Fallit *abſolute poſitum* vt λαθεῖν *eodem ſenſu paſſim apud Graecos,* ſic ipſe Epiſt. 1, 18, 103. ſecretum iter et *fallentis* ſemita *vitae:* * *obliuionem afferre.* Hor. Serm. 2, 2, 12. Molliter auſterum ſtudio *fallente* laborem. * Id. Epod. 16,

45.

45. Nunquam *fallentis* termes oliuae. *Ita saepius* fallax fundus, *qui spem domini fallit, sterilis.*

FALSVS, qui in errore versatur. Ter. 4, 1, 23.

FAMA, *opinio de rebus ex narrationibus quasi per manus traditis* Hor. Art. 119. Aut *famam* sequere, aut sibi conuenientia finge. i. *compone in fabula iam nota omnia sic, vt respondeant opinioni de ea concepta, verisimilitudinem obserua, vt nihil discrepat ab traditis et creditis narrationibus de aliquo homine, re etc.* opp. *argumentis prorsus fictis, vbi tantum videndum, vt omnia sibi conueniant.*

FAMILIA, *res familiaris* Ter. H. 5, 1, 36. decem dierum vix mihi est (i. e. *conseruatur*) *familia.*

FAMILIARITER *ferre, grauiter aliqua re quasi domestico malo affici, commoueri.* Ter. A. 1, 1, 84. Hic paruae consuetudinis Causa mortem huius tam fert *familiariter.* cf. ibid. v. 109.

FAMOSVS, *famosa* mors, *quae famam afferat siue bonam siue malam.* Hor. Art. 469. Fiet homo et ponet *famosae* mortis amorem.

FANATICVS error *fanaticus, de eo qui a Faunis percussus, lymphatico spiritu actus errat.* sic Vet. Schol. ad Hor. Art 454. Vt mala quem scabies aut morbus regius vrguet Aut *fanaticus* error, et iracunda Diana. *Credebatur Diana homines in furorem coniicere, inprimis si sacra essent neglecta. vid. plura apud* Turneb. Aduers. libr. 6. c. 25, et libr. 19. c. 9.

FARTOR Ter. E. 2, 2, 26. concurrunt laeri mihi obuiam cupedinarii omnes, Cetarii, lanii, coqui, *fartores*, piscatores, aucupes. Quibus et re salua et perdita profueram et prosum saepe etc *Vides quanta arte h. l. Terentius omnia collegit, quae parasiti expressam imaginem perficiant;* cf. vers. 19. seqq.

FASCIOLA, Hor. Serm. 2, 3, 255. ponas insignia morbi, *Fasciolas*, cubital, focalia. Vet. Schol. *Fasciola sunt ornamenta quaedam brachiorum et crurum vittae purpureae; de toto loco vide voc.* Insigne.

FASTI, *de Actorum libris, in quibus nascentium nomina atque natales continebantur* Hor. od. 4, 13, 15. Tempora quae semel *Notis* condita *fastis. bene* notis *h. l.*

FASTIDIOSE Phaedr. 3. prolog. 23. fastidiose tamen in coetum recipior *i. e. Vix tandem, nec sine difficultate multa admittor.*

FATALIS; *cum saepe apud Latinos* fatale *sit id, ex quo fatum, sors summa alicuius vrbis, hominis,* etc. *pendet, vt Palladium Troiae*, hinc bene de Cleopatra Horat. od. 1, 37, 21. daret vt catenis *fatale monstrum; de vaticinio quodam quod exstitisset in libris sibyllinis ego hic nihil cum Baxtero cogito, sed* monstrum *pro* prodigio *accipi recte possit. Est* fatale monstrum, *quod fatum, perniciem minatur.* * *Fatalis* iudex Id. od. 3, 3, 19. *eodem sensu, de Paride, secundum notam fabulam, pulcherrimam Venerem iudicante, cum decertaret cum Iunone et Minerua.* * labor, *a fato imperatus, vt Herculis tam noti labores* cf. Lucret. prooem. libr. 5. *ad* Hor. Epist. 2, 1, 11. diram qui contudit Hydram Notaque *fatali* portenta *labore* subegit. * Phaedr. 11. Epilog. 18. *fatale* exitium corde durato feram donec fortunam criminis pudeat sui *i. e. interitum operae, atque artis, famaeque inde parandae, quem mea culpa non attraxerim, sed a fato mihi impositum habeam, vt meum opus eorum in manus incidat, quibus natura nouerca mali sensum dedit, boni pulchrique abstulit.*

FATIGARE, prece, pro *precari et tandem exorare.* Hor. od. 1, 2, 26. Prece qua *fatigent* Virgi-

nes sanctae minus audientem Carmina Vestam? * Phaedr. 4, 19, 24. Quid dum quadrantes adgeras patrimonio, coelum *fatigas* sordido periurio, *ob sordidum minimumque lucellum periuria committis, quae vel multitudine sua et crebritate ipsum Iouem audiendo delassare valeant. Ita recte locum explicat, vt mihi videtur, optimus Rittershusius.* * Hor. od. 2, 11, 12. Quid aeternis minorem Consiliis animum *fatigas? sollicitas.*

FAVERE, linguis, *solemnis locutio in sacris rebus, sacrificiis etc. vbi silentium imperatur, ne scilicet quis verba male ominata loquendo polluat sacrificium; fauet igitur sacris dum silet. Vid. Cic. diuinat.* 1, 45. rebus diuinis, *inquit*, vt fauerent linguis imperabatur. *Quoniam vero hoc ritu summa reuerentia indicabatur, perquam significanter* Horatius in lib. 3. Odar. 1. 2. Fauete linguis. *accipio enim primam huius carminis strophen cum Gesnero pro praefatione libri tertii; falso hucusque a plerisque, et ipso* Marmontelio in Poëtique françoise To. 2. pag. 415. *initium putatur solius huius odae et quasi praeparatio ad praecepta et magnificas sententias, quae consequuntur* e. g. Regum timendorum in proprios greges Reges in ipsos imperium est Iouis etc. *Verbis* fauete linguis; *itaque reuerentiam poscit poëta* εὐφημιζων *dicturus* carmina non prius Audita pueris Virginibusque. *scil. lyrica, qualia in lingua Romana nondum exstabant.*

FAVSTITAS *nouum verbum Horatii* od. 4, 5, 18. Nutrit rura ceres almaque *faustitas; intelligere malim cum Vet. Schol. de felicitate, vt persona hic inducta, quam cum Gesnero de fauore diuino. Fauet nostrae interpretationi omnis loci perpetuitas. Tu ipse iudicabis.*

FAVX Phaedr. 1, 1, 3. *pro fame, rabie lupi sic ventri improbam rabiem Virgilius dixit Aeneid. Lib. II v.* 355 *et adiungit* fauces siccas *lupi. adde* Hor Epod 14, 3, 4. Fauce improba incitatus *h. e. deuorandi ardenti cupidine incitatus, siue impulsus. Alii legunt* face *cum Pithaeo et per stimulum explicant, sed dubito an simpliciter hoc sensu ponatur. Neque enim illud est sine exemplo ipsius Phaedri, qui alias dixit* dente improbo adpetere. 4. 7. *quid hoc aliud quam dente nimis rapaci, atque sanguinem cupienti? sic quia lupus maxime vorax est, cupiditas eius bene fauci adscribitur, quae ipsum impellit, cui seruit, quaque maxime rapina delectatur Quare quod Bentleius cum Rittershusio mutat* fame, *quia voc.* incitatus *ad affectum aliquem vel appetitum referendum sit, id temere faciunt,* fauce *idem hoc in loco significante. Legi vero etiam interpretationem Angli, nescio cuius, qui* fauce improba *connectit cum* intulit, *voc.* incitatus *vero refert ad citum gressum quo currat, sed ea adeo non placuit, vt potius contra ipsam narrationem huius fabulae illam esse, putauerim.* cf. ipse seqq. *Nobis hoc loco non licet esse copiosis.* * Ter. Heaut. 4, 2, 6, Crucior tantum bolum mihi Ereptum tam subito e *faucibus. Comica venustate! vid.* Bolus

FAX *proprie frustum e dissecta arbore, alendo igni inseruiens; quare* Phaedr. 1, 28, 8. ardentem facem *dicit* vt v. 5. Iul. Obsequens c. 70. Lauinii *fax ardens* in coelo visa est. *Adde* Virg. Georg I. ferroque *faces* inspirat acuto. *Neque tamen, modo non rimetur lector, illepide hic Phaedrus, vt aliis locis, pluribus, redundanti verbo vsus fuerit.*

FENESTRA, *Fuere apud antiquos fenestrae tantum foramina aperta, ad lucem accipiendam, reti-*

reticulis aut valuis munita, vt iam docuit Gesnerus. *Hinc* iunctae fenestrae s. clausae valuis Hor. od. 1, 25, 1. Parcius *iunctas* quatiunt fenestras Ictibus crebris iuuenes proterui. *De venustate faceti huius et abrupti, h. e. digni odae, initii huius carminis vix est quod moneamus lectorem bonum, qui per omne hoc carmen diffusam comitatem, et vatum lepide ridentem agnoscet.* * *tropice, pro occasione.* Ter. H. 3, 1, 72. huc quantam *fenestram* ad nequitiam patefeceris. *Solus praeter* Terentium *hoc tropo vsus est, quod quidem sciam, Suetonius Tiber. c.* 28.

FERE *pro* plerumque Hor. Epist. 2, 1, 236. Veluti tractata notam labemque remittunt Atramenta, *fere* scriptores carmine foedo splendida facta linunt. * *nonnunquam* Id. Epist. 1, 19, 5. Vina *fere* dulces oluerunt mone Camoenae. *ex noto illo prouerbio, sine vino non nasci poëmata pulchra* cf. vers. 2. sq. Epicharmus apud Athen. libr. 14. ἐκ εςιν διθυραμβος ἂν ὕδωρ πινει. cf. Gatakeri Miscell posthuma c. 15.

FERIRE, Ter. Ph. 1, 1, 13. *ferietur* alio munere. *Elegantissime, ac significanter dictum, de munere, quod quis cum summo suo incommodo alteri offert.*

FERRE, *pro proferre* Hor. od. 1, 12, 42. Hunc et incomtis Curium capillis vtilem bello *tulit. Non explicari potest sentiri debet vis h. v. h. l.* * pedem; *de saltante.* Hor. od. 2, 12, 17. Etiam nec *ferre pedem* dedecuit choris. * *auferre, accipere* Ter. Ph. 3, 3, 27. Iam feres. * Phaed. 1, 2, 29. quia noluistis *ferre* bonum, malum perferte. *Eleganter* perferte, *augendi vi*, i. *noluistis illud ferre, hoc oportet ferre*

FERTILIS *fertilis* Bacchus, *de loco vini abundanti* Hor. od. 2, 6, 19. Amicus Aulon *Fertili Baccho* minimum Falernis Inuidet vuis. *audaci et pul-*

pulchra figura, laus vini ad Aulon summa, quod tam bonum sit, vt ne optimo vino quidem Falerno praestantiam *suam inuidere possit.*

FERVS *absolute pro fera, subintellecto tamen mare,* Phaedrus 1, 12, 9. 11, 8, 14. cet.

FESCENNINVS, licentia fescennina; *est versus faciendi* Fescenninos, *petulantes, procaces, plerumque etiam obscoenos; vnde originem duxerint ipse narrat* Hor. Epist. 2, 1, 139. seqq. Festus. *dicti versus illi Fescennini, quod ex vrbe Fescennina allati essent, siue quod fascinum putantur arcere.*

FESSVS, fessi corporis artus, *de defatigato morbis et infirmitatibus corpore.* Hor. Carm. Saecul. 64. Qui (*Phoebus*) salutari leuat arte (*medica*) *fessos* Corporis *artus.*

FESTINARE, contendere, *sollicitum esse cum trepidatione* Hor. Serm. 1, 1, 113. sic *festinanti* semper locupletior obstat. *h. e. qui sic properat sollicitus ad congerendas diuitias, semper reperiet, qui se etiam ditior sit.* Festinat, *secundum Nonium Marcellum; qui multa simul incipit, agit, nec perficit;* Properat, *qui vnum quid mature transigit. Nec tamen semper id discrimen obseruatum reperimus; quanquam haud vim addit.*

FESTIVITAS, *comitas iucunda, quae cum facilitate, ad voluptatem aliorum aut felicitatem efficiendam, coniungitur.* Ter. E. 5, 8, 18.

FESTVS Ter E. 3, 5, 12. *o festus dies hominis; de homine exoptato, fausto, auspicato.* cf. Turneb. Adu. lib. 3, c. 11. *Fere eadem locutio occurrit apud* Plaut. Casin. 1, 1, 49. *Igitur nulla caussa subest, quae nos moneat, vt cum Guyeto verbum* hominis *ex isto loco eiciamus; cum v. c. dicatur etiam Eun.* 4, 4, 29. monstrum hominis; *etsi adstipulatur Guyeto* Bentleius, *qui legendum esse putat: o festus dies! o meus amicus! salue!* *

ferias

feriis agens Hor. od. 3, 18, 11. *Festus* in pratis vacat otioso Cum boue pagus. *de Faunaliis annuis Feriis Non. Decembribus.* vid. Turneb. lib. 21. c. 3.

FICTILIS Phaedr. 4, 14, 3. vulgus fictile, *homines sunt a Prometheo ex luto ficti, singulaque membra compacti. Eleganter hoc, quod fertur, applicat Phaedrus* l. d.

FIDELIS: oculi *fideles, quia viuidius per eos res nobis imprimuntur, quam per aures, et quae cernuntur, magis valent ad fidem faciendam, quam quae audiuntur.* Hor. Art. 181. quae sunt oculis subiecta *fidelibus.*

FIDERE aliquo, *pro superbire, non erubescere* Hor. od. 3, 24, 20. Nec dotata regit virum coniux nec nitido *fidit* adultero, *propter formosum et bene ornatum adulterum. Posset tamen etiam* fidere *esse, se plane adultero credere, committere; nec incon-cinna aut praeposteram h. l. oriretur sententia.*

FIDES *Phaedr.* 3, 13. *vlt.* pacta fides, *promissum.* Hanc praeteriissem fabulam silentio, si pactam fuci non recusassent *fidem. Apes et fuci in eo conuenerant, vt, lite ad forum perducta, iudicis sententia acquiescerent vellent. Iudicis vero sapientia atque religione, quam non sperarant, deterriti fuci recusant conditionem, et iudicis auctoritatem, cui sese commiserant, respuunt. quamobrem fabulam praetermittere non potuit, quin narraret inauditum tale quid.*

FIDICINA Ter. E. 3, 2, 48 *puella quae fidibus scit.* coll. E. 1, 2, 53. *Atque non est, quod cum Donato alias notiones obscoenas certe h. l. huic vocabulo subesse credamus; quanquam non negandum, interdum has fidicinas faciles ad quaeuis fuisse* vid. Ambubaia *et* Deuius.

FIERI, *in rationibus, de summa integri computati* Hor. Art. 329. Re-

dit vncia, quid *fit?* vid. *Redire.*

FINGERE, aliquem nobilem, i. *reddere, efficere.* Hor. od. 4, 3, 12. Quae Tibur aquae fertile perfluunt (*alii* praefluunt *melius! et ita plures Codd.*) et spissae nemorum comae *fingent* Aeolio carmine nobilem. *Est autem h. l. efficacia quaedam et venustas τῆ* fingere, quasi *creabunt* cet. * artibus *fingi* i. *formari, institui ad aliquam rem; de puella, iam discente ab tenera aetate fraudes ad decipiendos iuuenes et maritos.* Hor. od. 3, 6, 22. *Fingitur artibus* iam nunc et incestos amores De tenero meditatur vngui. *sic enim lego cum plurimis codd. Bentleio annuente; Gesnerus et Baxterus legg.* artubus, *sed tum et idem esset cum superioribus:* Motus doceri gaudet Ionicos; *et sequentia, sc.* incesti amores *et* iuniores adulteri *suadent* de artibus *hic potius cogitare.* * de cultu *et ornatu capillorum Phaedr.* 2, 2, 8. Cum se putaret *fingi* cura mulierum, Caluus repente factus est.

FINIS exiguo *fine* discernere. Hor. od. 1, 18, 10. Fas atque nefas *exiguo fine* libidinum discernunt auidi, i. *auidi libidinum fas atque nefas nulla fere differentia discernunt* * supremus, *pro morte* Hor. Epist 2, 1, 12. *de Hercule,* comperit inuidiam *supremo fine* domari. *sic etiam dicitur* supremum funus *alibi.*

FIRMVS Hor. Epist. 1, 17, 47. Fundus nec vendibilis nec pascere *firmus* i. valens. * Id. Epod. 12, 3. *firmus* iuuenis *i. valens ad rem veneream.*

FISCI *Corbes spartei s. viminei, quibus maiorem pecuniae summam seruabant et gerebant veteres* Phaedr. 11, 7, 2. Muli grauati Sarcinis ibant *duo,* Vnus ferebat *fiscos* cum pecunia, Alter tumentes multo saccos hordeo.

FLABELLVLVM Ter. E. 3, 5, 20. (al. 50.) *Olim in quibusdam libris erat* flabellum; *sed versus,* Guyeto *obseruante, postulabat,*

labat, vt ex veteribus membranis diminutiuum h. l. reſtitueretur. Maior etiam ex eo naſcitur comica facetia, cum dicitur flabellulum tenere te *aſinum tantum.*

FLAMMA Ter. E. 3, 2, 38. *E flamma* petere te cibum poſſe arbitror. *Quibus verbis deſcribitur ſordida Gnathonis auiditas. Ducta autem locutio a dapibus, quae pro inferiis in rogum mittebantur; quas qui comederet, infamis ac nefarius habebatur.*

FLVERE fluens nauſea. Hor. Epod. 9, 35. *vid.* Nauſea.

FOCALE, *collarium a collo dependens ad fouendum collum et fauces.* Vet. Schol. *ad* Hor. Serm. 2, 3, 255. Ponas inſignia morbi, Faſciolas, cubital, *focalia. vide Inſigne.*

FODERE latus, *pulchre de aſtante ſeruo nomenclatore, qui extrema manu pulſum admonet ambientem, vt illum et illum ſalutet, prenſet manus, ſuffragiumque pro ſe petat in comitiis.* Hor. Epiſt. 1, 6, 10. Mercemur ſeruum qui dictet nomina, laeuum qui *fodiat* latus. *Sunt qui* ſaeuum *legant pro* laeuum, *falſo; alii vero habent* fodicet *pro* fodiat, *quod idem fere. Eadem ſignificatione, vt ſit digito cubitoue admonendi cauſſa pulſare.* Ter. Hec. 3, 5, 16. 17. dic iuſſiſſe te. Ph. noli *fodere;* (*ſcil me*) iuſſi.

FOENVM Hor. Serm. 1, 4, 34. Foenum habet in cornu. *de homine ad laceſſendum prompto; petulantium enim boum cornibus foenum appendere Romani ſoliti, vt ſibi homines cauerent, vt notat ad h. l. Schol. Eſt vero ſermo improbi hominis et qui odit poëtas, de iis ipſis, lepidus et vera vrbanitate conditus.*

FORMIDOLOSVS *trux, ſaeuus.* Hor. od. 2, 17, 18. ſeu me ſcorpius aſpicit *formidoloſus*, parat violentior Natalis horae. *Credebatur Scorpius liberis ſuo ſidere natis breuem vitam, vel violentam mortem polliceri.*

* Ter.

* Ter. E. 4, 6, 18. *terribilis, qui alios formidat aue eis timorem iniicit.* obſerv. *Cum in vniuerſa hac ſcena Chremetis timiditas pariter, ac ſimplicitas natiuo colore depingitur, tum his potiſſimum verſibus dici non poteſt, quantam in colluſtranda eius imagine ſollertiam artemque Terentius adhibuerit. Verſ. 6.* Thais *dixerat, omnem Thraſonis turbam propter eum eſſe factam, atque ad eum pertinere. Anxie ſtatim quaerit:* Ad me? qui? quaſi iſtuc? *Nonne vides hominem perturbatum, cui timor omnem ſapientiam ita expectorauit, vt vix tria verba loqui poſſit? Porro quum videt militem cum pauciſſimis ſeruulis, iisque perquam ignauis appropinquare, timidus interrogat.* v. 16. Viden' tu illum Thais? *Veretur autem ne non intellexerit mulier, quid velit; quamobrem:* Militem ſecum ad te, *inquit,* quantas copias adducere? *Erant nimirum ſex homines, ne contemnamus exercitum! Atque cum Thais per iocum ex eo quaeſiſſet, num* formidoloſus *eſſet, qui ſcil. iſta diceret; ingeniam hanc edit ſtultitiae vocem:* Ego formidoloſus? Nemo eſt hominum qui viuat minus. *Credo tibi! Sic ad finem vsque ſcenae a ridiculo timore ſibi non temperat. Longius hic forte, quam opus erat, fuimus, ſed abrepti ſumus admiratione comici noſtri, qui, ſi quisquam alius, certe is eſt, qui perſonae tribuere ſcit conuenientia cuique.*

FORMVLA, *tranſlate a formulis praetoriis, quibus crimina definebantur, pro* definitione, *lepide!* Hor. Serm. 2, 3, 45. Haec magnos *formula* reges, excepto ſapiente, tenet. h. e. *ita explicata inſania* (cf. v. 43.) *reperitur in omnibus praeterquam vere ſapiente ſcil. Stoico.*

FORTIS pro *nobili, generoſo,* Hor. Serm. 2, 3, 216. * Ter. A. 4, 2, 19. P. Quis videor? C. Miſer aeque

aeque atque ego. D. consilium quaero. *Fortis.* Scio, quid conere. *Hunc locum foede interpolatum, et sic omnino constituendum esse arbitratur Guyetus* ad h. l.

Quis videor? C. *Fortis* at miser aeque atque ego. D. consilium quaeram.

Adiiciamus etiam Bentleii *emendationem, quae illam sine dubio superat:*

P. Quis videor? C. Miser aeque atque ego. D. consilium quaero. C. *Fortis* si quid conere. *cf. ipsum locum.*

* Phaedr. 1, 5, 8. Ego primam tollo, nominor quia leo; secundum quia sum *fortis*, tribuetis mihi. *Quamquam ibi constat leonem vanas causas adferre, quibus nixus singulas partes sibi sumat, quia postremum etiam, dum nec fingere satis potest, minas exercet, attamen videtur Phaedrus exposuisse simul quandam speciem a leone exhibitam in hac partitione. Primus tollit partem,* quia nominor leo, *h. e. sum leo s. princeps ferarum, ergo quoque inter vos; deinde quia animosus ego, atque maxime periculum in venatione adii, praecipuam partem mihi deberi non negetis, itaque alteram sumo; praeterea plus valeo s. efficere possum, quam omnes vos socii, quare mihi iure debetur, sine vlla contentione, tertia. Ita mentem Phaedri intellexisse etiam* Camerarium *video, quam bene expressit in fabula eiusdem argumenti. Plura Rigaltius ad hunc locum.*

FORVM, litibus orbum Hor. od. 4, 2, 44. *de Iustitio vid* Orbus.

FRANGERE rem Hor. Serm. 2, 3, 18. Postquam omnis res mea Ianum ad medium *fracta* est. *Tres erant statuae Iani in foro Romano, quarum vna in medio foro, vbi foeneratores res pecuniarias agebant; hic igitur Damasippus naufragium rerum suarum fecisse adeoque foro cedere coactum se dicit:* * diem; *venusta metaphora de combibentibus vinum*

vinum hilariter, compotatione suaui. Hor. 2, 7, 6. cum quo morantem saepe *diem* mero *fregi.*

FRAVDATOR Phaedr. 1, 16, 1. *Fraudator* nomen Cum locat sponsu improto Non rem expedire sed mala videre expetit. *Haec vulgaris lectio, sed dubitant merito de eius veritate viri docti, et varie hunc locum emendare voluerunt. Nobis praeprimis placet Burmanni coniectura, cui veteres MSS. fauent. Legit*: Fraudator hominem cum vocat sponsum improbum, Non rem expedire sed mala videre expetit. *Hanc emendationem etiam recepit Bentleius, magnus alias corrector. Atque minimum, hac lectione constituta sensus Phaedri constare videtur.* Fraudator *est qui debitum soluere non solet.* Homo improbus *vid. fab.* 31, 1. *est homo iniustus, sine fide;* Sponsum vocare *aliquem i. e. ad spondendum pro se.* Horat. Ep. 11, 2, 67. *Quodsi communis lectio tenetur, haec* est sententia: *fraudandi cupidus debitum si contrahit, sponsore improbo, qui nec ipse seruare fidem solet; certum est, nolle eum istam caussam perficere iuste, debitumque aliquando soluere, sed rationes impeditas reddere, ita vt fraudetur creditor re sua mutuum data. Verum dubito, an* sponsu improbo *sit pro sponsore improbo, quod e Virgilio frustra probare voluit Scheffer us; praeterea* nomen locare *vix alias inuenitur de debitore, quare tutius egisse sibi videtur Kohlius in comment. critic. pertedec. I. Loco I. qui ita locum explicat, vt* fraudatorem *non* debitorem *intelligat, vt vulgo, sed* sponsorem, *hunc enim nomen suum* locare *dici posse debitori cuidam i. suum nomen praebere in alterius vsum, vt a creditore scribatur. Simili ratione* dici a Cicerone *nomen suum alicui commodare ad translationem crimins. Nobis vero de lectione*

ctione non satis confirmatis obstat, id quod dici vix a Phaedro possit: sponsu improbo *fraudulentus cum* nomen locat, *quo enim illud? cum de sponsione maligna atque dolosa nullus sermo sit in tota fabula, cuius argumentum hoc sane est: Si quis male fidus alium haud certioris fidei pro sponsore adducit, is non optima quaeuis animo intendit.*

FRAVS pro, *crimine, scelere.* Hor. od. 1, 28, 31. *Fraudem* comittere. * pro *noxa, damno.* Hor. od. 2, 19, 20. Tu separatis inuidus in iugis Nodo coerces viperino Bistonidum sine *fraude* crines. * *homo fraudulentus* Ter. H. 5, 4.

FRATERNVS. lyra *fraterna dicitur Apollinis, quia a fratre Mercurio eam dono acceperat, cui dederat caduceum* Hor. od. 1, 21, 12.

FRIGIDVS *qui est absque omni quasi animi affectu, timore etc.* Hor. Art. 465. Empedocles — ardentem *frigidus* Aetnam insiluit. *Mit kaltem Blute. Pulchre oppos.* frigidus *et* ardens! *Fabulam ipsam de Empedocle* refert Diog. Laert. 8. 69. *vbi vid. Menag.* * rumor, Hor. Serm. 2, 6, 50. *lentus, incertus, rumor sine capite.*

FRIGVS Pelignis carere *frigoribus.* Hor. od. 3, 19, 8. *Tota nocte ad focum sedere inter bibendum; bene! Sabiniae enim imminebant Peligni montes. Male Crucquius ad h. l. de Peligno vino cogitat.*

FRIVOLVS. *friuola proprie sunt autore Festo, fictilia vasa quassa; hinc omne id friuolum dicitur quod nihili putandum ad id quod esse deberet.* Phaedr. 3, 6, 8. friuola, insolentia *h. e. vana, cui nullae subsunt vires.* 5, 7, 1. Aura friuola, *inconstans, cui fidere nemo potest. vide* Aura.

FRONS angusta Hor. Epist. 1, 7, 26. Reddes forte latus nigros *angusta fronte* capillos. *de iuuentute esse sermonem facile patet, hinc ego* angustam frontem *intelligo, teneram*

ram atque leuem, nullis rugis asperam, senibus enim crescit frons, cadentibus capillis cf. Od. 1, 33, 5, Insignem tenui fronte Lycorida Cyri torret amor. *Plane sic pingi iubet puellae suae* Anacreon ὑπο πορφυραισι χαιταις ελεφαντινον μετωπον v. Od. 28, 12. * *frontibus aduersis* pugnantia secum Hor. Serm. 1, 1, 103. *plane inter se differentia; contraria sibi; translatione sumta a gladiatoribus; aut etiam arietibus secum pugnantibus.* * in fronte *i. e. in latitudinem siue in viam publicam* Hor. Serm. 1, 8, 12. Mille pedes *in fronte*, trecentos cippus in agrum, hic dabat; haeredes monumentum ne sequeretur, *in agrum* est in *longitudinem. Agitur scil. de agro a quodam ignoto nobis, populo donato ad sepulchra publica, in via Esquilina, sepulchro publico, vbi postea horti Maecenatis erant; vnde explicandus totus locus. Verba:* haeredes monumentum ne sequeretur, *referenda ad formulam, qua testatores significabant, secretum loci spatium e suis agris exceptum, quod et suis haeredibus eximerent, et reipubl. seu alii corpori donarent. Inscribebantur hae literae* H. M. H. N. S. i. e. hoc Monumentum heredes non sequitor. vid. Grut. Inscriptt. pag. 856. laud. *iam ab Gesnero.*

FRVI Phaedr. 3, 7, 26. *Fruere* quae laudas. *Formula vsitata remittendi alteri libenter sua bona sine inuidia.* * Id. 4, 4, 10. *cum quarto casu.* Me *data* possideant aut *fruantur.* * Hor. Epist. 1, 1, 71. Non vt porticibus sic iudicis *fruar* iisdem. *Bauerus* Animaduers. in Horatium pag. 5. *legit* ferar *pro* fruar. *En ipsius verba:* Nondum me poenitet coniecturae olim conceptae, pro *fruar* vt *ferar* legerem. Quid enim est *frui iudicio?* Ne *porticu* quidem *frui* sat commode dixeris. At *ferri porticu* est incedere, ambulare ibi;

ibi; et *iudicio ferri* est abripi, in transuersum agi, multitudinis sensum sequi. Certe, si syllepsis est, mollius, vocabulo respondere verbum, cui proxime iunctum sit.

FVCVS *Marinus, herba, e qua vestes tingi solebant*, vid. Plin. 26, 10. S. 66. *vbi docet in Creta vestes* fuco tingi *eumque conchyliis substerni, h. e. lanas prius imbui, quam pretiosum alterum colorem bibant. vid.* Gesnerus ad Quintil. L. 12, 10. pag. 634. *Inde, pro quouis colore figurate apud* Hor. od. 3, 5, 27. Neque amissos colores Lana refert medicata *fuco*. Adde Eund. Epist. 1, 10, 27.

FVGITIVVS Ter. H. 4, 1, 65. Retraham hercle, opinor, ad me idem illud *fugitiuum argentum* tamen. *Perquam comice et ioculariter, more seruorum, pecunia, quae videbatur amissa, nunc recuperata, cum homine fugitiuo comparatur. Quam scite intellexit auctor comoediae, quid interfit, Dauusne an Heros loquatur? Quod autem illa ex phrasi probare conatur Bentleius*, H. 3, 2, 1. *legendum esse*: inueniendum *es* argentum, *non autem* inueniendum est, *in eo fallitur. Equidem, si fatendum est, quod sentio, non sum tam acutus, vt perspiciam, qua ratione nostro ex loco cuiquam persuaderi possit, Syrum in illo priori prosopopoeiam, non simplicem loquendi* rationem adhibuisse.

FVLMINEVS *elegans epitheton dentium aprugnorum*. Phaedr. 1, 21, 5. *ab acie atque furore sic dictorum.*

FVMVS: bibere *fumum, de vino*, vid. Apotheca. * Hor. od. 3, 29, 12. omitte mirari beatae *Fumum* et opes strepitumque Romae. *Dudum erat quod credebam, reiectis omnibus interpretum nugis, proprie h. l.* fumum *esse intelligendum; pingere poetam Maecenatem ex alta turri despicientem Romam, et ascendentem ex tam*

ampla et celebri vrbe fumum coelum versus, qua mihi nihil pulchrius esse videbatur, qui ipse hanc voluptatem interdum in ampla vrbe Lipsia gustassem, nunc video laetus, idem sensisse mecum Klotzium Vindic. Horat. p. 226.

FVNALE, *funalia, faces quibus amicorum ianuae vrebantur aliquando, cum intromitti se cuperent foribus clausis,* Hor. od. 3, 26, 6. Hic, hic, (*in templo Veneris, vt donaria, quae donabantur artis Deo, aut Deae, in cuius tutela fuerat, qui hanc artem excoluerat*) ponite lucida *funalia*, et vectes et arcus, oppositis foribus minaces. *vid. de more quo respexit h. l. vates voc.* expugnare *Sed quid* arcus *sibi velint* h. l. *interpretes dudum quaesiuerunt. Non enim arcu, aut infringuntur fores aut petuntur puellae. Bentleius pro* arcus *coniicit* fecuresque, *Cuningamius* harstas *posuit in textu ipso. Sed ego cum Gesnero machinas illas polioreetas intelligo; quas recentior certe aetas* arcubalistas *nominauit. Saltem diu mihi consideranti locum nihil melius occurrit.*

FVNDERE liquorem nouum. Hor. od. 1, 31, 2. *Solemne erat fundere e patera primitias viri antea quam biberent.* v. *Patera.*

FVNIS tortus *epith. fere perpetuum.* Hor. Epist. 1, 10, 48. *Tortum* digna sequi potius quam ducere funem (pecunia) *Sensus facilis: pecunia non debet trahere hominem, sed trahi ab homine; quo vero sit allusum, parum facile explicatu est. Plurimi putant respici saltantes ad restim, vt Lambinus et Crucquius; alii dubitantes restim; alii, graecae saltationis ridiculae genus κορδακισμον vid. voc.* Restis. *Baxterus sic:* aequum est pecudem seruire pecuario, non pecuarium pecudi, cum necesse sit vt alter alterum trahat; notum est, pecudes fune ligari in pascuis. *Sententia eadem*

eadem, quaecunque sit Allegoria; Baxteriana tamen maxime placet.

FVO Ter. Hec. 4, 3, 4. fors *fuat* pol. i. e. *proprie*: fortunatum sit per Pollucem. *Est autem aueruncandi mali formula. q. d. Bona quaeso verba loquere.*

FVR Ter. E. 4, 7, 6. *manipulus furum; siue est i. q.* cohors seruorum Virg. Eclog. 3, 16. *siue pro* militibus praedantibus *dicitur, qui a nobis dicuntur der Troß; Posterior explicatio magis, vt arbitror, conuenit cum ridicula Thrasonis ostentatione, qui sex miselos homines, quos habebat, secum adductos, magni instar exercitus in ordines dispertit.*

FVRIARE *verbum ab Horatio suae linguae donatum.* od. 1, 25, 14 libido, Quae solet matres *furiare* equorum, *in furorem libidinis concitare.*

FVRVVS furuam *Prosperpinam esse mystico nomine appellatam* notat Schol. Crucq. ad Hor. od. 2, 13, 21.

FVTILIS Ter. A. 3, 5, 4 *Deriuatur a* Futil, *vase in sacris Cereris vsurpato, quod, vbi ad terram poneretur, continuo ebibebatur, atque reliquiae, quas continebat, effundebantur. Eo fine inuentum esse dicunt, quoniam in sacris Cereris nefas esset, aliquid superesse. Sunt tamen, qui a sacris Vestae ortum esse dicant. Sed his non est nunc locus. Adiectiuum inde ortum* Futilis *persaepe significat hominem,* qui commissa tacere nequit. *Hoc autem l. est is, qui in aliorum negotiis inconsulte ac temerarie agit, adeo vt omnia perdat, ac perturbet, Verum hoc esse patebit ex loci illius perpetuitate, collatis praesertim* A. 3, 4, v. 22 24. cf. Stat. Thebaid. 8, 297.

Tellurem placare parant. Nec *futile* moestis
Id visum Danais.

et vide quae dixit *Barthius* ad h. l. *Interim Gallicus interpres, nescio quis, gallica leuitate*

vertit: un homme impertinent. *Nec felicior est* Giov. Fabrini Italus, *qui hoc verbum sic παραφραζει:* un servo da nulla, un servo vile, la cui vita non val tre quattrini. *lepide! * quia vasa proprie sunt* futilia, *cum nimis hiant, atque infusa effundunt, Phaedr.* 4, 17, 33. futiles canes, *dixit, qui aluum continere non poterant. * transfertur etiam ad ea, quae vana sunt atque inutilia Phaedr.* 5, 2, 8. Nunc ferrum conde et linguam pariter *futilem, h. e. linguam magnifica at vana eloquentem, vbi eleganter simul ad ferrum refertur;* ferrum futile, *est gladius, qui ad speciem inanem gestatur. Nota versum* 11. *ita legendum:* scio *quid* virtuti *nunc* sit credendum tuae. *Facilis emendatio Gudii, est enim in MSS.* quid.

G.

GALLVS; *Stolidi habiti Galli a Romanis et ostentatores.* Item γυναικομανεις, hinc Hor. Serm. 1, 2, 121. *Gallis* hanc, Philodemus ait, sibi quae neque magno stet pretio, neque cunctetur, cum est iussa, venire. Vet. Schol. *Relegat tales ad Gallos, qui magno adulteria mercantur. Philodemi Epigramma, quid est fundus huius loci, edidit* Reiskius in Anthologia Cephal. carm. 651. * Phaedr. 3, 20, 4. *Galli* Cybeles (*sacerdotes*) circum quaestus ducere Asinum solebant baiulantem sarcinas; *ex more scilicet, quo solebant Deae suae effigiem circumferre solemni ministro Asino atque baiulo, ac futura praedicere, stipemque colligere. Tympanum proprium eorum gestamen. Nomen nacti a flumine Gallo in Phrygia. Plura dat, vt parcamus loquentiae, vbi innumeros doctos viros excitare possemus,* Salmas. ad Tertull. de pallio pag. 202. et Gudium ad loc. laud. Phaedri edit. Burm. pag. 77. seqq. *de ipso loco si quaeris, vid. voc.* Quaestus.

GEME-

GEMERE; *de mari in freto, quasi in angustum coacto, quod se dein maiori cum impetu dilatat, intelligit Gesnerus* Hor. od. 2, 20, 14. Visam *gementis* litora Bosphori, *Ego malim simpliciter de murmure edente mari* πολυφλοισβοιο θαλασσης *intelligere.* * *Eleganter Idem de stridore antennarum* Id 1, 14, 6. antennaeque gemant. *vid.* Klotzii libellum de felici Audacia Horatii in opuscul. p. 165. *vbi plures similes locos ceterorum auctorum affert.*

GEMINARE acuta aera, *de nota illa Corybantium pulsatione cymbalorum, vsque iterata, raro significatu.* Hor. od. 1, 16, 8. Non acuta sic *geminant* Corybantes aera. *Bentleius pro* sic *legit* si, *male!* * Id. Art. 13. Non vt Serpentes anibus *geminentur*, tigribus agni; *coniungantur*, *scil. vt absona.*

GEMINVS, geminus Pollux. Hor. od. 3, 29, 64. *est Castor et Pollux, namque, vt Baxter ad h. l. erudite obseruat; Veteribus et fratres et sorores cognomines esse consueuerunt, sic et Philomela Progne et Progne Philomela erat.* cf. od. 1, 3, 2, et 1, 12, 27.

GENEROSVS, *nobilis* Hor. od. 3, 1, 10. hic *generosior* descendat in campum petitor i. *nobiliore gente conspicuus eat in comitia, in campum Martium, petitum magistratus.* * *dignum genere atque ortu nobili etiam* generosum *dicitur* Phaed. 1, 29, 9. Aper cum vellet facere *generosum* impetum, repressit. * testa *generosa* i. *pretiosa.* Hor. Serm. 2, 4, 31. Sed non omne mare est *generosae* fertile testae. *sic etiam de vino* Id. Epist. 1, 15, 18. Ad mare quum venio *generosum* et nobile quaero.

GENIALIS lectus; qui nuptiis, *inquit Festus*, sternitur, *vnde etiam appellatur.* Hor. Epist. 1, 1, 87. Lectus *genialis* in aula est. *Venisse* aulam *dicit.*

GENITALIS Dea, *Diana* Hor. Car. Saecul. 16. Lenis Ilithuia, tuere matres; siue tu Lucina probas vocari Seu *Genitalis. Sic dicta, quia praeses est gignendi, et pariendi*, Graecis γενεθλιος θεα, *quam vocem forte ita reddidit latinam Horatius. Bentleius reposuit* Genetylli; *quae vox cum latinis inaudita, et* Genitalis *idem sit, merito ab omnibus viris doctis improbatur; vide etiam Viros doctos, quos laudat* Klotzius Vindic. p. 268. *Obiter noto, quia plane omittere nolo, nec aliam video opportunitatem, carmen illud saeculare imitationem quamdam quorundam locorum in choro supplicum. Aeschyli inde a vers. 638. seqq. iudicari a Clodio in libello:* Versuch aus der Litteratur und Moral. Part. 1, p. 69.

GENS sine *gente* Hor. Serm. 2, 5, 15. *libertinus:* ingenui generosi dicuntur et gentiles *Vet. Schol.*

GENVS *ingenium, et ea omnis qualitas, quae a genere ducitur* Phaed. 1, 2, 15. Nisi nossem tuum animum *genusque, sic collectiue etiam sumsit Id.* 1, 31, 6. *genus* inerme *de columbis, Idem* 1, 2, 15 *genus* pauidum *de ranis meticulosis* * *simpliciter pro* stilo, genere *scribendi.* Phaedr 5. prol 13. Vsus vetusto *genere; de Aesopi ratione fabulas conscribendi*, quem alias Aesopi stilum *vocat* vid. eiusdem prol. 3, 29. Add. Id 3, prol. 33. coll. cum 4, 6, 2. *Hinc* prolog. 2, 1. Exemplis continetur Aesopi *genus etc. fabulas intelligit seu fabularem artem, qua ille ingenium suum exercuit diuersa ab aliorum docendi scribendique ratione. Sunt vero haud pauci, qui aliter hunc locum interpretentur, quos vide, si libet, apud Burm. sed cum genus hic intelligant de genere humano, vt* contineri *idem sit ac* cohiberi, *artificiosius profecto nugantur, quam necesse est. Saepius enim fabellas exempla* vocat. vid.

1, 3, 3. Aesopus nobis hoc *exemplum* prodidit it. 4, 2, 6. adscribere sibi exemplum h. e. *fabulam, itaque sic intelligendus locus. Ea scribendi ratio, quae ab Aesopo est, in fabellis versatur, quae apta proponunt exempla, quibus prudens consilium hominibus grate dari solet. Inde, dicit Phaedrus, non auctor semper fabulae quaerendus, sed respicienda res ipsa est, vtrum aurem capiat h. e. iucunda sit, nimirum exemplum narrando elegans, propositum seruet, seu homines corrigat. Tunc enim re commendatur. nam quod Bentleius cum Heinsio, alium sensum verbis tribuens,* commendetur *malit praeferri τῳ* commendatur (vers. 7.) *non probo.*

GERERE *praeferre, habere sic, vt et alii respiciant; inde ad cultum corporis vultumque translatum.* Phaedr. 1, 13, 7. quantum decoris corpore vultuque *geris* * Hor. od. 9, 22, 2. *eleganter et audacter ad amphoram vini* Seu tu querelas, siue *geris* iocos *Siue ad iocum vinum tuum nos exhilarabit, siue atram bilem mouebit.*

GESTARE in oculis Ter. E. 3, 1, 12. *legebant quidam*, gestire, *quod est omnino falsum, vt iam animaduerterunt Muretus, Scaliger, Guyetus, et alii; vt mirer, quid sit, quod Westerhouius hanc lectionem illi praetulerit.*

GLABRI *pueri*, debiles propter aetatem *vt Nonius videtur explicare, delicati, quos sibi luxuriosi vndique conquirebant, atque in deliciis habebant.* Phaed. 4, 4, 2. cf. Sueton. in Augusto c. 83.

GLACIARE *nouum Horatii verbum, quod* Plinius *postea frequenter vsurpauit.* Hor. od. 3, 10, 8. Positas *glaciat* niues Puro numine Iupiter.

GLADIATORIVS *audax, obfirmatus*, Ter. Ph. 5, 8, 71. Hi *gladiatorio* animo ad me affectant viam.

GLORIA, pro *iactantia* Hor. od. 1, 18, 15. Tol-

lens vacuum (*i. vanum*) plus nimio *gloria* verticem. *at quam pulchra imago!* Phaedr. 1, 11, 1. Virtutis expers, verbis iactans *gloriam*. *Quae viri docti huc afferunt siue ad explicationem, siue ad emendationem huius loci, non necessaria videntur: idem est ac* ostentare gloriam, *opponit vero gloriam virtuti, qua si caret, et verbis tantum iactatur, inanis est vt* Phaed. 1, 22, 12, *inane* iactare meritum * Pro *iactantia* etiam Ter. Hec. prol. 2, 25. pugilum gloria *i. e. pugiles glorioſi.*

GRADVS, *gradus mortis* i. *genus, ſed vt ſimul atrocitatem mortis minorem maioremue inuoluat, ſatis bene!* Hor. od. 1, 3, 17. Quem *mortis* timuit *gradum*, Qui ſiccis oculis monſtra natantia, Qui vidit mare *turbidum etc. pro* ſiccis *leg.* Sanadon *et* Cuningam. fixis, Bentl. *vero* rectis i. e. *intrepido, et inuicto animo, non vultum auertens, quam lectionem more ſuo, hoc eſt exemplis ſine more, et verbis congeſtis probare ſtudet. Idem pro* turbidum *leg.* turgidum, *quod poſterius, vt probo cum Geſnero et Klotzio, ita prius reiicio, legoque vt vulgatum*, ſiccis oculis. *Cuningamius Bentleium refutans affert Animadu.* in Hor. Bentl. c. 2. p. 21. *Similem cum noſtro hoc locum celebris poëtae Angli Dryden, quem, quo minus adſcribam, cum a paucis poſſideatur, et legatur Cuningamius, et Dryden, a me impetrare non poſſum. En imitationem Horatii!* What form of death cou'dhim af fright, Who *unconcern'd* with *ſted faſt Sight* Cou'd view the ſurges mounting ſteep, And monſtres rolling in the deep?

GRACILIS puer gracilis Hor. od. 1, 5, 1. Quis multa *gracilis* te puer in roſa Perfuſus liquidis vrguet odoribus Grato, Phyrha, ſub antro? *Eſt autem* Gracilis *idem quem nos dicimus* ſchlank, *vt*

vel

vel etiam patet ex Terent. Eunuch. 2, 3, 22. Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student Demissis humeris esse, *vincto corpore*, vt *gracilae* sient.

GRAECARI Hor. Serm. 2, 2, 11. si Romana fatigat militia assuetum Graecari, *potare, conuiuiis operam dare more Graecorum, sed acerbitas in Graecos festiua est!*

GRAMMATICVS, tribus *grammaticae, bene!* Hor. Ep. 1, 19, 40. Non ego nobilium scriptorum auditor et vltor. (*vindex, qui eis, quos audiui, mea poëmata recito quasi in vindictam*,) grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. (*i. e. prensare grammaticos, vt meos libros suis discipulis ediscendos proponant vt tum erat mos. conf.* Eund. Epist. 1, 20, 17. *Omnia verba lecta*, pulpita, ambire, tribus.

GRASSARI, *iter facere, ab impetu gradiendi, explicat Festus.* Hinc Hor. Serm. 2, 5. 93. Obsequio *grassare; aditum tibi aperi adulando* vid. Cortius ad Sallust. B. Iugurth. c. 1. 3. *et* Rod. Goclenius in obseruatt. lingu latin. p. 158. *Adde* Liuium libr. 10, c. 14. *consilio grassandum* si nihil vires iuuant. *plane vt in loco Horatiano.*

GRATVLARI *proprie, grates agere, vsitate Diis; vsus vero vulgaris longius postea praecessit, quum de eo, quod proprie, cueniſſe laetamur, nunc gratulari simpliciter dicimur, quo sensu Phaed.* 4, 11, 4. *de ipsis Diis.* Terent. *antiqua signif. illa*, H. 5, 1, 6. Ohe iam desine Deos vxor *gratulando* obtundere, tuam esse inuentam gnatam.

GRATVM, *quod gratiam nobis apud alios conciliat.* Phaed. 1, 22, 5 faceres si caussa mea *gratum* esset, *scil. tibi.* Man würde es dir Danck wissen. *sic et* Ter. Eun. 3, 1, 6 Est istuc datum profecto, vt *grata mihi* sint, quae facio, omnia. cf. Heaut. 2, 3, 21. Etsi non defuerunt, qui in

illo loco legerent: *Est istuc datum profecto mihi, vt sint grata quae* etc.

GRAVARI Hor. od. 4, 11, 27. Pegasus terrenum equitem *grauatus* Bellerophontem i. grauatus ferre equitem (*ad graecam loquutionem* βαρυνεσθαι τον ἱππέα) *adeoque non patiens eum, deiiciens, noua significatione et audaci, quam alii postea acceperunt* vt Lucan. 5, 258. Romanos odere omnes, dominosque *grauantur*, Quos nouere, magis. *Respicit notam fabulam Bellerophontis coelum petente Pegaso, qui, oestro percussus a Ioue, eum excussit.*

GRAVIS: seculum graue Pyrrhae Hor. od. 1, 2, 6. *molestum, exitiabile* vid. Burmann. ad Ouid. Amor. 1, 9, 19. * *Graues* Persae Id. ibid. 22. * *graues* officinae Cyclopum Hor. od. 1, 4, 7. Klotzius Vindic. Hor. p. 93. *explicat per, graueolentes sulphureasque, et citat* Burmann. ad Petron. c. 93. p. 582.

GREX *histrionum, turba* siue *sodalitas* Ter. Heaut. prol. 45. *Eine Bande Comoedianten*, Gallice: *une troupe.* * *factio sodalitas, contubernium.* Ter. Ad. 3, 3, 8. Atque hercle hic de *grege* illo est.

GYRVS interior. Hor. Serm. 2, 6, 26. Seu Bruma niualem *Interiore* diem *gyro* trahit cet. *vid.* Interior.

H.

HABENA, *lorum, quo serui plectuntur, vinciuntur, aut caeduntur.* Hor. Epist. 2, 2, 15. In scalis latuit metuens pendentis *habenae*; *de seruo fugitiuo. Bene ad h. l. Gesnerus iam excitauit locum Vlpiani.* l. 1. §. 33 ff. de SC. Silan. Impuberes – terreri tantum solent et *habena* l. ferula caedi *vid.* Scala.

HABERE *absolute* Phaedr. prol. 3, 21. Cura habendi; *de auaritia.* * *continere sub se, secum ducere. Idem* 1, 19, 1. *habent* insidias hominis blan-

blanditiae mali. Id. 1, 12, 15. quae laudaram, quantum luctus *habuerint*. * *de re inuenta Phaedr.* 5, 5, 9. *Habere* dixit se genus spectaculi, quod in theatrum nunquam prolatum foret * Ter. A. 1, 1, 56 eleg. Certe captus est. *Habet* i. e *amore vulneratus est. locutio desumta a gladiatoriis ludis, vbi de eo, qui erat in certamine ictus, aut vulneratus, solemne erat dicere,* habet! *vti nos; erhat vvas vveg.*

HABILIS Hor. od. 3, 19, 24. Vicina seni non *habilis* Lyco. *Non apta, non conueniens. Nonnulla Mspt. habent,* habili; *vt referatur ad Lycum: sed recte Bentleius tuetur, quod vulgatum est: relatiuorum enim reciproca significatio est. Lycus vxori non est habilis, adeoque vicissim vxor non est habilis Lyco. Aut intellig. de sene, qui se non potest praestare maritum, aut de litigioso matrimonio. Prius h. l. maiorem venustatem sequentibus addit.*

HABITIOR Ter. Eun. 2, 3, 23. si qua est *habitior* paullo, pugilem esse aiunt: deducunt cibum. *Non* pinguior *vt explicat* Gesnerus *in Thesauro, sed* robustior, *firmiori et fortiori corpore, tales enim pugiles erant. vid* Fabri Agonist. libr. 3. c. 4.

HABITVDO *corporis pro corporis specie ac forma* Ter. E. 2, 2, 11.

HABITVS *Corporis vultus et vestitus, deinde ratio alicuius atque status,* Phaed 1, 3, 2. suo *habitu* vitam degere, *intra suam fortunam manere. Haud ineleganter Phaedrus de ornatu vestituque loquens in narratione, generalius vitae praeceptum sub habitus voce suggerit.* * Hor. Art. 108. format enim natura prius nos intus ad omnem fortunarum *habitum i. pro cuiuscunque fortunae conditione a natura nostra varie afficimur; in tristi casu alius quidam vultus, oratio, sensus,*

alius

alius in laeto et sic porro. Omnis enim, vt Cicero ait, motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum; omnesque voces, vt nervi in fidibus, ita sonant, vt a motu animi quoque sint pulsae. Hanc igitur diuersitatem, imitatori naturae pulchrae obseruandam commendat poëta.

HAERERE, *belle de eo, qui casuro similis, et rudis equitandi artis, vix se tenere potest tutum in equo.* Hor. od. 3, 24, 55. Nescit equo rudis *Haerere* ingenuus puer. *Erat exercitatio equestris pars disciplinae militaris Romanae, cuius hic prauos mores et mollitiem acriter perstringit.* * Ter. E. 5, 9, 25. persice hoc, vt *haeream* in *parte aliqua* tandem *apud* Thaidem. *i. e. vt non prorsus ab illius amore excludar.*

HERILIS: pensum herile, *quod dat domina seruae, pellici quotidie praestandum.* Hor. od. 3, 27, 64. Nisi *herile* manus carpere *pensum. Nisi tu, orta a regio sanguine, vis tradi pellex, vt serua Dominae iratae, quae te superbe tractet et crudeliter.*

HIC *pronomine saepe vtitur Phaedrus pro serie narrationis continuanda, grata quadam breuitate* vid. 1, 14, 5. hic cum iaceret. it. 1, 11, 6. cet. * Ter. A. 2, 1, 13. Tu si hic sis *i. e. Tu si huius scil. meo loco sis* * *Haec pro hae* Ter. E. 3, 5, 34. *Nam falso in quibusdam libris sic interpungitur locus: Continuo haec, adornant, vt lauet.*

HIRTVS, ingenium hirtum *i. impolitum, rude* Hor. Epist. 1, 3, 22.

HISPIDVS, agri *hispidi*, i. *assiduis imbribus irrigati, atque inaequales, siue hispidi facti, deformesque* Hor. od. 2, 9, 5. Non semper imbres nubibus *hispidis* Manant in agros. * Facies *hispida* i. *hirsuta, barbata.* Hor. od. 4, 10, 5.

HOEDVLVS, hoeduleae apud Hor. od. 1, 17, 9. *Ita enim leg. pro* hoedilia

cura

cum Bentl. Cuning. Sanad. Gesnero.

HOMO *per contentum cum commiserationis sensu coniunctum* Phaed. 5, 7, 32. *Homo* meus se in pulpito totum prosternit * Ter. E. 3, 5, 40. deum se in *hominem* conuertisse. *Bentleius ex* Hor. carm. 3, 16, 8. reponit pretium *i. e. aurum. Miram profecto audaciam, sed tamen aliquo modo excusandam! Videtur enim vulgata lectio fabulae repugnare, quae Iouem non in hominem, sed in pluuiam ait esse commutatum. Sed quum sciamus in partibus narrationum ipsas persaepe variare fabulas, quum porro* Terentius v. 37. *tantum dicat* Iouem misisse Danaae in gremium imbrem aureum; *fatcor istam difficultatem mihi non sufficere, vt a codicum auctoritate discedam, et coniecturae Bentleianae confidam. Accedit, vt vix ac ne vix quidem fieri potuerit, vt in Codd. MSS.* pretium *commutaretur in* hominem. *Ad sensum vero quod attinet, phrasis illa*, conuertisse se in hominem, *non de forma externa, sed potius de moribus hominum, quos Iupiter induebat, intelligi possit.* * Ter. Ad. 4, 2, 40. Censen', *hominem* me esse erraui. *Non est profecto, quod h. l. Guieti coniecturam commentarior. p. 248. adlatam admittamus, dum pro* censen' *rescribere conatur* sentio: *Vulgatam lectionem, quam post Donatum, omnes editores retinuerunt, pluribus defendit Kohlius comment. crit.* pentad. 1. loc. 2. *Syrus autem astute se ipsum accusat, quo magis ei in reliquis fidem habeat senex, q. d. Putaresne me humana mente praeditum, qui tam sim obliuiosus, vt istum angiportum peruium non esse haud meminerim* * Ter. Ad. 4, 7, 16. Simulare, certe est, *hominis* i. e. *humanum est.* v. 18. regerit Mitio: haec magis sunt *hominis* * Ter. Ad. 5, 8,

5, 8, 11. Si tu sis *homo*, hic faciat *i. e. Si tu Aeschine te virum praebere, atque operam huic rei dare velles, certe pater tuus Mitio haec faceret, atque Sostratam in matrimonium duceret. Statim enim Aeschinus Mitionem blanditiis aggreditur, vt faceret. Antea quoque Demea dixerat. Hanc (Sostratam) te (Mitio) aequum est ducere: et te (Aeschine) operam, vt fiat, dare, cf. Ad.* 1, 2, 27. * *Notum est, apud Comicos hoc verbum saepe instar pronominis personae vsurpari, sic et* Ter. Eun. 3, 2, 7. Ex *homine* hunc natum esse dicas *i. ex illo, scil. Thrasone, at vero plura huic interpretationi videntur officere.* Primo, *aiunt*, parasitus haud dubie Thrasonem aetate superauit, quippe qui coll. Sc. 2. act. 2. iam patria bona abligurat. *Sed hoc argumento partim nihil efficitur, partim, si concedamus, verum esse, quod parasitus mator aetate fuerit, id nihil officit, quo minus dici possit:* Ex homine hunc natum dicas; *nam prouerbialis quasi est locutio, qua innuitur* Thrasonis *et* Gnathonis *mores esse quodammodo similes* cf. H. 5, 3, 17 *Deinde dicunt, qui nostrae interpretationi aduersantur, nusquam inueniri istam similitudinem, quod nimirum Thraso sit ineptus, fatuus, ac glorioſus miles; Gnatho contra parasitus, assentator sordidus, ac ignobilis.* Bentleius *igitur, vt se ex ista difficultate expediat, pro* ex homine *reponit* abdomini, *repugnantibus omnibus libris, sola, vt assolet, coniectura nisus, cuius audaciae, cum nescio an vllum vnquam sit comitem habiturus, praesertim cum nullo possit pacto ostendi, qui factum sit, vt ex* abdomini *oriretur* ex homine; *confirmare liceat interpretationem meam, et amoliri dubitationes, quod sit orationis perpetuitati, aut legibus criti-*

critices contraria. Thraſo Thaidem his verbis compellauerat: ecquid nos amas de fidicina iſtac; *ideoque notatur a Parmenone*, quam venuſte, *inquit*, quod dedit principium adueniens? *Vbi iam Thais dixerat, ſe Thraſonem plurimum* eius merito *amare, Gnatho ſtatim infert*: Eamus ergo ad coenam: quid ſtas? *Tunc demum in iſta verba erumpit Parmeno*: Hem alterum! ex homine hunc natum dicas; *non quo mores eius generatim et vniuerſe cum Thraſonis moribus comparet, ſed hac ex parte tantum dicit Gnathonem ei ſimillimum eſſe, quod vterque inepto, ruſtico atque inconcinno dicendi principio erga Thaidem vteretur. Miles, vltra quam fas erat, beneficium ſuum iactabat, paraſitus quaſi mercedem poſtulans, coenam loquebatur.*

HONESTVS de forma, i. e. *venuſtus.* Ter. A. 1, 1, 96. *forma* praeter ceteras *honeſta* et liberali; *paullo ante dixerat; forma ac vultu adeo modeſto, adeo venuſto, vt nihil ſupra.* v. 93.

HONOR, honores, *de frugibus agri* Hor. Serm. 2, 5, 13. Quoscunque feret cultus tibi fundus *honores.* * Hor. od. 1, 12, 19. Proximos illi tamen occupauit Pallas *honores.* Waddelius Animadu. crit. p. 42. *emendat* occupabit *pro* occupauit; *et tum* honores *ſunt laudes carminis. Indicaret tum Horatius tantum, quo ordine ipſos in ſuo carmine ſit celebraturus, ſed cui hoc placebit? ſi comparauerit praeced. verſ.* 17. et 18. * *praemium* Ter. E. 5, 7, 22. hic pro illo munere tibi *honos* eſt habitus i. e. *pro beneficio iſto lepido, quod pro Eunucho ſuppoſueras Chaeream, hoc habes praemium.*

HONORATVS Hor. Art. 120, ſcriptor *honoratum* ſi forte reponis Achillem. Bentl. *legit* Homereum, *quem ſequitur* Sanadonius, *Perperam. Honoratus eſt ſecundum*

Vet.

Vet. Schol. Crucq. honoris plenus, *exprimit* gr. τιμηεντα *quod epitheton frequens, apud Homerum. Nempe Achilles, de cuius iniuria apud Homerum Iupiter, Thetide rogante, vindictam sumit, qui honorem a Diis ipsis accepit, et laude fuit et decore ornatus penes omnes Graecos, est honoratus.* Gesnerus *explicat: honoratus est carminibus Homeri Achilles, vt ei Alexander inuiderit, quo tamen certissime dubito respexisse poëtam. Est vero satis notus diligenti Horatii lectori mos latine vertendi epitheta graeca, inprimis Homerea.*

HORA *saepius apud Latinos pro tempore anni certo, vt vere,* autumno, *exprimens Gallorum vocab.* saison. verni temporis *hora* Hor. Art. 302. Qui purgo bilem sub verni temporis *horam.* Adde od. 1, 12, 15, 16. *et* Epist. 1, 16, 15, 16.

HORREVM, *cella vinaria.* Hor. od 3, 28, 7. Parcis deripere *horreo* Cessantem Bibuli consulis amphoram. *Cunctaris ex cellula depromere amphoram vini, ibi conditi, iam a consulatu Bibuli, qui fuit quinto Horatii anno Consul. Bene* cessantem *dicit* amphoram *diu reconditam; pulchre* Deripere *horreo, eleganter* parcis deripere etc. Id. Od. 4, 12, 18. cadus, Qui nunc Sulpiciis accubat *horreis. Bene! in horreo enim vina sibi inuicem accubant.*

HORRIDVS, *Siluanorum epitheton, quia quasi horrent* hirsuti. Hor. od. 3, 19, 23.

HOSPITALIS, vmbra, *belle!* Hor. od. 2, 3, 10. Pinus ingens, albaque populus Vmbram *hospitalem* consociare amant. * pectus *hospitale, ironice de crudeli, immiti.* Hor. Epod. 17, 49. Tibi *hospitale* pectus et purae manus.

HVMANITVS *humano more* Ter. H. 1, 1, 47. *Alii legebant* humaniter *sed male.*

HVMANVS *Ter. Heaut.* 1, 1, 15. *Homo sum, humani nil a me alienum puto.*

puto. Haec est nobilis illa sententia, maximis semper plausibus iam olim excepta, qua vna omnis nititur benevolentiae inter homines coniunctio. Repetunt eam Cicero Offic. 1, 9. de legg. 1, 13. Senec. Epist. 95. quae loca diginissima sunt, quae ab omnibus, commentarii in hanc sententiam vice, non legantur solum, sed ediscantur. Inest autem huic vniuerso loco incredibilis ex morato dicendi genere suauitas, qua propter eum paraphrasi quadam illustrare nullus dubito. Menedemus a Chremete, qui eum nimio atque illiberali labore deterrere volebat, quaesiuerat, anne ei tantum sit otii, aliena vt curet, eaque, quae nihil ad eum attineant! Tunc Chremes respondet: Homo sum, humani nihil a me alienum puto, vel me monere hoc vel percontari puta. Rectum st.? ego vt faciam! non est? vt deterream. Hoc scilicet significat, hominem omnia, quae sint alterius, curare debere, atque cum natura cognati simus omnes, hoc officium optimo cuique iniunctum esse, vt prodesse cupiat aliis, quantum possit, neque vbi alios videat necessitate quadam laborare, aut cum aduersa fortuna conflictari, in humanam istam atque illiberalem vocem edendam esse. Quid illi ad me? Seiungitur autem ista humanarum rerum cura vel a vana curiositate, vel a nimia vitiorum alterius noscendorum cupidine. Quo circa ne falso possit intelligi Chremes, non dicit: humana omnia curo, sed potius, humani nil a me alienum puto; vt scilicet Menedemus perspiciat, sub iis, quae humana dicat, se nihil aliud comprehendere nisi omnes aliorum casus, omnia tempora, quibus aliquid prodesse iis, aut possumus, aut certe volumus. Chremes autem ea est modestia, vt non statim alteri se praecep-

ptorem obtrudat sed profiteatur simul, quam gratum sibi futurum sit, si ab altero hac in re erudiri possit. Si ferre non potes, inquit, amici admonitionem, saltem puta, me huc veniisse, vt abs te, quid hac in re rectum sit, audiam, atque vt mutua disputatione, quoniam vnius fortasse non est negotium, ad amplectendam veritatem perueniamus. Quodsi viderem tandem, te recte agere, quod istis tantis laboribus te miserum ipse fatiges, possem et ego istam imitari rationem, sin minus omnia conarer, vt te non ab industria quidem, sed ab illiberali labore deterrerem. Non possum ab ista, non dicam praeclara, sed diuina humani officii formula discedere, quin Senecae votum addam, vt scilicet omnibus et in pectore, et in ore sit, *qui vnquam ad comici nostri versus accedunt, ne fortasse vbi in eum locum venerint vt prodesse aliis possint, nec velint, se naturae vocem, haud satis claram percepisse calumnientur. Ceterum inde patet, quam falso plerumque iste tritus versus intellectus, cum adhibeatur excusatio peccatorum in vita humana.*

HVMILES *tenui fortuna homines* Phaedr. 1, 17, 2. qui *humiles* nati, dicã locupletes studeant. *Inde* potentibus *oppositi ciues sunt* humiles, *seu eis subditi.* Phaedr. 1, 30, 1. *humiles* laborant, vbi potentes dissident. * *humilis* agna, i. *agna humilis hominis* Hor. od. 2, 17, 32. Nos *humilem* feriemus agnam.

HYBRIDA, *ambigena, ex diuersi generis aut rationis parentibus ortus; sed rectius scribi Ibrida, quia descendat a voce vetere Italica Iber, qui est furculus insitiius; docet Gesnerus ad* Hor. Serm. 1, 7, 2. *Ibrida* quo pacto sit Persius vltus. *Erat enim iste Persius ortus patre Romano, matre Graeca.*

IACE-

I.

IACERE, *procumbere, prostratum esse, cum detrimento atque molestia* Phaedr. 1, 17, 8. *iacens* in fouea lupus. *Inde de re neglecta.* Id. 3, 12, 3. *iaces* indigno quanta res loco? Id. 3, 15, 15. quae iacentis miserita est (*vid. quaedam ad sensum faciliorem huius fabulae facientia sub voc.* Potior.) Id. 3, 1, 1. anus *iacere* vidit epotam amphoram. * *decumbere.* Phaedr. 1, 14, 5. Cum iaceret morbo confectus graui 1, 21, 4. Leo cum *iaceret* spiritum extremum trahens. * *de iis, praesertim in vsu, est, qui violenta morte perierunt, atque cum aliqua exprobratione efferuntur.* Phaedr. 1, 24, 10. rana dum vult validius inflare sese, rupto *iacuit* corpore. Id. 1, 27, 9. o canis merito *iaces.* *Sic de regnis euersis* Id. 4, 6, 13. regna Peliae scelere Medeae *iacent*; *sublime quaeritur ob regem peliam interfectum.* Hor. od. 1, 37, 25. Ausa et *iacentem* visere regiam Vultu sereno fortis; *de Cleopatra, quam cum poëta hoc carmine hostem carpere tam pingit inuictam animo et virtute, vt ingentem eius potius excitet admirationem.*

IACTARE, *motitare* Phaedr. 2, 7, 5. clarum collo *iactans* tintinabulum *intellig. cum quodam spiritu; quia onere dines cf. praec. vers. eligans imago, Fontanianis similis.* * *obiicere* Phaedr. 3, 7, 22. frustra iactat familia. * Id. 5, 7, 28. iactare basia, *quod fit dextram ori admouendo, ac digitos osculatus versus alium extendendo. cf. Basium v.* luuenat. Sat. 3, 106, et 4, 118. et vid. Lipsi. Elect. 2, 6. * Phaedr. 1, 11, 1. 1, 22, 12. *iactare* meritum inane imprudentibus. *Istuc ipsum quod dicit* Terentius Andr. 2, 1, Ego Charine, neutiquam officium liberi hominis esse puto, cum is nihil pomereat,

postulare id gratiae apponi sibi.

IACVLARI *cum quarto casu*; *Horatiano proprio quodam modo*, pro *petere*, *ferire iaculando* Hor. od. 1, 2, 3. *sacras Iaculatur arces* Terruit vrbem. Id. od. 3, 12, 11. *Iaculari* ceruos * Id. od. 2, 16, 17. Quid breui fortes *iaculamur aeuo* multa i. *petimus*, *proponemus quae consequi velimus*; *sec. gr.* σοχαζεσθαι; *nobili figura vestita nobilis sententia! Venuste* fortes aeuo breui *coniunct. cum* iaculari *Habet suauem cum misericordia irrisionem*, *vt iam notat Gesnerus.*

IAM *nunc*, *statim* Phaedr. 4, 20, 6. vid. Pareum. pag. 218. et 312.

IANVS, *templum Iani*, *in medio foro*, *ad cuius arcum proxime erant librariorum*, *et bibliopolarum columnae*, *vid.* Columna Hor. Epist. 1, 20, 1. Vertumnum (*vbi etiam tabernae librariae*) Ianumque liber spectare videris.

ICTVS desideriis, i. *percussus quasi amore*, *feruido*, *cum sollicitudine*, *qua quasi ictum est cor.* Hor. od. 4, 5, 15. Desideriis *icta* fidelibus Quaerit patria Caesarem. *Sentisne vatis argenteam vocem?* * Ictus pollicis *pro* rythmo Hor. od. 4, 6, 36. seruate pedem meique Pollicis *ictum*; *suauiter sic modulationem carminis dicit*, *quasi ipsam lyram percutiat*: Vet. Schol. * feruidi ictus, *de aestu solis*, *audacter*, *et magna cum vi* Hor. od. 2, 15, 10. Spissa ramis laurea *feruidos* Excludet *ictus* i. *lauri spissi frondibus siluescent*, *et latissime ramos diffundentes excludent solis ardores*, *vmbram fingentes.* * *de pulsu pedum* Hor. Art. 253. senos reddit *ictus* (*iambus*) * *de morsu aprorum* Phaedr. 1, 21, 6. Hor. od. 3, 22, 7.

IDEO *habet multam elegantiam particula illa apud* Phaedr. 2, 8, 11. frondem bubulcus adfert, nec *ideo* videt. *etiamsi adtulerit dederitque bouibus*, *tamen non videt.*

IDO-

IDONEVS, *malo sensu.* Ter. A. 3, 1, 12. Itane tandem *idoneus* tibi videor, quem tam aperte fallere incipias dolis. cf. A. 4, 3, 18. et 4, 5, 18. Eun. 5, 7, 17.

IDVS, octonae; *quia Iduum dies sunt octo, ita dictae. Hor. Serm.* 1, 6, 75. Ibant *octonis* referentes *Idibus* aera. *Plurimi intelligunt de magistri stipendio in singulos menses dato Idibus, medio mense, sed Lambinus accipit de pecunia antea collocata et in foenore occupata, nunc exacta. Recte! solebat enim et calendis et Idibus fors et usura apud Romanos exigi, vt notum est; et h. l. de pueris iam adultis sermo est, praeterea, quod maxime nostram interpretationem iuuat, Grammatici merces annua erat, non menstrua,* cf. Iuuenal. Sat. 7. extr. – cum se verterit annus Accipe victori populus quod postulat aurum. Hor. Epod. 2, 69. omnem redegit *Idibus* pecuniam. vid. *Redigere. Cel. Reiskius interpretatur octonis Idibus singulis quibusque,* octonis Idibus instantibus, post octonos quosque menses praeteritos.

IGNAVVS, *meticulosus* Phaedr. 1, 21, 2. *Ignauis* iocus est *i. e. timidis, qui antea etiam iusta de causa offendere talem non fuissent ausi.* Id. 1, 29, 11, inquinari nolo *ignauo* sanguine *i. e. imbecillis animantis, quod generoso impetu prosterni a me non dignum est.* * Hor. Serm. 1, 5, 5. Hoc iter *ignaui* diuisimus altius ac nos Praecinctis vnum.

IGNIS, curuati ignes, *de Luna quoad curuam eius figuram. figura audacissima.* Hor. od. 4, 2, 57. *(vitulus)* Fronte *curuatos* imitatus *ignes* Tertium Lunae referentis ortum. *h. e. qui cornua gestit fere sic curuata vt est figura tertiae Lunae.* * Ad. Phaedr. 3, 19, 3 *noti ignem non semper veteres domi excitasse, sed a vicinis plerumque petiisse, neque enim facile negare petenti*

tenti licebat, cf. Plaut. Aulul. Act. 1, Sc. 2, 2, *et* Theophrast. charact. cap. περι μικρολογιας.

IGNORARE *quem, de facie non nouisse* Phaedr. 5, 1, 10. Ignorantes 5, 2, 9. *qui nos non norant, animum indolemque non cognouerunt; sic et alicuius mores non cognitos habere.* Ter. E. 5, 9, 59. *it.* H. 1, 1, 53. erras si id credis et *me ignoras* Clinia. *Plane vt nostri: Du kennst mich noch nicht.*

IGNOTVS *actiue, qui nos non nouit, cui nos sumus ignoti.* Phaedr. 1, 11. 2. *ignotos* fallere, notis esse derisui. Id. 1, 14, 2. *ignoto* luco, *vbi nos nemo nouit.*

ILIGNVS, *ex ilice confectus.* Ter. Ad. 4, 2, 46. lectulas in sole *ilignis pedibus* faciendos dedit. *Est autem breuiloquentia pro quibus* vterentur in sole, sub dio: *quae valde frequens est orationis figura, et elegans.* vide, si tanta est, *dissertationem nostram* de breuiloquentia Graeca et Romana.

ILLACRYMABILIS, *qui non mouetur lacrymis.* Hor. od. 2, 14, 7. Non si trecenis — places *illacrymabilem* Plutona tauris. i *placere coneris.*

ILLAQVEARE; *capere, corrumpere pecunia* Hor. od. 3, 16, 17. Munera nauium saeuos *illaqueant* duces. *Effugit hic locus forte Gesnerum, qui tantum Tertullianum, eumque vnicum attulit in hac voce.*

ILLIGARE Hor. Epod. 1, 25. Iuuencis *illigata* pluribus aratra, *figurate pro* iuuenci illigati aratris, *quam figuram appellant Grammaticorum nepotes Hypallagen.* vid. Niti. ad Od. 1, 27, 23. Vix *illigatum* te triformi Pegasus expediet chimaera, *lepide, cum vi ad rem!*

ILLINERE, aurum vestibus *illitum, de pictis auro vestibus. Bene* illitum, *de opere Phrygionio.* Hor. od. 4, 9, 14. Aurum vestibus illitum Mirata (*Helena*) regalesque cultus.

ILLVDERE, chartis; *perdere chartas scribendo, festiue* Hor. Serm. 1, 4, 139. Vbi quid datur oti *illudo* chartis, *vrbanissime*

nissime apponit vitio poemata scribere. Sed totus iste locus inde a vers. 103. vrbanissimus est, et summa conditus venustate * Ter. A. 5, 1, 3. paene *illusi* vitam filiae i. e. *ludendo paene perdidi.* Westerhou.

ILLVSVS, pedes illusi, *qui stare cum se posse confidant, vacillant* Hor. Serm. 2, 7, 108. *Illusi pedes* vitiosum (*aegrotum*) ferre recusant corpus.

IMAGO, iocosa *imago* i. *Echo, vox repercussa, belle!* Hor. od. 1, 12, 3. Cuius recinet *iocosa* Nomen *imago. Sic* Id. od. 1, 20, 8. Vaticani montis *imago.* * vana. i. *vmbra – mortui hominis.* Hor. od. 2, 24, 16.

IMBELLIS, lyra imbellis i. *non apta ad decantanda bella, Indicris et aliis rebus vacans.* Hor. od. 1, 6, 10. cythara *imbellis. Adde Eund.* od. 1, 15, 15. *et cf.* Diuidere.

IMITARI. eleg. *de eo qui transformatus alium se gerere fingitur.* Hor. od. 1, 2, 41. siue mutata *iuuenem Augustum sic appellat*) *figura* Ales in terris imitaris. *Alloquitur Mercurium, quem fingit sub Caesaris Augusti forma tegi; de pulchritudine et magnificentia fictionis iam egit* Klotzius Vindic. p. 77. sqq.

IMMEMOR Ter. A. 1, 1, 17. nam isthaec commemoratio Quasi *exprobratio* est *immemoris* beneficii *vid.* Exprobratio.

IMMENSVS *epithet. Pindari, vere lyricum.* Hor. od. 4, 2, 7. *Immensus* ruit profundo Pindarus ore. *Bene verba delecta in comparatione illa cum* amni, immensus, profundum os; ruit, *Sed tanta tamen audacia, vt verti in vllam aliam linguam ad verba locus nullo modo possit.*

IMMINERE *proprie, et a poëtis etiam saepe sic vsurpatur, quod nos dicimus* herhaengen, herabhaengen; *vnde pulcherrimae nascuntur imagines, quas grammatici interpretes saepius delere studuerunt magis.* Sic Hor. od. 1, 4, 5. Iam Cytherea

choros ducit Venus, *imminente* luna. Schon führt Cythere den Reihentantz an beym Licht des herhaengenden Mondes. Nostri poëtae Zachariae et *alii hoc εἰκωνι frequenter vsi sunt.* od. 3, 22, 5 *Imminens* villae tua pinus esto. i. *quae stat iuxta villam; sic* imminere foro *de aedibus* Cicero. *Pinus vero Dianae forte ideo placet consecrata, quia facile probari potest, eandem esse* Isidem *et* Cybelem: *nec Isidem differre a Diana; at Cybeles arbor pinus est.* Od. 3, 27, 10. Imbrium diuina auis *imminentium. – des herhaengenden Gevvitters, et sic saepius. auis imbrium diuina est cornix* vid. Plin. H. N. libr. 18. c. 35. *omen se dicit petiturum sereno adhuc coelo, laeto * translate valet; propinquum esse, aut meditari, et minari aduentum*, Hor. od. 1, 12, 53. Parthi Latio *imminentes; lyrica* audacia, *quasi nunc iam Romam petere vellent, quia gerunt inimica bella. Frustra se torquent interpretes in h. l. quia Parthi non fuissent propinqui Romae, quasi Poëta lyricus esset diligens historicus!*

IMMISERABILIS *pro* immiseratus *positum putat Baxter ad* Hor. od. 3, 5, 17. si non periret *immiserabilis* Captiua pubes; *sed verius docuit esse h. l. aduerbialiter accipiendum, et probauit multis exemplis* Klotzius in Vindic. p 198.

IMMODVLATVS *voc. ab Horatio cusum forte;* poemata *immodulata, sunt parum suauia numero et modo.* Hor. Art 263. Non quiuis videt *immodulata* poemata iudex.

IMMVNIS, manus, Hor. od. 3, 23, 17. *Immunis* aram si tetigit *manus* Non sumtuosa blandior hostia Mollibit auersos penates. *Aut* immunis *est sine victima, nihil afferens manus, aut libera ab sceleribus, et pia, innocens, non vtrumque coniungam cum Gesnero; sed intelli-*

go

go manum nihil afferentem diis, *vt integer locus suadet. pro* Mollibit, *qui est Archaismus, non tamen plane alienus ab Horatio, leg. alii* Molliuit, *eadem plane sententia quae haec est: si tu tantum sine hostia manibus piis tangis aras, precaris, quantumuis sumtuosa hostia non* blandior, *gratior erit, Deos mollit placat, cum farre pio et mola salsa.* Tangere *aras autem est precari; ex ritu solemni, quo aram veteres manibus apprehendebant, credentes, aliter non* litare, *exaudiri preces, vnde Varro* aras *primum* ansas *dictas dicit. vid.* etiam Macrob. Saturn. libr. 3. c. 2. *Sententia ipsa vero est* platonica, *seu potius Socratica* cf. Xenoph. Memor. Socr. libr. 1. c. 3. θυσιὰς δὲ θυων (σωκρατης) μικρας ἀπο μικρων, ὀδεν ἡγειτω μειοσθαι των ἀπο πολλων πολλα θυοντων etc. * od 4, 12, 23. Non ego te meis *Immunem meditor* tinguere poculis, i. *nihil afferentem vt symbolam ad conuiuium. Eleganter* tinguere poculis *pro* imbuere vino, eo madefacere; *iocus facetus, qui sparsus etiam est per totam odam.* Id. Epist. 1, 14, 33. Quem scis *immunem* Cynarae placuisse rapaci. *donantem amoris nullum pignus.*

IMMVTATVS Ter. A. 1, 5, 8. i. q. *immutabilis.* Westerhov.

IMPENDIO, *multo.* Ter. E. 3, 5, 39 *impendio magis.* i. e. *magis magisque.*

IMPERIOSVS, *imperiosa* Proserpina. Hor. Sat. 2, 5, 110. Sed me *Imperiosa* trahit Proserpina, Viue, valeque, i. *Domina mea, namque Tiresias mortuus in eius imperio est.* * *saeuus, violens.* aequor *imperiosius.* Hor. od. 1, 14, 8. Vix durare carinae Possint *imperiosius* aequor.

IMPERITVS. Ter. Ad. 1, 2, 18. Homine *imperito,* nunquam quidquam iniustius, qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat, – ἐκ ἐς ἀνοιας ὀδεν τωλμηρω λεγον,

scripserat Menander, si credimus Fr. Lindenbergio et Willichio, est autem imperitus *qui non est gnarus vitae communis; aut vt verba Dacieriae exponunt*: un homme sans experience et qui ne connoit point du tout le monde.

IMPERMISSVS, gaudia *impermissa* (*voc. Horatio proprium vni.*) *de illicitis vxorum datis donis* Hor. od. 3, 6, 27. Neque elegit cui donet *impermissa* raptim gaudia, luminibus remotis. *Legunt nonnulli* imorouita; *quam male ad huius loci verum sensum!*

IMPETVS, *de iniuria incursione facta.* Phaedr. 4, 6, 20. Minos iusto vindicauit exemplo *impetum, vt de impetu in Androgeum filium facto ab Athenienſibus, eiusque nece vindicanda hunc versum intelligamus, monet nos Ouidius* Met. 7, 5. *Bella parat Minos, qui quamquam Milite quamquam Classe valet, patria tamen est firmissimus ira, Androgeique necem iustis vlciscitur armis.* Id. 1, 16, 6. Tu, de conspectu fugere veloci *impetu.* * *de ardore quo fit impetus* Hor. od. 4, 4, 10. Mox in ouilia Demisit hostem viuidus impetus.

IMPIVS, Carthago *impia* h. e. *foedifraga et bellum renouans contra foedus.* Hor. od. 4, 8, 17. Incendia Carthaginis *impiae. Bentlei. totum hunc versum delet, quia Horatius Scipionum duorum acta vni adscripsit; alius enim Scipio Hannibalem reiecit, alius, nepos prioris, deleuit Charthaginem. Sed quis licentiam illam poëticam ignorat? Quam tamen si quis h. l. non condonabit, ille legat cum Cuningamio* impendia. i. *tributa* (*vox rara, sed et apud Ciceronem obuia!*) *et omnia bene procedent. Ego Cuning. hic facile sequor. vid. eius Animaduers.* in Horat. c. 3. * clamor *impius* Hor. od. 1, 27, 6. *Impium* lenite clamorem sodales, *qui polluat quasi sacra Bacchi*

*ehi Dei sancti. Non opus hic de bello ciuili cum Gesnero cogitare * de peierante muliere* Id. od. 2, 8, 19. Nec priores *(amatores) Impiae* tectum Dominae relinquunt Saepe minati * Saturnus *impius* od. 2, 12, 22. *est immitis, pestilens, pernicioſus, ad sidus referend.*

IMPLVVIVM. Ter. E. 3, 5, 40. 41. *animus gaudebat mihi Deum sese in hominem conuertisse atque per alienas* (*vid.* Alienus) *tegulas, venisse clanculum per impluuium, fucum factum mulieri.* Varro Lib. 4. de ling. lat. C. 33. „Si „relictus erat locus in „medio, vt lucem caperet deciſam, qua impluebat, impluuium dictum, et ſurſum qua „compluebat, compluuium„ Iam cum *locus iſte, qui dicebatur impluuium, fuerit a ſolo ad coelum vsque patulus, quomodo per impluuium Iupiter potuit in Danane cubiculum peruenire. Rectiſſime igitur, mea quidem ſententia, hunc locum ita conſtituit Bentleius* Deum — per alieras *ſ. potius* aheneas tegulas veniſſe clanculum, per *pluuiam* fucum factum mulieri. *Namque vt de metro nihil dicam, quo, vulgata lectione recepta, impluuium primam ſyllabam corriperet; (quod idem obſeruauit Bentleius) neſcio an ſatis recte cum vſu loquendi Terentiano conciliari poſſit, vt verbum illud* veniſſe *duplici adiuncto quaſi oneretur (per alienas tegulas, ac per impluuium) quum interea propoſitio altera, fucum factum mulieri, nihil habeat, ex qua intelligi ſatis poſſit. Ad confirmandam autem hanc emendationem non omnino nihil facit locus Luciani in Timone* C. 41. (p. 154. ed. Reitz.) τις γαρ αν ουκ αν παρθενος αναπεπλασμενοις τοις κολποις υποδεξαιτο ατωκαλον χρυσην δια των τηγων καταρρεουσαν.

IMPONERE. Phaedr. 5, 7, 25. Tunc chorus igno-

ignotum more ; ducto canticum *imposuit*. i. *induxit adhuc ignotum, non solitum canticum. Ita veteres codices legunt, neque video, cur mutandum, cum bene omnia se habeant.* Ignotum *enim fuisse canticum, non est cur negari debeat. At* more ducto *intulerunt, carmen; quid ita? Describit Phaedrus, quid solito factum esset, dum suum tibicinem mirifice stultum vult ostendere. Dum ludus incipit, aulaeum mittitur, et volutis tonitribus Dii apparent, vt mos erat in scena, atque inter se sermocinantur. Haec omnia translatitia atque consueta, quare et chorus suo modo prodit et canticum infert, at ignotum h. e. antea non ita valde vsurpatum, vt eadem saepe iam fuisset in fine sententia. Tali itaque formulae cum applauderet populus, en hominis arrogantiam! qui, quod alias Caesari dabatur, sibi factum, quod principis vox audiretur, existimabat? Quid vero illud* imposuit? *Et hoc rectum puto, neque* insonuit *praeferendum. At ne vnus quidem interpres de hac voce exposuit mentem, quod miror, cum non adeo alienus sit a scena vsus verborum* ponere, reponere. *Hor. art. v.* 120. *scriptor honoratum* si forte *reponis* Achillem: *quare hoc loco* imponere *pro inducere dictum habemus, siue nouum canticum in scenam perducere, illudque actionis honestate recitare. Valeant interpretum condensatae opes quae locum iuuare nequeunt.*

IMPORTARE Phaedr. 1, 28, 6. orat ne tantum miserae luctum *importaret* sibi.

IMPORTVNVS, *morosus.* Ter. H. 1, 2, 23. Ille senex fuit *importunus* semper: et nunc nihil magis Vereor quam ne quid iratus plus satis faxit pater.

IMPOTENS, Aquilo impotens, *vehementer saeuiens et potens* Hor. od.

3, 30,

3, 30, 3. * *Impotens* sperare, *ad graecam rationem, tam incontinens, vt omnia quaeuis speraret,* ἀκρατὴς. Hor. od. 1, 37, 10. *de Cleopatra;* quidlibet *impotens* Sperare fortunaque dulci Ebria. *Eleganter* fortuna dulcis *ad voc.* ebria, *dignus locus tota hac ode, quam inter pulcherrimas Horatianas semper numeraui.* * Hor. 2, 1, 25. Iuno et Deorum quisquis amicior Afris, inulta cesserat *impotens* Tellure. *Sunt qui* impotentem Iunonem *intelligant, non compotem quasi sui, propter iram, et ira paene furentem, solemni significatu ad graec.* ἥττων. *Sed falluntur egregie! Est* impotens *h. l. Iuno* quae non potuit vlcisci terram dilectam; *neque vllo modo haec sententia Horatii cum Harduino sic improbanda videbitur ei, qui cognouerit Mythologiam veterem, et plures Deos fuisse impotentes, vbi ex altera parte starent alii Dii, id quod constat de Romanis, qui in Iouis Statoris, Martis aliorumque Deorum tutela erant. Magnificum vltro reddit illa sententia Romanum, nixum tanto Deorum auxilio, quod etiam hostes Deos Deasque superaret.* * Ter. A. 5, 3, 8. Adeon' *impotenti* esse animo vt praeter ciuinm Morem atque legem et sui voluntatem patris Tamen hanc habere cupiat.

IMPOTENTIA, *vis, vehemens potentia* Hor. Epod. 16, 61 Nulla nocent pecori contagia, nullius astri gregem aestuosa torret *impotentia. Sed hi duo versus sunt necessario, vt iam notauit Gesnerus, reponendi* post vers. 52. hui. Carm. * *pro egestate, pauperitate, inopia.* Ter. Ad. 4, 3, 16. *Primum enim ex loci perpetuitate hoc intelligitur.* Omnes, *inquit Hegio,* quibus *res* sunt *minus secundae* — propter suam *impotentiam* se semper credunt negligi. (*vid.* Negligere) *Deinde ex* Menandri *quodam fragmento*

mento illustratur magis et confirmatur haec interpretatio, ad quod non dubium est, quin Terentius h. l. respexerit. Verba Menandri *haec sunt:* πρὸς ἅπαντα δειλός ὁ πένης ἐστὶ πράγματα, καὶ παντὰς αὐτὰ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει. *Recte autem pauperes dici possunt* impotentes, *cum haud facile emergere possint, ob rem domi angustam, sed vbique potius iaceant. Diuites e contrario potentes quoque sunt et* facillime agunt; *quam* ἀντιθετὸν *ex Ad.* 3, 4, 56. *intelligis.*

IMPRANSVS, Hor. Serm. 2, 2, 7. Verum hic *impransi* mecum disquirite, *i. sobrii, sana ratione vtentes; metaphora ducta ab iis qui prandentes vino obruti non recte res diiudicare possunt.* Id. Serm. 2, 3, 257. Postquam est *impransi* correptus voce magistri; i. *vere sani, sapientis. Rem narrat Val.* Max. 6, 9. extr. *perditae luxuriae adolescens Polemon vino grauis intrat scholam Xenocratis. Is de modestia et temperantia loqui coepit.* Polemo primum coronam (*vt mos erat potantibus*) *capite detractam proiecit, post ex infami ganeone maximus philosophus euasit.* * Epill. 1, 15, 29. *Impransus* non qui ciuem dignoscere et hoste. *ex ira omnibus maledicens, famelicus.* Waddelius Animadu. crit. p. 74. *intelligit* impransum *bene pransum et inde procacem, sed disuadet totus contextus.*

IMPROBVS, mare *improbum, de tumultuoso et saeuo mari,* Hor. od. 3, 9, 22. *improbo* iracundior Adria. * *quod nimium est in rebus etiam indicat, quodque nos improbos iniustosque facit* Phaedr. 1, 1, 3. faux *improba*, i. *auida, insatiabilis, ac propterea rapinae anhelans. Sic* dens *improbus.* Id. 4, 7, 1. *h. e. praeda tantum gaudens; quas* 4, 5, 9. auidos dentes *vocat Phaedrus.* * Id. 1, 22, 9. *improba* mustela, *quae*

quae non mures solum, sed etiam frusta relicta cibi absumeret, atque hoc ceu beneficium nimis nunc extollere volebat. Pari elegantia 5, 3, 8. inuscam *dicit improbum* animal. Id. 2, 1, 6. *improbum* reiecit, *cupidum antea dixerat* Id. 5, 1, 2. improbum imperium *h. e. in ciues aequales, seu tyrannicum* * Hor. Serm. 2, 3, 14. vitanda est *improba* Siren Desidia; *pulchre prolata et festiue praeclara sententia h. l. si eum totum contemplaris.*

IMPRVDENTES, *simplices, nec cauti,* Phaedr. 1, 22, 12. Meritum inane iactat *imprudentibus.* * Ter. Eun. 1, 2, 56. Emit eam dono mihi *Imprudens* harum rerum, ignarusque omnium. *Plane sic pro* insciens Id. Hec. 5, 4, 39. *Imprudens* plus hodie boni feci, quam sciens ante hunc diem vnquam.

IMPVRATVS, *sceleſtus impurus.* Ter. Ph. 4, 3, 64. Nil do, *impuratus* me ille vt etiam irrideat.

IMPVTARE *propria significatione qua de expensi creditique rationibus dicitur.* Phaedr. 1, 22, 7. Noli *imputare* vanum beneficium mihi.

IMVS faber i. *vilis* Hor. Art. 32. *vltimus ab arte, Non placet intellige re fabrum imo vico habitantem. dicitur de eo, qui ad capitella columnarum ferarum πεϱοτομὰς h. e. vngues atque hoc solum nouerat.* Id. Art. 126. Seruetur ad *imum* i. *finem* Qualis ab incepto processerit et sibi constet; *de personarum earumque morum veritate poëtica.*

IN, *ex.* Phaedr. 1, 25, 3. bibere *in* Nilo flumine canes currentes. * *pro ad, vt finem, s. consilium indicet. Id. 5, prol. 2.* Cum destinassem operis habere terminum *In* hoc, vt aliis materiae esset satis, consilium mutaui. Id. 1, 22, 10. hoc *in* se dictum debent illi agnoscere. *eorum gratia* * *Quidam volunt idem esse ac* cum *apud* Phaedr.

5, 8, 1. Cursu volucri pendens *in* nouacula occasio. *h. e. nouaculam gerens, vt dicitur in arcu esse Manilius Lib. 2. &c. vid. Ioh. Frid. Gronouii notas ad Phaedrum, hoc in loco. At nihil impedit quo minus intelligamus de suspensa imagine super nouacula. Sic Graeci* ἐπὶ ξυρᾶς ἀκμῆς εἶναι, *h. e. in extremo discrimine esse, vbi nulla mora felicis siue infelicis euentus, et h. singnif. saepius occurrit vide* Nic. Heins. ad Ouid. Met. 8, 3, 3. * *contra* Hor. Epod. 17, 81, Epist. 1, 16, 53. * Hor. Epod. 2, 39. *In* partem iuuat. i. *vicissim, pro sua parte* * Hor. Serm. 1, 2, 18. at *in* se Pro quaestu sumtum facit; *liberalior est erga se pro ratione quaestus et splendide viuit.*

INAEQVALIS, procellae *inaequales*. Hor. od. 2, 9, 3. Mare Caspium Vexant *inaequales procellae; epith. ab effectu, quae mare inaequale reddunt, vt iam notauit Lambinus. Sic.* Id. Epist. 1, 1, 94. *cum quodam genere ridiculi inaequalis* tonsor *est, qui inaequaliter tondet.*

INANITER *de praestigiis poëtarum falsis, nos mire afficientibus. Pulcherrime* Horat. Epist. 2, 1, 210. Ille per extentum funem mihi posse videtur ire poëta, meum qui pectus *inaniter* angit, Irritat, mulcet, falsis terroribus implet, vt magus et modo me Thebis, modo ponit Athenis. *Sinistre totum h. l. accepit Baxterus, nec ab eo discedit Gesnerus; putant haec omnia non serio dici ab Horatio, sed indicare illis, se non magis comoediarum et tragoediarum scriptoribus inuidere quam funambulis, quia scilicet vtrique viles essent et parum laudabiles; quod vt probent, (enim vero constat scriptores Tragoediarum et comoediarum apud Romanos nequaquam attigisse nobilitatem et praestantiam Graecorum) referunt huc Plautum, qui saepe locorum*

et

et personarum suarum obliuiscatur; et tandem illud Quintil. 10, 1, 99. *in comoedia maxime claudicamus. Sed vix ego capio, qui factum sit, vt hi viri de ista explicatione modo cogitare possent; forte decepit eos vers.* 210. Ille per extentum funem cet. *non animaduertentes quae paullo abhinc poëta dixerat.* Ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem (*comoedias*) cum recte tractent alii, laudare maligne; (*Pergit:* itaque scito) ille per ext. *cet.* h. e. *eum puto vere demereri laudem et admirationem, qua populus funambulum perperam prosequitur, ille mihi videtur rem admirabilem edere qui meum pectus inaniter* angit, Irritat, mulcet etc. *vbi vola aut vestigium της εἰρωνειας? Sensus apertus; coniunctus cum superioribus verbis. Denique cur verba perdam in re clara? fallitur igitur Baxterus qui* interpretes ad vnum falli *iudicat,* dum serio laudari putant.

INAVDAX, *nouum ab Horatio factum verbum.* od. 3, 20, 3 Dura post paullo fugies *inaudax* proelia raptor *Siue cum Baxtero referas ad voc.* raptor, *siue ad* fugies *cum Gesnero, idem erit sensus.*

INAVRARE Hor. Epist. 1, 12, 9. Sic viues protinus vt te Confestim liquidus Fortunae riuus *inauret; comice vtitur h. v. alludens forte ad notam Midae fabulam.*

INCERTVS, Venus *incerta, de vaga illa primorum temporum libidine* Hor. Serm. 1, 3, 109. *venerem incertam* rapientes more ferarum; *oculus, fluctuans quasi, dubius, distractus, et vix gnarus, quid videat. Bene* Hor. Epist. 2, 1, 188. Equitis migrauit ab aure voluptas omnis ad *incertos* oculos et gaudia vana, * Ter. A. 5, 1, 11. nuptiae *incertae, de coniugio, quod an stabile futurum sit, nescimus aut dubitamus.* * Ter. H. 1, 1, 71.

animo fere perturbato atque *incerto* prae aegritudine. *Bentleius existimabat melius esse* incerti, *quod in cod. quodam a manu prima repertum erat. Putabat enim sensui magis conuenire, nec facile explicari posse, quid sit* prae aegritudine *incertum* esse. Verum hoc est nodum in scripo quaerere. Incertus *h. l. est animus, qui adeo indulget aegritudini, vt quid faciat quidue omittat, aut non cogitet, aut nesciat.*

INCESTVS, *impius.* Hor. Art. 472. An triste bidental Mouerit *incestus.*

INCLVDERE, ludo, Hor. Epist. 1, 1, 3. quaeris – iterum antiquo me *includere* ludo. *verbum ad rem scite lectum!*

INCOMPOSITVS pes Hor. Serm. 1, 10, 1. *vid.* pes.

INCONSVLTVS *stultus* Hor. Epist. 1, 5, 15. patiar vel *inconsultus* haberi.

INCONVENIENS *de dissimilitudine externa.* Phaedr. 3, 13, 6. Non *inconueniens* corpus, et par est color.

INCRVSTARE. *incrustari vas dicitur, cum aliquo vitioso succo illinitur atque inquinatur. Vet. Schol.* Hor. Serm. 1, 3, 55. At nos virtutes ipsas inuertimus, atque sincerum cupimus vas *incrustare. comica festiuitate!*

INCVMBERE Hor. od. 1, 3, 31. macies et noua febrium Terris *incubuit* cohors. *Quam viuida, quam miranda imago h.*

INDICIVM Ter. Ad. 4, 4, 7. Anus *indicium* id fecit mihi i. *per signum ostendit* * Hor. Art. 49. *indiciis* recentibus monstrare abdita rerum. *nouis signis, verbis, res nondum cognitas significare.*

INDIGNE *h. e. cum indignatione: refertur ad res, cum alias de personis vsurpatur. Phaedr.* 1, 21, 10. Fortes *indigne* tuli mihi insultare. *Id.* 3, 18, 1. Pauo ad Iunonem venit *indigne* ferens, Cantus luscinii quod sibi non tribuerit.

INDOCTVS. Hor. od. 2, 6, 2. Cantabrum *indoctum*

ctum iuga ferre noſtra, *graeca conſtr. tum enim nondum deuicti ab A. grippa Cantabri.*

INDVLGERE: hydrops indulgens ſibi, Hor. od. 2, 2, 13. creſcit indulgens ſibi dirus *hydrops*; *Recte non de hydropico ſed ipſo morbo intelligit Geſnerus*; *augetur* dirus *ille morbus, ſi ſiti obtemperat quo pellitur. Quam delecta haec comparatio ſit, quam vera, facile eſt animaduerſu.*

INDVSTRIA, *de ſimulatione* Ter. A. 4, 4, 16. *opponitur enim*: ex animo, *vt fert natura.*

INEPTE Hor. Art. 140, Quanto rectius hic, qui nil molitur *inepte. qui ſuo quaeque loco ponit, et nihil quod non ſit aptum admittit*; *vien deplacé dicerent Galli.*

INERS *epithet. terrae, valde aptum: pigrum, brutum* Hor. od 3, 4, 45. Qui terram *inertem*, qui mare Temperat ventoſum: *ſic* bruta Tellus alio loco, od. 1, 34, 9. *quod bene reddidit.* Leſſingius den ſinnloſen Klumpen der Erde, *add.* od. 4, 7, 12, od. 2, 9, 5, 6. Serm. 2, 7, 39. * *de timido et molli* Id. od. 3, 5, 36. Qui lora reſtrictis lacertis Senſit *iners*, timuitque mortem. * horae inertes, *in quibus nihil agitur.* Hor. Serm. 2, 6, 61. * *qui nullam artem aut nouit aut exercet* Phaedr. 1, 2, 26 fugitant *inertes* ranae, *nim. ad repugnandum.* Id. 3, 13, 2. fucī *inertes; quia mellificandi artis imperiti.*

INEXORABILIS *in Charactere Achillis* Hor. Art. 121. Impiger, iracundus (*vt ſtatim in Il. α.*) *inexorabilis*, acer, (*animoſus, calidus vid. Iliad. ϱ v. 467.*) *Inexorabilem eum videbis Iliad. ϱ. 1. vbi rogatur a legatis Graecorum, vt redeat ad exercitum, et Iliad. ξ vbi non audit poſcentem mortuum filium Priamum.*

INEXPERTVS Hor. Art, 125. Si quid *inexpertum* ſcenae committis. *i. nouum plane et a nemine adhuc tentatum argumentum.*

INFAMIS *de eo qui malam famam versibus nanciscitur, quibus proscinditur et vituperatur.* Hor. Epod. 17, 42. *Infamis* Helenae Castor offensus vice Fraterque magni Castoris victi prece Adempta vati reddidere lumina. *Respicit notam de Stesichoro fabulam, qua fertur scripsisse vituperationem Helenae, qua* vice fororis, *sc. iniuria ei facta, Castor et Pollux offensi, poëtae lumina ademissent, sed postea Stesichoro monito laudem eius decantanti oculos reddidisse.* vid. Platon. Phaedr. p. 347. inde a verbis: ἐγὶ δὲ τοῖς ἁμαρτάνασι περὶ μυθολογιαν καθαρμος ἀρχαῖος, ὃν Ὅμηρος μὲν ἐκ ἤιδετο, Στησιχορος δε κ. τ. λ. * *Infames* Scopuli Acroceraunie Hor. od. 1, 3, 20. *sunt fama peruagati.* * Hor. od. 3, 27, 45. *infamis* iuuencus *est* turpis; *detestatio Europae!*

INFANS, pudor, *bene, nam minus diserti sunt verecundi, pauca et singultim loquentes.* Hor. Serm. 1, 6, 56. *Infans* namque *pudor* prohibebat plura profari. * statuae *infantes.* Hor. Serm. 2, 5, 40. seu rubra canicula findet *Infantes statuas; optimi interpretes intelligunt* recens factas, nouellas, *et Iunius etiam* de pictura Veterum pag. 284. *Sed Dacierius, Sanadon, atque Gesnerus hanc metaphoram inueniunt potius ridiculam quam elegantem, putantque, Horatium eum versum ab alio quo poëta factum ridicule hic posuisse vt figeret illum vatem; id quod factum esse e vers. 41. quemuis videre dicunt. Bentleius autem Horatii ipsius verba propriamque metaphoram iudicat, nec inelegantem. Ego ideo Flacco ipsi tribuo hunc versum, non ab alio poëta huc translatum, tum quia non apparet ridiculi signum nec vllum indicium, esse cuidam surreptum, cum vers. seqq. diserte adscribat Furio Bibaculo absurditatem, tum etiam, quia Seruius ad Georg.* 3, 303.

3, 363. *diserte hunc versum commemorat, vt poëtae boni, quanquam ibi lapsu quodam Persius laudatur, pro Horatio, tum denique quia ipsa haec metaphora hoc loco certe non vituperium mereri videtur. et. voc. infans simili audaci figura poni solet.* vid. Nic. Heins. ad Ouid. Heroid 9, 86.

INFERRE *dicitur de eo, qui non accipit, sed facit* Phaedr. 1, 1, 4 causam iurgii *infert h. e. fingit causam quandam iurgandi, cum ipsi data esset nulla.* fictas causas *deinde poëta dicit.*

INFIRMVS, *incertus.* Ter. Ph. 5, 1, 6. Cum scirem *infirmas* has esse nuptias. *Sic plane* infirmitas Id. Hec. 1, 2, 101. Quid adhuc habent *infirmitatis* nuptiae?

INFLARE buccas, *i. irasci.* Hor. Serm. 1, 1, 20. 21. *vid.* Bucca.

INFORMIS, *epithet. procellae et tempestatis, vt audax, ita pulchrum, quia deformem reddit terram, vel potius ipsa tempestas horridi quid et deformitatem prae se fert.* Hor. od. 2, 10, 15. *informes* hyemes reducit Iupiter, idem summouet. *Sic et* Inaequalis *occurrit, quam voc. cf.*

INFREQVENS Hor. od. 1, 34, 1. Parcus Deorum cultor et *infrequens.* i. *qui non saepe frequentaui templa Deorum, vid.* Parcus.

INGENIVM, *mores, pectus.* Hor. Epod. 11, 18. Contraque lucrum nil valere candidum Pauperis *ingenium* Querebar, applorans tibi. *Imitatio Anacreontis od. 46* γενος ἁδυ εἰς ερωτα, Σοφιη, τροπος πατειται, Μονον αργυρον βλεπεσι, Ἀπολοιτο πρωτος αὐτος, ὁ τον ἀργυρον φιλησας. Id. od. 3, 21, 13. (*de vino*) tu lene tormentum *ingenio* admoues Plerumque duro. *Antea paullo de Catonis moribus duris locutus erat; laudat itaque his verbis vim vini qua mores soleat mansuetiores, liberaliores-que reddere. Sic et* Terent. Andr. 1, 1, 65. Nam qui cum *ingeniis*

conflictatur eiusmodi *cet. eiusmodi hominibus, talibus praeditis moribus.* Phaedr. 4, 6, 14. Quae (*Medea*) saeuum *ingenium* (*pectus*) variis inuoluens modis.

INGENS *plus est interdum quam si dicatur aliquid simpliciter* magnum. *vt in elegantissima illa parasiti notatione.* Ter. E. 3, 1, 1. sqq. coll. Cic. Lael. c. 26. *Atque in hoc loco iam Donatus obseruauit, quantum semper adiiciat parasitus.* Miles MAGNAS dixit *gratias*, ille INGENTES; *hic* LAETA EST, ille TRIVMPHAT. *Sic forte cum vi* Ingentes *dixit* Hor. od. 2, 2, 24. aceruos: *ingentia* facta Epist. 2, 1, 6. *Ingentem* Idomeneum od. 4, 9, 20. * *pro terribilis, tremendus.* Hor. od 3, 6, 35. *Ingentem* cecidit Antiochum Annibalemque dirum, *quanquam et hic pro* magnus *accipi possit, vt apud Ouid.* Trist. 2, 335. vid. Klotzii Vindic. Hor. p. 201.

INGENVVS: amor *ingenuus, non mulieris ingenuae, vt vult Gesnerus, sed non vituperandus amor, nobilis. Horatius enim cum haec diceret, nesciebat quaenam esset amata, quaerit enim ab iuuene postea quaenam sit?* od. 1, 27, 16. *Ingenua* semper amore peccas.

INGLVVIES, *voracitas* Ter. E. 5, 4, 15. *Bentleius autem, et ante eum Faernus, malebant legere* illuuies, *quod est, i. q. sordities; et recte puto, nam de voracitate Parmeno loquitur demum v.* 16. 17. * Hor. Serm. 1, 298. Praeclaram ingrata stringat malus *ingluuie* rem. *Sunt qui pro* stringat *legant* frangat; *male! Habes h. l.* stringere *vim elegantem; ita paullo abhinc* rem patris oblimare, *atterere, attenuare, respicit gr.* δαπανᾶν *cumulatim bona omnia quasi strictim vorare vt expl.* Crucquius. *Pulchre* ingluuies *dicitur* ingrata.

INHIARE *de auaro.* Hor. Serm. 1, 1, 70. congestis vndique saccis indormis

in-

inhians; *mire sollicitudinem et metum pingens imago!*

INHONESTVS, *deformis, foedus.* Ter. E. 2, 3, 65. Illumne obsecro *inhonestum* hominem, quem mercatus est heri. * *in* Ter. E. 5, 4, 16. *opponitur ei, qui est lautus, mundus, elegans. cf. v.* 13.

INIICERE, *iniicere puluerem inhumato religio apud Antiquos iubebat, quia insepulti non admitti ad Stygem credebantur. Hinc precatur insepultus Archyta nautam praeternauigantem* Hor. od. 1, 28, 35. Quanquam festinas (non est mora longa,) licebit *iniecto ter puluere* curras i. e. *manu ter iecta terra in me.* Quintil. Declamat. 5. Insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, vt non quantulocunque veneretur munere terrae.

INIMICARE, *ad graec.* συγκρούειν, *inimicum reddere. Nouum Horatii verbum.* Hor. od. 4, 15, 20. Ira — miseras *inimicat* vrbes.

INIQVVS Hor. od. 1, 2, 47. vitiis *iniquus i. iratus.* Id. Sat. 2, 7, 14. Vertumnis natus *iniquis*: *sibi iratis.* v. Heins. ad Ouid. Ep. 2, 33. * *iniqua* castra Troiae i. *infesta, hostilia.* Hor. od. 1, 10, 15. Id. Art. 67. cursum mutauit *iniquum* frugibus amnis. i. *nocentem*; *sic* hyemes *iniquae intell. apud Eund.* od. 3, 1, 32. * *iniquum* littus Hor. od. 2, 10, 4. *Alii omnes intelligunt* periculosum, infestum, *sed cum* premere littus *opponatur* nauigationi, *non ego hic de periculo quodam cogitare possum, sed intelligo* iniquum, *inaequale* i. *sinuosum, flexuosum littus vt* locus *iniquus* Liv. 2, 31. *est non aequatus.* * Ter. A. 1, 5, 23. aut vllam causam, ineptam saltem, falsam, *iniquam.* i. e. *causam, quae aut a quouis potuerit reprehendi, aut etiam, etsi vera non fuerit, prudentem falleret; aut quae quamuis vera, nihil tamen ad hanc rem pertineret.* * Ter. H. prol. 27. Ne

plus iniquum (*iniquorum*) possit quam aequum (*aequorum*) oratio. *Illustrat hunc locum Plautus* Rud. 3, 2, 4. „ne impiorum potior sit patientia quam innocentium.„

INIVRIOSVS, pes iniuriosus, ad graec ὑβριστὸς, *insolens, fastuosus, pulchre!* Hor. od. 1, 35, 13. *Iniurioso* ne pede proruas stantem columnam. *precatur fortunam: nec hic sub columna Augustus intelligendus, vt iam alii docuerunt.* * Hor. Epod. 3, 17, 34. Donec cinis *iniuriosis*, (*saeuis*) aridus ventis ferar.

INNOCENS, pro *innoxius.* vinum *innocens* Lesbium, *vel quia lene per se, vel aqua admista temperatum.* Hor. od. 1, 17, 21. Hic innocentis pocula Lesbii Duces sub vmbra.

INNVERE, *intransitiue, nutando signum dare.* Ter. E. 4, 5, 9.

INOMINATVS, cubilia *inominata*, i. *infausta* Hor. Epod. 16, 38. *Inominata* perprimat cubilia *perpetuo incolat.*

INSANIRE, *grauiter iratum esse.* Ter. A. 4, 2, 9. Age, si hic non *insanit* satis sua sponte, instiga. *Plane sic et* Hor. Epist. 2, 2, 134. Posses qui ignoscere seruis Et signo laeso non *insanire* lagenae. * Ter. E. 1, 1, 18 *insanire* cum ratione *eleganter dicitur ad circumlocutionem τῶ ἀδυνάτω; Certa tamen ratione illud fieri posse, eum non fugiet, qui nouit, quid sit cum Horatio* desipere in loco, *aut quod Lucianus aliquando dixit:* ἐκ ἀλόγως μαίνομαι. *vid. eius Nigrin.* c. 6. p. 44. ed. Reitz. * Insanire *dicitur is, qui παράδοξα profert, inaudita, incredibilia.* Ter. E. 3, 3, 15. *Quo in loco gradus admirationis mire Terentius expressit. Cum enim Pythias Phaedriae narret, ab eunucho vitiatam esse virginem, primo dicit:* Quid ais? v. 12. *Deinde:* temulenta es. v. 13. *tandem:* insanis. v. 15. * Ter. Ad. 2, 1,

2, 1, 43. minime miror, qui *insanire* occipiunt ex iniuria. *Conferunt cum hoc dicto Menandri fragmentum, quod exstat in Grotii collectione* p. 6. οιμοι το γαρ ἀφνω δυσυχειν μανιαν ποιει. * *quod quasi insanos h. e. stupentes reddere possit, etiam* insanum *dicitur*, ab *effectu vt alia plura verba* Hor. Serm. 2, 2, 5, Cum stupet *insanis* acies fulgoribus. *Bene* stupet *ad* insanis, *nam nil admirari, astupere Sani, sapientis est.* * Id. Serm. 2, 2, 69. insanae leges *sunt, quae vltra modum iubent bibere, quales leguntur apud* Plinium extremo libro 14.

INSCRIBERE. Ter. H. 1, 1, 92. *Inscripsi* ilico aedes mercede. *Sic enim legendum est. Alii* mercedem *legunt, et a prioribus verbis puncti signo seiungunt. Male. Non enim vendere volebat Menedemus aedes suas, sed* locare; *quod vbi animus erat facere, titulum aedibus affigebant, quod* inscribere *dicebatur. Sed et* proscribere *sic in vsu est. c. c. Petron. c. 38. pag. 165. edit. Burmanni.* „Itaque proxime cum „hoc *titulo proscripsit*: „C. POMPEIVS DIOGENES „EX KAL. IVLIIS COENA„CVLVM LOCAT, IPSE „ENIM DOMVM EMIT.„

INSIDIAE. Ter. Ph. 1, 4, 52. ego in *insidiis* hic ero. *Vide* Subsidium.

INSIGNIS pro *constitutus summo loco*. Hor. od. 1, 24, 12. *Insignem* attenuat Deus. τὸν ἐπιφανη. *Si vera sit lectio. Bentleius autem emendat* insigne *pro* insignem; *et Cuningamius* Insignia *vt sit figura Epsyhaeloephes; quae lectio quia tum* obscura, insignia, ima, summa, *bene sibi respondent, valde est probabilis.* vid. Cuning. Animaduers. C. 16. p. 305. sq. *Vbi et Virg. locum Aen.* 6, 33. *huc trahit.* * Hor. Epod. 5, 12. *Insignibus* raptis puer. i. *praetexta et bulla, qua vtebantur pueri Patriciorum.* * *Insignia* morbi. Hor. Serm. 2, 3, 254. Facias quod

olim Mutatus Polemon? Ponas *insignia* morbi, Fasciolas, Cubital, focalia; *namque ea ornamenta gerere, nisi aegrotantis, erat indecorum et molle.* vid. Quintil. 11, 3, 144. *eleganter hinc ad lasciuum viuendi genus refertur.* Polemon ille *iuuenis lasciuus, motus oratione Xenocratis, primum coronas posuit quas gestabat in capite: paullo post resipuit plane, et ex perdito homine factus seuerus philosophus*, Rem *narrat praeter alios multos* Diog. Laert. in Xenocrat. et Valer. Max. 6, 9.

INSISTERE, *instituere, pergere.* Ter. Ph. 1, 4, 15. qua quaerere *insistam* via. * *agere.* Ter. Hec. 3, 5, 34. vide ne — praue *insistas.*

INSITIVVS. Phaedr. 3, 3, 10. *insitiui* liberi, *adulterini, nothi; commoda translatione, ab insitione arborum.*

INSOLENS, *Insuetus, qui talia non antea expertus.* vid de h. v. Cort. ad Sall. B. C. 3, 4. Hor. od. 1, 5, 8. Aspera Nigris aequora ventis Emirabitur *insolens.* * laetitia *insolens.* i. *immodica, exultans temere.* Hor. od. 2, 3, 3.

INSOLENTIA *potentia, et quidem quae nullum tenet modum, aut legem.* Hor. Epod. 17, 75. Meaeque cedet terra *insolentiae.*

INSONS, *qui non nocet* Hor. od. 2, 19, 29. Te vidit *insons* Cerberus aureo cornu decorum.

INSTARE Hor. od. 3, 3, 3. Vultus *instantis* tyranni i. *minitantis truculento vultu; imago perquam apta ad ponendum tyrannum quasi ante oculos lectorum!*

INSTITOR, *cuicunque negotio praepositus ita appellatur.* Hor. od. 3, 6, 30. Seu vocat *Institor*, seu nauis Hispanae magister. *vbi institorem pro quouis ex plebe accipit.* Vet. Schol. *Ita et accipio* Epod. 17, 20. Amata nautis multum et *institoribus. quanquam ibi etiam de mercatoribus intelligi possit.*

INSTITVERE, Hor. od. 3, 8, 11. Amphorae fumum

mum bibere *institutae*, i. *coeptae seu aptatae et collocatae in apotheca vbi fumum bibat* v. Apotheca.

INSTRENVVS Ter. H. 1, 1, 68. animi est prudentis signum et *non instrenui, i. e. qui facile capere et exsequi consilium possit. eines klugen und nicht unentschlossenen Gemüths.*

INSTRVMENTVM, *apparatus, copia earum rerum, quae ad instruendam aliquam rem atque exercendam pertinent* Phaedr. 4, 4, 24. Instrumentum rusticum, *suppellex rustica omnis, quae ad rem agrariam pertinebat.*

INSVESCERE. Ter. Ad. 1, 1, 30. Nam qui mentiri aut fallere *insuerit* patrem aut *audebit. Bentleius pro* insuerit *mauult legere* ita vt sit; *qua coniectura facile possumus carere; nam sensus ex Vulgata illa lectione sanus est ac facilis; qui aut fallere consueuerit, aut saltem semel audebit.*

INSVLTARE, *proprie pro* insilire. Hor. od. 3, 3, 41. Dum Priami Paridisque busto *Insultet* armentum.

INTAMINATVS *nouum cusum verbum* Hor. od. 3, 2, 18. Virtus repulsae nescia sordidae *Intaminatis* fulget honoribus. *Puris, quos quasi impuri homines virtute priuati, non attingere possunt; Stoica, at diuina sententia. Bentleius malit:* in – Contaminatis *et sic etiam nonnulli libri habent. Quomodocunque legeris, sententia sua pulchritudine non priuabitur.*

INTEGER, victor, *qui ipse illaesus vicit,* Hor. od. 4, 4, 67. Multa proruet *integrum* cum laude *victorem.* * Integer vitae i *ratione vitae, vid. de ellipsibus eius generis Lambin.* ad h. l. Hor. od. 1, 22, 1. *Integer vitae* scelerisque purus etc. * fontes *integri* s. *puri, illimes.* Hor. od. 1, 26, 6. * Id. od. 2, 4, 22. Brachia et vultum teretesque suras *Integer* laudo i. *sine cupiditate eius, non libidine sed iudicio sano ductus*

* Id.

* Id. od. 3, 7, 22. scopulis surdior Icari voces audit adhuc *integer*. i. *non deceptus, fidus adhuc tibi.* * *Integra* aetas *apud* Ter. A. 1, 1, 45. *est florens, iuuenilis.*

INTEGRITAS ἀρρηνοτης *Phaedr.* 3, 11, 5. hoc vnum est, cur laborem validius, *integritatis* testes, quia desunt mihi. *Est tamen ambiguitas in voce integritatis, ad quam respexit poëta.*

INTENTVS, Hor. od. 4, 4, 14. laetis caprea pascuis *Intenta*, i. *magno cum studio et ardore depascens herbas; significans vox! Sic et* Art. 458. *Intentus* merulis auceps decidit.

INTER Phaedr. 5, 7, 10. *Inter* manus sublatus domum refertur, *h. e. manibus latus e theatro.*

INTERCIDERE *pro* excidere memoria, mente, Hor. Serm. 2, 4, 6. Quodsi *intercideris* tibi nunc aliquid: repetes mox.

INTERFVNDERE, *suauiter et poëtice de mari terras circumeunte plures.* Hor. od. 1, 14, 19. *Interfusa* nitentes Vites *aequora* Cyclades.

INTERIOR nota *interior* Falerni (vini) Hor. od. 2, 3, 8. *de optimo vino; hoc enim seruare solebant interiore parte cellae vinariae, eratque eo ipso interius alio viliori vino; cum vero etiam solerent notis quibusdam cados et lagenas signare*, interior nota vini *est interiori parte posita notata lagena. Huc pertinet etiam illud* signum laesum lagenae Hor. Serm. 2, 2, 134. Et signo laeso non insanire lagenae i. *inani et epotae furtim a seruis. Cic. Epist. diu.* 16, 26. Sicut olim matrem meam facere memini, quae lagenas etiam inanes obsignabat ne, dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae. * *interior* gyrus, *est breuior; pluribus enim ab vno communi puncto medio descriptis circulis, interiores sunt breuiores; desumtum a stadii circulis in circo.* Hor. Serm. 2, 6, 26. Bruma niualem *Interiore*

re diem *gyro* trahit; *belle de diebus breuioribus hyemis!*

INTERPELLARE, *pro* prohibere. Hor. Serm. 1, 6, 127. Pransus non auide, quantum *interpellet* inani ventre diem durare.

INTONATVS, *tonitru turbatus et saeuiens*; *Vox rara* Vet. Schol. Hor. Epod. 2, 51. Eois *intonata* fluctibus hyems. *tempestatis imago poëtica.*

INTONSVS, *epithet. Phoebi, quia semper iuuenis.* Hor. od. 1, 21, 2. *Intonsum* pueri dicite Cynthium. *Sic et* Epod. 15, 9. *Intonsos* agitare Apollinis aura capillos. *At apud Eund.* od. 2, 15, 11. *intonsus* Cato *est* vetustus, *nam nonnisi post* 454 *Vrbis annos Romae tonsores fuerant.* Landinus.

INTRA Hor. Art. 267. *Intra* spem veniae cautus i. *ita cautus ne spem veniae habeam, vt ne quid sperans veniam peccati admittam.*

INTVS Hor. Art. 182. Non tamen *intus* digna geri promes in scenam i. *quae rectius narrantur vt gesta, quam geruntur in ipsa scena.* seqq. v. *rem explicabunt.*

INVENIRE, *agnoscere.* Ter. E. 5, 9, 6. Scis Pamphilam meum *inuentam* ciuem *i. e. pro ciue agnitam.* * *conscisce* Ter. H. 2, 1, 17. Hoc ego mali non pridem *inueni.* * Inueniri *eleganter de rebus, quae inopinato accidunt.* Phaedr. 1, 12, 2. laudatis vtiliora quae contemseris saepe *inueniri* Id. 4, 10, 17. saepe quos ipse alueris, tibi *inueniri* maxime contrarios.

INVENVSTVS Ter. A. 1, 5, 11. *qui est in amore infelix. Muret.* Vid. Vossii Etymol. *Respondet graeco* ἀναφροδιτος. *Contrarium est* Hec. 5, 4, 8.

INVERSVS, annus Hor. Serm. 1, 1, 36. Simul *inuersum* contristat Aquarius *annum i. ad casum et finem vergentem. metaph. de rota ducta.* Reiske. *Baxterus nugatur.* Scite, *inquit, inuersum,* ac si videri vellet

let hiemem ex inuersa Aquarii vrna defusam. *Estne scite dictum? est* inuersus *annus, cum, sole ingresso Aquario, Mense Ianuario, iam in se redierit. vid.* Contristare. * *apud* Ter. H. 2, 3, 131. *inuersa* verba sunt *confusa, praeposterе dicta, non cohaerentia, quae mali alicuius aut vitii admissi conscientiam prodant, aut animum significent affectu quodam altaque cogitatione abreptum.*

INVETERASCERE, *dicitur de fabulis cum saepius aguntur, atque adeo perplacent spectatoribus.* Ter. Hec. pr. 2, 4. Nouas qui exactas feci vt *inueterascerent.*

INVICTVS, *in Charactere Medeae.* Hor Art. 123. Sit Medea ferox, *inuictaque; quippe quae omni calamitatum mole obruta interrogata quidnam ei auxilii superesset? responderit:* EGO; *et dum omnia eam me premunt, efficit pertinax, vt omnia mala vinceret.* cf. Eurip. Medeam.

INVIDERE, orco aliquem, *pro immortalitati tradere, adimere morti.* Hor. od. 4, 2, 24. (*de Pindaro*) vires animumque mores - Que aureos educit in astra nigro - Que *inuidet* orco. *Efficax h. l. verbum et sententiae πάθος quoddam addens!*

INVISVS, terra *inuisa.* Hor. od. 3, 18, 15. Gaudet *inuisam* pepulisse fossor Ter pede terram. h. e. *sibi propter labores inuisam die mühsame Erde Vet. Schol.* Naturale est omnibus odisse laboris sui materiam. *Est autem venusta illa fossoris feriantis et saltantis imago, qua tundit terram proteruis pedibus, in qua antea tot labores exhauserat.* * *proprie quod non videtur, aut videri potest* inuisum *est; sic inuisus* Taenarus. Hor. od. 1, 34, 10. vid. Lessing. opuscul. T. III. p. 82. sq. * Phaedr. 4, 11, 1. opes *inuisae* merito sunt forti viro, quia diues arca veram laudem intercipit. *Commode hic et ad veritatem huius sententiae significanter adic-*

adiecit Freinshemius locum ex Plutarcho: (*Vbinam sit locus, nescio*) Epaminondas armigerum suum comperiens multum pecuniae accepisse a quodam qui captus fuerat: proinde, inquit, scutum tu mihi redde, tibique cauponam eme, in qua vitam exigas. Diues enim et vnus beatorum factus non vales adhuc pericula adire *Caeterum inscriptio fabulae alia esto: siue haec: diuitiae virtutis impedimenta; siue ea, quam Bentleius posuit:* Heracles et Plutus. * Inuisus, *quem non expetimus.* Phaedr. 4, 23, 11. qui inuitatur, non qui *inuisus* est.

INVITARE Ter. E. 4, 1, 415. *vbi* Thais militem
Rogat, illum *admitti vt iubeat;* ille continuo irasci
Neque negare audere:
Thais porro instare vt hominem *inuitet, obseruetur, quam sapienter Comicus vna solum gradatione meretricis impudentiam pingat. id. quo magis elucear, videamus v.* 10. 11. *militis orationem qui volebat facere contra aegre:* heus, puer, i, Pamphilam (*ex consilio Gnathonis act.* 3, *sc.* 1. vers. 50, *accerse*, vt deleatur hic nos. *Thais exclamat:* minime gentium; *Tum Miles:* In conuiuium illam! (*haec enim est propositio diens, non autem interrogans*) miles tendere inde ad iurgium. Ceterum posterior hic versus *in quibusdam libris mendose sic exprimitur:*

Tun' in conuiuium illam?
Miles Tendere; inde ad iurgium.

INVITVS Phaedr. 3. prol. 32. Quamuis laude *inuita* in hanc vitam incubuerim, Fastidiose tamen in coetum recipior. *Propter inexpeditam huius loci interpretandi rationem, atque facilem librariorum lapsum, sequendum esse videtur Gudii consilium, qui* inuita *in* multa *vult transmutari;* Multa *vero* laude *est studiose, atque feliciter. Suades Eutycho,*

cho, vt vitam consiliique sui rationem mutet, si Musarum limen intrare vellet. Se enim dicit, quanquam longe diuersus ab illo fuerit, tam lucri non cupidus, vt ille, neque ita otium atque ferias quaesiisset, aegre tamen fuisse a Musis receptum; atque hae oppositae rationes in Eutycho, nostram lectionem maxime firmant. Gronouius *legendum existimabat* laude nuda, i. *ob solam laudem, non ob aliud praemium; quam lectionem suffulsit sexcentis locis et auctoribus* Burmannus *ad h. l. neque tamen me tanta turba vincere sibique subiicere potuit.*

INVLTVS, *qui non punitur* Hor. od 1, 2, 51. Neu sinas Medos equitare *inultos* Te duce Caesar. *sic* inulto *pro* impune Hor. Serm. 2, 3, 189. *Inulto* dicere quod sentis permitto.

INVOLARE vnguibus. Ter. E. 4, 3, 6. *Praecipue mulierum est.* * inuolare in capillum. Id. E. 8, 2, 20.

INVOLVERE Phaedr. 4, 1, 12. *Inuoluit* se farina, et obscuro loco Abiecit negligenter. *Voluit se, volutauit in farina, vt se oppleret ea.*

IOCARI, *de fabulatoria arte praesertim vsurpat Phaedrus, inde et fabulas iocos dicit.* libr. 3. prol. 37. libr. 2. prol. 5. *puto enim lectionem veterem seruandam.* narrandi iocus, *i. e. quidquid lepide atque iocose narratur.* Id. 4, 6, 2. iocorum genus *fabulas vocat, quia nimirum hoc scribendi genere, ab auctoris et doctoris seueritate alienus, ita res leues tractat, vt quiuis homo ludere posse videatur, atque illud est, quod principio libri dixerat Phaedrus, alteram eius dotem esse vt risum moueret. Forte huc respexit* Martialis, *cum* iocos Phaedri *laudaret.*

IOCOSVS, imago *iocosa* i. *ludens quasi* Hor. od. 1, 12, 3. vid. Imago.

IOCV-

IOCVLARE, *vile, quodque haud multi est ponderis; De fabulis* Phaedr. 4, prol. 1. *Ioculare* tibi videtur: et sane leue, dum nihil habemus maius, calamo ludimus! *Non necesse vero puto hic aliquid mutare, vt volunt viri docti. E.g. Schefferus ita legit:* Ioculare hoc — leui calamo. *Heinsius:* Iocularis: *at nihil harum lectionum fuit in MSS.* Ioculare *absolute positum subindicat, quod facile intelligi potest; breui quadam παρεν-θεσει interiecta addit:* HAS nenias. *Eandem breuitatem in dicendo reperies versu* 5. Calamo ludere *poëtarum est, et* leue *h. e. leuiter* calamo ludere, *non seria admodum tractare, sed condendo carmine animi remissionem quaerere.*

IOCVLARIVS. Hor. Serm. 1, 1, 23. ne sic, vt qui *iocularia*, ridens percurram; *qui res ioculares narrat: non cum Baxtero h. l. exodia s. fabulae Atellanae intelligendae; nullum est vestigium.* * Ter. A. 4, 4, 43. *Iocularium* malum, i. e. (*bene explicante Donato*) *per καταντιφρασιν, graue, molestum, nimium. Nos sic vtimur verbo* SCHOEN *aliisque* e. gr. Du führtest mich eine *schöne* Bahn am Hose. Sic Ph. 1, 2, 84. *ioculārem* audaciam.

IRACVNDVS, fulmina *iracunda. Poëtice et elegantissime! animatae rei sensus datur et vita!* Hor. od. 1, 3, 40. Neque per nostrum patimur Icelus *Iracunda* Iouem *ponere* fulmina. *Etiam voc.* ponere *bene vsus poëta.* * *Iracunda* Diana Hor. Art. 454. Quem egit *iracunda* Diana; *quae lymphaticos reddere putabatur.*

IRE *dicuntur anni, vbi vergit aetas ad occasum, qui* Hor. in Art. 175. decedentes *sunt*, opp. *anni* venientes. Id. Epist. 2, 2, 55. Singuli de nobis *anni* praedantur *euntes.*

IRRETORTVS Hor. od. 2, 2, 23. Quisquis ingentes oculo *irretorto* spectat aceruos. Clericus Arte critica. 1, 2, 11.

expl. *Non inuidente oculo sapiens*, integer, *diuitias videt et contemnit. Pingitur vero hoc verbo, longe elegantissime, homo, qui ne oculos quidem detorquet videns auri et argenti splendorem. Non conniuens vt ad splendorem solis praestrictis oculis, adstupet, sed aequo animo, et oculo non moto, eos frigide aspicere potest.*

IRREVOCATVS Hor. Epist 2, 1, 223. Multa quidem nobis facimus mala saepe poëtae – – cum loca iam recitata (*carmina nostra*) reuoluimus *irreuocati; non iussi vt praelegamus. Verane lectio sit* inreuocati, *an* irreuocati, *videant quorum talia intersunt.*

IRRIDERE, *grauiter vexare, violare.* Ter. E. 4, 4, 42. Etiam nunc non credis indignis nos esse *irrisos* modis.

IRRITARE, *mouere, affectus ciere.* Hor. Art. 180. segnius *irritant* animos demissa per aurem Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus.

IVBERE *proprium est populi, dum leges fert, aut res quasdam vult, proponit etc.* Hinc Hor. od. 3, 3, 1. Iustum et tenacem propositi virum Non ciuium ardor praua *iubentium* – mente quatit solida. *Scripsit enim, vt vel ex tota ode mihi patere videtur, et hoc verbo, hoc carmen Horatius ad depellendas mentes Romanorum ab consilio funesto, quod tum ceperant, vt sedem imperii Ilion transferrent, iussu puto Augusti et Maecenatis; non cum Fabro Epist 2, 43. credam Augustum de transferenda sede imperii ipsum cogitasse, sed potius populum superbum tum id agitasse, quod, quam sinistrum imperio Romano esset, perspiciens Maecenas, tentauit hac Horatii ode mentes quodam modo ita placare, vt de Virgilio docti viri notarunt eum Georg. scripsisse ad assuefaciendos feroces milites, belli huc vsque cupidos, ad agriculturae mollem vitam. Dilogiam Baxteri*

ri equidem non perſpicere ſatis poſſum. vult vero, declarare poëtam, diuum Auguſtum ob iuſtitiam in Deorum numerum receptum, et contra M. Antonium, perfidia infamem, et muliebri mollitia diis inuiſum, periiſſe; et deos vniuerſos iam conſenſiſſe ad ſtabiliendum Romanorum imperium. Eſt autem valde amans dilogiae vbique, eruditus alias profecto, interpres ille Anglus. * *eſt etiam formula valedicentium; ſic comice adhibitum ab Hor. Serm.* 1, 1, 63. *Iubeas* miſerum eſſe libenter Quatenus id facit. *Sine eum aequo animo ferre et bene miſeriam, quam diu id facit. Alii leg.* quatinus, *quod idem, vid.* Quatenus.

IVDICIVM Phaedr. 4, 17, 30. Sed hoc feretis pro *iudicio* praemium, Non volo – – *Bentleius acute hic reponit* volo *pro* veto *manuſcriptorum; eſt enim ad ſenſum accommodatiſſimum; qui vero* veto *defendunt, debent poſt* verum *aliquod verbum intelligere contrariae ſignificationis*, quae quidem ſcribendi forma *non prorſus inſolita eſt optimis auctoribus. Poſtremi huius fabulae verſus ita forſan legendi:* Ita nunc legatos expectans poſteros Nouum venire eum videt, culum olfacit, (*puta Canis απο τ κοινε:*) *et MSS. recte* poſteros *habent, nimirum poſteriores legatos, quibus anus odore fuerat repleta, nec adhuc dum dimiſſos.* * Ter. H. pr. 12. veſtrum *iudicium* fecit. *i. e. vos iudices conſtituit. cf. v.* 25. *vbi dicitur:* Arbitrium veſtrum, veſtra exiſtimatio valebit.

IVGARE, foeminas, *viris iungere.* Hor. Carm. ſaecul. 18. Proſperes decreta ſuper *iugandis* foeminis *vid. voc* Maritus.

IVGVLARE *comice et ſatyrice vſurpatum.* Hor. Serm. 1, 10, 36. Turgidus Alpinus *iugulat* dum Memnona. *Vet. Schol.* Cornelius Alpinus Memnona Hexame-

tris versibus nimirum descripsit; et belle *iugulat* Memnona dilogos ait. *nam dum describit* quemadmodum iuguletur, intelligi vult ab ipso potius iugulari * *dicto aliquem configere* Ter. E. 3, 1, 27. * Ter. Ad. 5, 8, 35. Suo sibi gladio hunc *iugulo. i. e. omnia eius dicta in eum regero, suis eum ipsius praeceptis redarguo. Non absimilis, sed tamen aliquo modo diuersa est locutio ap. Plaut. Amph.* 1, 1, 113. atque hunc telo suo — — a foribus pellere.

IVNCTVRA, *de compositione et vniuersa structura, non verborum solum sed totius orationis colore s. stilo* Hor. Art. 242. Tantum series *iunctura*que pollet. * Id. Art. 47. callida verbum Reddiderit *iunctura* nouum h. e. *si cum recta prudentia et arte*, callide, *verbum quoddam copulatur cum aliis tali coniunctione, qualis antea nusquam fuerat*, nouum fit verbum: *non ad tralationes et figuras orationis pertinet, sed intelliguntur* verba iuncta, *quae* Cicero *vocat* Orat. 48. v. c. reliquolus, saxifragus, *similia, quae ex coniunctione noua fiunt, quae Grammatici vocant* composita. *Alia sunt* facta, *alia* iuncta, *alia* translata verba.

IVNGERE, *iunctae fenestrae s. clausae valuis.* Hor. od. 1, 25, 1. Parcius *iunctas* quatiunt *fenestras* Ictibus crebris iuuenes proterui, *s. qui velint immitti. vid. Fenestra.* * *iuncti* impariter versus Hor. Art. 75. *sunt* elegi; *quorum impares inuicem versus.* * Iungere, *de re veneren* Hor. od. 1, 33, 8. Id. Epod. 16, 30. etc.

IVPITER, malus; *quia Iupiter coelum; est graue, insalubre coelum.* Hor. od. 1, 22, 19. *bene ibi* vrguet. *qs. angit, premit.* Ter. H. 5, 4, 12. Non si ex capite sis meo natus, item vt aiunt Mineruam ex *Ioue* ea caussa magis patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri. *Ad h. l. elegantem*

Dacie-

Bacchidis *animaduersionem latine translatam iuuat apponere:* Genus est loquendi, *inquit*, altius quam quod ferre plerumque comoedia soleat amplecti. In caussa est vehemens animi affectus, quo efficitur, vt mens mota verba inueniat sententiasque nobiliores, atque sublimiores, quam quae possint a frigida animi tranquillitate proficisci. Qua ex re intelligi potest illud Horatii A. P. 93, 94.

Interdum tamen et vocem comoedia tollit
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

omnium grauissima est exclamatio Demeae Ad. 5, 3, 4. O coelum, o terra, o maria Neptuni!

IVRARE, in verba alicuius, *proprie est militaris locutio, verbis, ab altero conceptis, iurare se ita facturum vel secus, quod fit cum sacramento milites adiguntur, praeeunte quodam carmen s. formulam quandam; deinde translate* Hor. Epist. 1, 1, 14, Nullius addictus. *iurare* in verba magistri *adeoque non significat, omnia verba magistri credere, vt vulgus putat, sed vni magistro adhaerere, vnam tantum sequi disciplinam; verbo, esse quendam* anum, ein aner seyn, *vti nos dicimus.* * Epod. 15, 4. *de amica fidem iuramento pollicente, praeeunte verbis amico, idem iusiurandum iurante.* Magnorum numen laesura Deorum In verba *iurabas* mea.

IVSIVRANDVM. Ter. Ad. 2, 1, 11. Noui ego vestra haec: „nollem factum;„ dabitur *iusiurandum*, esse te indignum iniuria hac; „indignis cum egomet sim acceptus modis. *Mos erat veteribus, vt qui alterum, aut re aut verbo laesisset, iureiurando se purgaret alterique satisfaceret, quo nempe, se nolle hanc iniuriam alteri factam esse, alterumque ea indignum esse, adseuerabat. conf. Plaut. Amphitr. Act. 3, sc. 2, v. 8. vbi Alcumena,*

mena, marito ſuo ſuc-cenſens, quin ego illum aut deferam, *inquit*, aut ſatisfaciat mihi ille atque adiuret inſuper, *nolle eſſe dicta*, quae in me inſontem protulit. *vid. Taubm. ad. Plaut. Rud.* 5, 3, 18.

IVSTVS: Iuſti diui. Hor. od. 3, 14, 6. *Iuſtis* operata diuis. Geſnerus *intelligit, quibus iuſtum eſt ſacra facere. Schol. Vet. qui iuſti quidem ſemper, ſed ſpecialiter nunc, quia victoriam et reditum Caeſaris merito eius et virtuti praeſtiterant: quam explicationem praefero Geſnerianae; Res ipſa loquitur.*

IVVENARI, *verbum linguae Romanae donatum nouum.* Hor. Art. 246. Ne nimium teneri *iuuenentur* verſibus vnquam. i. *iuuenili more laſciuant, molliter nimis et culte et nolite loquantur.*

IVVENESCERE Hor. od. 4, 2, 55. Qui largis *iuueneſcit* herbis In mea vota. *de iuuenco deſtinato voto ſacrificio, qui in pratis bene paſtus adoleſcit, fieri incipit iuuencus, et idoneus hoſtiae votiuae.*

IVVENTVS, pro, *poſteritas.* Hor. od. 1, 2, 24. Audit pugnas vitio parentum, Rara *iuuentus.* i. *poſteri noſtri rari propter tot caeſos.*

L.

LABI *de flumine, apte et ad viuidam imaginem accommodate de Tiberi.* Hor. od. 1, 2, 19. Vagus et ſiniſtra *labitur* ripa v. Klotz. vindic. Hor. p. 72. *et ſic ſaepius* * Id. od. 1, 13, 6. humor et in genas furtim *labitur. lenti doloris et languidi amoris exquiſitiſſima imago; imitatus forte eſt hac oda illam Sapphus, cuius ſeruauit nobis fragmentum Longinus* S. 10. φαινεται μοι κηνος ισος θεοισιν κ. λ. *Si integra illa Sapphus* Ode *aut reliquae ſupereſſent, videremus, niſi omnia me fallunt, Horatium h. ode imitatorem ſidum dulcis poëtriae; adeo omnia ſpirant* commiſſos Aeolios calores.

LABOR,

LABOR, *aerumna* Ter. H. 1, 1, 30. Si quid *laboris* est, nollem *i. e. si quid esset aerumnae, aut si haberes, cur laborares, nollem te deterrere.* cf. Hec. 3, 1, 6. coll. 8. * Ter. H. 1, 1, 39. est *fatigatio quae non semper exiſtit ex labore actiuo, ſed etiam ex onere ferendo vt h. l.* * *incommodum* Ter. Hec. 3, 3, 30. Sine *labore* hanc gratiam te vt ſibi des pro illa nunc rogat. cf. v. 40, 41. * *de cura et angore amantis*, Hor. Epod. 17, 14. Nullum a *labore* me reclinat otiam, *venuſte reclinat* * Phaed. Epilog. 2, 15, ſin autem; ac illis doctus occurret *labor*. h. e. *ſi autem ea fortuna non vtar, non noſtrum ſtudium ad aures aequas perueniet*; ac *potius* illis doctus occurret labor Siniſtra quos in lucem natura extulit cet. *Habet comitatem h. l. illud* ſin autem: *Laborem, curam, ſtudium dixerat, antea* verſ. 9. et 11. 13. *nunc ipſum opus ſuum, doctum laborem vocat, quia ſtudio et opera conſtabat; neque hic audiendus eſt* Chriſtius, *qui in libello: de moribus Eruditorum; hoc verbum friuolum nempe, atque totam fabulam cum caeteris Phaedri fabulis ſuſpectam pro inferioris longe aetatis fructu habet, ſtatim etiam 3. prol. 26. iterum occurrit, docto labori dulce praeponens lucrum, vbi opponit* doctum laborem, *curae vigiliaeque eorum, qui quaeſtum quaerunt.*

LABORARE Hor. Art. 192. Nec quarta loqui perſona *laboret*; *i. e. non in ſcena multa, aeque multa ac reliquae perſonae loquatur ſc. aut ei imperetur aliquid, aut identidem pauca intermiſceat verba, regula certa; non tollit Horatius quartam perſonam colloquentem, ſed non vult cum aliis ſimul praeeſſe, vt cum Cicerone loquar, ſed intereſſe tantum, de qua agatur, rei.* * ſiluae laborantes, *ſuauiſſime de arboribus, quarum rami, mole nuis depreſſi, quaſi fatiſcunt, vix fer-*

re onus posse videntur Hor. od. 1, 9, 3. Nec iam sustineant onus Siluae *laborantes* geluque Flumina constiterint acuto. *Eadem fere significatione* Id. od. 2, 9, 7. Aquilonibus Querceta Gargani *laborant*, *agitantur iniurioso impetu*. * *laborare in aliquo*, *vehementer amare*, *deperire* Hor. od. 1, 17, 19. * Hor. od. 2, 3, 11. obliquo *laborat* lympha fugax trepidare riuo. *venuste de aqua*, *vi quasi quadam anniti visa*, *vt profluere possit*, *quae quasi laboriose fluit*. *Translatio a re animata scite*, *viuidaque luce h. l. collustrans*. obliquus riuus *absoluit imaginem*, *quo veritas accedat* laboranti aequae. * Laborare scire, *de summa* cupiditate. Hor. Epist. 1, 3, 1, Quibus terrarum militet oris Claudius, Augusti priuignus *scire labora*. * Hor. Serm. 2, 3, 7. Immeritus *laborat*, Iratis natus paries diis atque poëtis; *Immerito culpam coniicio et poenam in parietem*, *quod nihil pulcri mihi inuenti occurrat commentanti versus*, *vid.* Paries. * *absolute et intransitiue* Phaedr. 1, 30, 1. humiles *laborant*, vbi potentes dissident. * Ter. H. 1, 1, 37. ne *labora*, *i. e. ne te fatiges nostro onere*.

LABORIOSVS, *epith. Vlyssis*, *characterem eius bene exprimens*. Hor. Epod. 16, 60, et 17, 16. * Ter. H. prol. 43. *laboriosa* comoedia *est motoria*, *vide* Statarius.

LACRIMVLA Ter. E. 1, 1, 22, 23. Haec verba vna mehercule falsa *lacrimula* Quam oculos terendo misere vix vi expresserit Restinguet. *Huius descriptionis insignem venustatem inter multos etiam Donatus obseruauit*. Est, inquit, *expressio ad ζωσιν ducens*. *Et non* vera *sed* falsa, *et non* lacrima *sed* lacrimula, *et non* vitrosens, *sed* oculos terendo, *nec solum* misere, *et non* facile *sed* vi, *et non* exstillarit, *sed* expresserit.

LACRIMOSVS Hor. Ep. 1, 1, 67. Vt propius *spectes lacrimosa* poëmata Puppi *i. tragoedias, lacrymas cientes: fuit* Puppis *circa* mouendos affectus egregius; auctore *Vet. Schol. ad h. l.* * fumus lacrymosus; *belle, quod excitet lacrymas acrimonia sua.* Hor. Serm. 1, 5, 80. Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Triuici villa recepisset, *lacrimoso* non sine *fumo:* * Id. od. 1, 8, 14. sub *lacrymosa* Troiae funera. *Plorandа: sit et* bellum lacrymosum Id. od. 1, 21, 13.

LACVNAR *ornamentum depressum*, s. *cauum, in contignationibus; interstitia trabium enim* (lacus l. lacunae) *picturis*, i. *tabulis ornata*, Hor. od. 2, 17, 2. Non ebur neque aureum Mea renidet in domo *lacunar.*

LAEDERE Hor. Art. 103. Si vis me flere, dolendum est; primum ipsi tibi tunc tua me infortunia *laedent*, i. *dolorem meum sic procreabunt, quasi ipse laesus essem; per* συμπαθειαν *plane tecum dolebo, me laedet, quod tibi est aduersum. Efficaciam habet hoc vnum verbum.* * collum pendulum ab orno *laedere, pro* se suspendere Hor. od. 3, 27, 60. Potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta *laedere collum. Sed ego cum Bentleio, Gesnero, Cuningamio, poscentibus etiam nonnullis libris ponendum puto ita:* Potes — Pendulum zona bene se sequuta il — Lidere collum. *Est etiam efficacius elidere vt bene vidit Gesnerus ad h. l.* * laedi *pro* offendi, grauiter ferre Hor. Epist. 2, 1, 221, quum *laedimur*, vnum si quis amicorum est ausus reprendere versum.

LAETARI Phaedr. 5, 7, 27. *Laetare* incolumis Roma. *Solemnis acclamatio vid. Lindenbrog. ad Amm. Marcell.* 19, 5.

LAEVVS: tempus *laeuum, de inopportuno.* Hor. Ser. 2, 4, 4. Peccatum fateor, quum te sic tempore laeuo Interpellarim. Phaedr. 3, 18, 12. *Laeua* cornici

nici data omina, *a sinistra enim sedens bona omnia dabat conix.*

LAMIA, *monstrum fuit, superius habens speciem mulieris, inferne vero desinens in pedes asininos* Hor. Art. 340. Neu pransae *Lamiae* viuum puerum extrahat aluo (*fabula*) *Respicit sine dubio ad eiusmodi sua aetate notam comoediam, qua in scena extrahebatur puerus viuus, quem paullo ante deuorauerat.*

LAMBERE *pulchre de flumine terras alluente, placide tangente* Hor. od. 3, 22, 8. Quae loca fabulosus Lambit Hydaspes. *Simili fere sensu, vt* leuiter tangere *sit, sed apprime, ad rem subiiciendam oculis.* Id. Serm. 1, 5, 74. flamma – summum properabat *lambere* tectum * *Bene hoc verbo vtitur crocodilus ad canem bibentem* Phaedr. 1, 25, 6 Quam libet, *lambe* otio i. *otiose, cum commodo tuo.*

LAMNA, *pro lamina* Hor. od. 2, 2, 2. Inimice *lamnae* Crispe Salusti; *Schol. antiq.* rudem et infabricatam materiam intelligit; *cui suadent etiam superiora*, argentum auaris; terris abditum, i. e. *terris quae non vltro offerunt, sed recondunt thesauros suos.*

LANGVESCERE, Bacchus languescit in Amphora Hor. od. 3, 16, 35. *Pulchre de veterascente vino: quasi senescit latens Bacchus, et languet.*

LANGVIDVS, vina languidiora; *venuste, de vetustis adeoque mollibus* Hor. od. 3, 21, 8. *vide* Languescere.

LANIFICA Phaedr. 4, 4, 5. Lanificam *vocat puellam frugi vid. vers. 13. quae lanificium adamabat, solitam pudicarum puellarum occupationem, atque honestam. Neobulae enim amanti, (vt olim Sappho, cuius odam eius argumenti poëta sine dubio imitatus est) qualum Cytherea, vt sit,* et operosae Mineruae studium Liparaei Hebri nitor adimerat. Hor. od. 3, 12, 5.

LAPIS, *comica vox increpantis, hominem tardum ac cessantem.* Ter. H. 4, 6, 3. * Hec. 2, 1, 17. *stupidum hominem brutumque significat.*

LAQVEATVS tecta laqueata, *ornata laquearibus, vide* Lacunar Hor. od. 2, 16, 12. curae, *laqueata* circum tecta volantes. *Qualis imago! Hagedornii felix imitatio est nota.*

LASCIVVS, verba lasciua Hor. Art. 106. i. mollia delicata, *qualia reperies* e. g od. 1, 13. etc. * aetas lasciua, *iunior, ideoque procax et petulans.* Hor. Ep. 2, 2, 216. Tempus abire tibi, ne potum largius aequo Rideat et pulset *lasciua* decentius aetas. *Pulsare est puerorum petulantium.* cf. Serm. 1, 3, 133. * Hor. od. 1, 19, 3. Lasciua licentia est *ab effectu*, otium, *quod me lasciuum reddit*

LASSVS, *aeger.* Ter. Hec. 2, 1, 41. coll 1, 2, 113.

LATERE: *non intelligi, non obseruari* Phaed. 5, 5, 31. *Latens* peruellit aurem porco, *obtegebat verum porcum, et simulabat tantum, quare aliis improuisis eum fricabat.*

LATRARE pellem, *per breuiloquentiam latrando discerpere.* Hor. Epist. 1, 2, 65. Venaticus ex quo Tempore ceruinam pellem *latrauit* in aula, Militat in siluis catulus. *Datur videlicet post ceruum captum ex intestinis eius, et sanguine, imixto pane cibus pelli insutus canibus venaticis, quo ferociores insectari feras discant.*

LATVS Hor. Serm. 2, 3, 183. *Latus* vt in circo spatiere i. *summotu incedas. vide* Summouere.

LAVARE Phaedr. 4, 12, 9. Postquam *lauare* coepit poenitentia i. *purgare se et peccatum. Melius est si iste versus ab hac fabula dissociatur, quacum coniunctus apud nonnullos legitur. Ita* Rittershusius, *et* Scheffe-rus *iudicant in notis: quid hic praecesserit non libet, nec fas est diuinare. Coniicio lacunam hanc inde esse, quod* spurcities καὶ το απορ-

ρητον

ἐντὸν *propositae rei pium aliquem monachum exscriptorem lectorem ue talem offenderit, qui proinde totam hanc pagellam omiserit vel exsciderit, e qua tamen velut cauda quaedam remanſit. Eodem ſenſu, pro purgare, expiare* Ter. Ph. 5, 8, 80. Venias nunc precibus *lautum* peccatum tuum.

LAVATIO Phaedr. 4, 4, 22. Lauatio argentea. *Ad luxum ſignificandum: Optimi quique intelligunt de ſupellectili omni balneari, quae ſunt ſtrigiles, gutti. Vid. Scheffervm ad h. l. Ac facile de tali apparatu hic intelligi poteſt, vti dicit* veſtem *pro* omni earum copia.

LECTVLVS, in ſole. Ter. Ad. 4, 2, 46. *Lectulos* in ſole ilignis pedibus facundos elidit. *Per beruiloquentiam, quibus vtatur coenans ſub dio vid.* in.

LECTVS imus *pro domino conuiuii, qui in conuiuio ſcilicet in ima parte lecti diſcumbit: in ſummo et medio conuiuae amici accumbere ſolent.* Hor. Epiſt. 1, 18, 10. Alter in obſequium plus aequo pronus et *imi* Deriſor *lecti*, ſic autem diuitis horret ſic iterat voces, et verba cadentia tollit, vt puerum ſaeuo credas dictata magiſtro Reddere. *Eleguns deſcriptio pingens deriſorem vid. Deriſor.*

LEGERE Phaedr. 2, 2, 7. Capillos homini *legere coepere* inuicem. * *colligere* Ter. Ph. 1, 2, 3. lectum eſt. *de pecunia, quatenus ſecundum diuerſum valorem colligitur, ac deinde numeratus.*

LEGITIMVS: ſonus *legitimus*, i. *numerus carminis bene cadens ſecundum regulas* Hor. Art. 274. *Sic* poëma *legitimum* Id. Ep. 2, 2, 109. *Iuxta carminis leges factum.*

LEMVRES nocturni, *laruae et ſpecies nocturnae mortuorum* Hor. Epiſt. 2, 2, 209. Nocturnos *lemures* portentaque Theſſala vides. *Vet. Schol.* Vmbrae vagantes hominum ante diem mortuorum

rum et ideo metuendae. Portenta Theſſala *ſunt magicae conuerſiones*; *qualis* e. g. Epod. 5, 45.

LENIS: lene conſilium, *elegantiſſime de Muſis* Hor. od. 3, 4, 41. Vos *lene* conſilium et datis et dato Gaudetis almae. *Nonne ſentis pulcritudinem?* * Ter. H. 3, 1, 50. *lene* vinum opponitur *aſpero* i. e. *acerbo*. * Hor. od. 1, 1, 22, *lene* caput aquae ſacrae; *ſanftſprudelnde Quelle heiliges Waſſers*. * *lene* Tormentum Id. od. 3, 21, 13. *vid.* Tormentum. * *mitis*, *clemens* Hor. Carm. Saecul. 121. *Lenis* Ilithyia. *Adde* od. 3, 18, 3, od. 1, 19, 16. Epiſt. 1, 18, 45. Serm. 2, 7, 93.

LENITER, *pedetentim*, *et ſenſim* Hor. Serm. 2, 5, 47. *Leniter* in ſpem Arrepe officioſus * *de Cerbero blandiente Baccho* Hor. od. 2, 19, 30. *leniter* atterens caudam. * Phaedr. 1, 25, 7. Accede pota *leniter i. tarde*, *commode*, *ſine feſtinatione*.

LENTVS, duellum *lentum* Hor. Epiſt. 2, 1, 7, Graecia Barbariae *lento* colliſa *duello*. Id. Epiſt. 2, 2, 98. Lento Samnites ad lumina prima *duello*: ſenſus. *Laudamus nos inuicem et ſtricto gladio critico decertamus de hac illaue venuſtate in noſtris carminibus, ſed pugnam lentam pugnantes vt gladiatores Samnites, et quidem ad lumina prima, i. vel vsque ad veſperam l. vsque ad primam lucem. Sed vtrumque hoc non aeque placet ac* Lipſii *interpretatio, quae accipit* lumina prima *pro* coenae tempore; *vt iſtos laudantes gladiatores criticos in triclinio videas, inter epulandum pugnantes. Suauis ſcena! Moris erat* coenam *epularem inſtituere* ſub lumina prima, cf. Serm. 2, 7, 33. Iuſſerit Maecenas ſerum (te) ſub lumina prima venire Conuiuam. *vid ad priorem locum* Turneb. libr. 25. c. 19. * brachia *lenta* Hor. Epod. 15, 6. *Lentis* adhaerens brachiis i *mollibus, tenacibus; melius poteſt ſenturi vis h. l. verbi*

verbi quam explicari. Adde lentissima brachia *apud Eundem Serm.* 1, 9, 64. * *lenta* pituita Id. Serm. 2, 2, 76. * *lentum* flagellum Phaedr. 3, 6, 6, i. *flexibile*, vid. Heins. ad Ouid. Heroid. 15, 169. *et* Muret. var. lection. libr. 3. c. 18.

LEPIDVS *qui gaudet rebus laetis atque iucundis.* Phaedr. 5, 7, 13. * *ironice* Ter. E. 4, 3, 10. abi hinc, quo dignus es cum donis tuis tam *lepidis.* cf. E. 4, 4, 2. et vid. conciliatus.

LEVIS: pauper *leuis, leuis fidei apud creditores* Hor. 423. * leuiora tolli Pergama. Hor. od. 2, 4, 12. i. *faciliora captu et expugnatu, ad graec. Homeric.* ῥηιτεροι — ἐσεσθε κεινȣ τεθνειωτος ἐναιρεμεν. * non leuis *Euiis* i. *valde grauis, crudelis* Hor. od. 1, 18, 9. * Hor. od. 1, 25, 10. Flebis in solo *leuis* angi portu. *tenuiter amicta, paene nuda, pauper, vt inedia et frigore pene moriaris*, Reiske. * epitheton Phoebi; imberbem *explicat. Vet. Schol. ad* Hor. od. 4, 6, 28. * *hircus, in conditionibus, quae accidere nunquam possint, dum fit deuotio. Hor. Epod.* 16, 34. Amet falsa leuis hircus aequora, vid Salsus * Ter. H. prol. 45. *pro quo alii*, e. c. Bentleius ex *cod.* Bembino, *melius fortasse legunt lenis, dicitur de comoedia et significat statariam, de qua vid. statarius* * scriptura *leuis* Ter. Ph. pr. 5. *est tenue orationis genus.* cf. Nepos. praef. 1.

LIBER *pro liberalis* Ter. A. 2, 1, 30.

LIBERALIS Ter. Ad. 2, 1, 40. liberalis *caussa est vis de libertate, quo non licebat hominem liberum in seruitutem vendere.* * *de seruo* Ter. A. 1, 1, 11. coll. Ad. 5, 5, 5. *et* 20. *Seruum haud illiberalem* praebes te.

LIBIDO *studium, quo quis ducitur.* Ter. H. 2, 1, 4. Hor. Epist. 1, 1, 85, cui si vitiosa *libido* fecerit auspicium. *Eleganter* vitiosa *dicitur, cum sequatur* fecerit auspicium, *est enim* vitiosum *quod aut* inauspicato *fit, aut malis*

malis auſpiciis. Explicat h. l. pluribus allatis de auſpiciis Turneb. Aduerſ. libr. 26. c. 26.

LIBITINA Phaedr. 4, 19, 26. *de auaro:* qui circumcidis omnem impenſam funeris, *Libitina* ne quid de tuo faciat lucrum. *Erant ſcil. in templo Libitinae venalia, quae ad ſepulturam pertinebant; quo reſpexiſſe Phaedrum recte monuit* Kirchmannus de Funer. Rom. 1, 9. * *locus in vrbe, quo conſtituuntur, qui afferenda corpora conducunt et praebent funeribus neceſſaria. auctore Vet. Schol.* Hor. od. 3, 30, 7. Multa pars mei Vitabit *Libitinam; ſed h. l. poteſt etiam intelligi dea funerum, ſ. Proſerpina, cuius ſe effugere praedicit quadam ex parte regnum. Sic et intellig.* Serm. 2, 6, 19.

LIBRA et aere mercari; *verbum iuris, cum per libram expenſa pecunia, per aes ipſum pretium demonſtretur, vnde et libripens huiusmodi teſtificationi adhiberi ſolet.* Vet. Schol. ad Hor. 2, 2. 158 Si proprium eſt quod *libra* mercatus et *aere* eſt.

LICENTIA Phaedr. 3, 7, 25 age, ſi quo abire eſt animus, eſt *licentia.*

LICERE *pro valere* Hor. Serm. 1, 6, 14 Laeuinum – vnius aſſis Non vnquam pretio pluris *licuiſſe; propter ignobilem mentem et proiectos in omnem turpitudinem mores adeo vilis.*

LIGVRIRE Ter. E. 5, 4, 14. Quae cum amatore ſuo cum coenant *liguriunt. Hunc verſum* Bentleius *non iniquis multisque rationibus adductus ſpurium eſſe exiſtimat; cui equidem quin aſſentiar, non poſſum; cf. tu ipſe contexta.*

LIMARE Hor. Epiſt. 1, 14, 37. Non iſtic obliquo oculo mea commoda quisquam *Limat* i. *detrahit, atterit; ex communi opinione aſpectum inuidum atque infeſtum alteri nocere et quaſi faſcinare.* * Phaedr. 3, 10, 49. Quod ſi cunctando (*ita forte cum* Bentleio

legi-

legitur rectius, quam damnanda, *quod Phaedro hic indignum.*) perscrutatus crimina paterfamilias esset, Si mendacium subtiliter *limasset h. l. subtilius examinasset quae verbi significatio vel in ipsis Ciceron.* libr. de Offic. 2, 35. *obuia.* veritas *limatur* in disputatione.

LIMVS *pro* faece Hor. Serm. 2, 4, 56. Columbino *limum* bene collegit ab ouo; quatenus ima petit voluens aliena vitellus. *Sed errate doctum Catium Lambinus et Sanadon iam ostenderunt docentes, in vinum turbidum mercatores solere immittere non vitellum sed albumen oui, quo fiat, vt sincerum reddatur et faex in imo consideat. Baxterus tamen sic defendit Catium, vt pro toto ouo positum existimet vitellum; quod audirem, nisi* Catius, *adeo diligens rei culinariae obseruator h. l. etiam, vt per totam hanc amoenam scenam, debuisset, e persona sua quam sustentat, accuratiori verbo vti. Existimo itaque* vatem *optimum finxisse de industria coquum istum falsa proferentem h. l. et commutantem cum albumine vitellum, quo iocosa magis fieret persona, risum moueret, atque imitaretur eos presse, qui artem quandam professi, magna cum iactantia, soleant interdum non curuum discernere ab recto.*

LIMVS *adiect.* Hor. Serm. 2, 5, 53. *limis* rapias quid prima secundo Cera velit versu. *viuida et festiua imago legentis raptim obliquis oculis, praesertim h. l. cf. contexta. et vid.* voc. Cera. *sic et* Ter. E. 3, 5, 53. Ego *limis* specto, *scil. oculis. eadem occurrit ellipsis apud* Plaut. Bacchid. 5, 2, 12.

LINEA *sulcus solo impressus calce l. creta, ad quem in stadio decurri solebant: hinc explico* Hor. Epist. 1, 16, 79. Mors vltima *linea* rerum est, *finis, meta; vltima pars lineae decursae.* * Ter. E. 4, 2, 12. Certe extre-

extrema *linea* amare, haud nihil est. *Quae Donatus ad h. l. de quinque lineis amoris narrat, recte sunt a Guyeto explosa, quoniam tota res ad nugas grammaticas redit. Nec referri huc potest, nisi summam vim poëtae facimus, Horatii locus, ubi de osculis loquitur, quae Venus quinta parte sui nectaris imbuit.* Carm. libr. 1. od. 13, 16. *Tanaq. Faber a pictura* Φασιν *hanc desumtam esse dicit, quod extrema lineamenta conficiantur statim in inchoanda quadam imagine. Verum ab eo recedere nullus dubito, quum eius filia iam senserit,* „que cette explication est *dure* et gêne l'esprit„ *Aliam interpretationem in medium protulit laudatae doctissimae feminae maritus*, Dacierius, *qui collato Luciani loco quodam ad scalam Terentii verba refert, cuius primus gradus sit visio: Haec autem opinio non est alia, nisi Donati sentia, Luciani verbis prolata. Salmasius ab extrema stadii linea metaphoram ducit, sive carceribus, quod audirem, nisi magis a spectando, quam a currendo similitudinem Terentius videretur duxisse. Et si locum huic explicationi demus, hoc tamen tam certum est quam quod certissimum, cum nostro loco nequaquam posse comparari sive* Horat. epist. 1, 16, 79. *sive* Euripides: *Namque, ut in illo loco, si dicitur mors vltima linea rerum, aperte innuitur calx aut meta, ad quam cursus finiebatur: Sic in altero* ἐπ' ἀκραν ἥκομεν γραμμὴν κακων ab eadem deriuatur comparatione. Neque Gesneri placet interpretatio, qui ad *talorum ludum respicere Terentium existimat. Omnium, ni fallor, optima est sententia* Westerhouii, *qui a Circo petitam esse hanc locutionem arbitratur. Lineae enim dicebantur sedilium ordines: extrema igitur linea erat suprema, in qua qui sedebant,*

debant, e longinquo ſpectabant, cum e contrario, qui in primo ordine ſubſelliorum habebant ſedem, (veluti ſenatores) omnia proxime intuerentur. Iam ipſum Terentii lege locum, et vide, an noſtrum fuerit, tantas interpretum componere lites.

LINTEVM peluſium Phaed. 2, 5, 12. *eſt Aegyptiacum, ex oppido Peluſio, quod molliſſimum erat et pretioſum.* Plin. 19. c. 1. Aegyptio lino minimum firmitatis, plurimum lucri. Quatuor ibi genera; Tanaiticum, ac *Peluſiacum*, Buticum, Tentyriticum. *Graeci* σινδονας *eiusmodi lintea appellant, erantque cirrata, vnde* διφοσσα *vocabantur. vide diſſerentem de his copioſe* Salmaſ. ad Iul. Capitol. Pertinac. c. 8.

LIPPVS Hor. Serm. 1, 7, 3. opinor omnibus et *lippis* notum et tonſoribus eſſe. *Prouerbialis locutio: tonſores eſſe loquaces, et fabulas circumferre ſolere, facilis eſt cognitu: de lippis haec* Vet. Schol. *cuius explicationem omnibus aliis hic omiſſis praefero.* „*Lippi, vitio oculorum „a negotiis alieni, domi, „in vicis praeſertim, in „tabernis medicantium, „in officinis medicorum, „oculos inungendos cu„rantes, de publicis ru„moribus ſemper inqui„runt, ſcilicet confluen„tes ad has medicorum „domos, ibi, vt ſit, „dum mora trahitur et „audiunt fabulas, et „narrant.*„

LIQVARE, vina. Hor. od. 1, 11, 6. *vina promere, fundere, et indulgenter potare, referendum autem ad veterem morem, quo ſacculis et colis vinariis vina percolabant et liquabant, vt eſſent liquidiora, minusque nocentia, fractis veluti viribus. Ita et Turnebus h. l. explicat.*

LIQVESCERE, *pro incendi* Hor. Serm. 1, 5, 99. dehinc Gnatia *(Egnatia, oppidum Salentinum)* lymphis Iratis exſtructa *(in pede montis ſita, vnde torrentes ſaepius delapſi vrbis partem ma-*

gnam

gnam diruunt) dedit risusque locosque Dum flamma sine, tura *liquescere* limine sacro Persuadere cupit. *h. e. ignem diuinum solis precibus elici.*

LIQVIDO Ter. A. 4, 3, 14. *scil. iurare, salua conscientia. addit enim* v. 15. Mysis - Noua nunc religio vnde te isthaec incessit? cedo!

LIQVIDVS Hor. od. 3, 4, 24. seu *liquidae* placuere Baiae. *Vet. Schol.* aut quia in aquis constituta aut delicioſa est, et aëris puri. *Ego sic appellatas credam propter aquas calidas.* * liquida vox, i. *canora* Hor. od. 1, 24, 3, *et* vid. Macrob. Saturn. libr. 6. c. 3. * *de vnguentis; suauissime!* Id. od. 1, 5, 2. *liquidis* perfusus odoribus.

LITTVS, Assyrium, *de arenosis campis Assyriae* Hor. od. 3, 4, 32, tentabo arentes arenas *littoris* Assyrii viator i. marginis, *orae, confinii, sed et alia est ratio, cur* littus *vocet, quippe arenae illae ingenti planitie vndique porrectae, potius litoris vel aequoris speciem ostentant, vt de Bactrianis arenis Curtius* 6. 18.

LOCARE Phaedr. 1, 16, 1. Fraudator nomen quum *locat* sponsu improbo. *vid.* Fraudator.

LOCVLI Hor. Serm. 1, 6, 74. Laeuo suspensi *loculos* tabulamque lacerto. *(vid.* Suspensus*) Gesnerus hic loculos interpretatur tabulam loculatam, lineis distinctam, ad vsum ducendorum calculorum, vt calculi in primo loco positi monadas, in secundo denarios, centenarios in tertio significent* etc. *secutus forte Vet. Schol. Crucquii; qui ita loculos, scilicet calculorum, suspensos a laeuo lacerto, et tabulam intelligit, in qua et characteres arithmeticos notarent, et calculos pueri, in ludo, magistro Flauio calculatore:* vid. Alex. ab Alexandro Gen. Dier. libr. 2. c. 24. *sed ego ita loculos vsquam occurrere non memini, nec ipse Gesnerus docuit, quare ego loculos simpliciter*

eos intelligere malim, in quibus pecunia collocatur, hos habent suspensos a laeuo lacerto: et tabulam. Idem versus repetitur Epist. 1, 1, 56. *vbi loculos non aliter accipi posse totus locus suadet; et tabulam in posteriori illo loco de tabulis, vbi nomina debitorum erant.* Cuningamius in Epist. I. versum cit. insititium *putat; mihi certe dubius manet, perlecta etiam Gesneri annotatione, quae gratiam addere rei monstrare conatur, quoniam senes satirice inducerentur puerili illa computandi et numerandi exercitatione occupatos; quam gratiam vereor vt Horatius ipse quaesierit eo loco. Accedo itaque potius, vt ne quid videar differiri, ad Cuningamii sententiam, cum* in Sat. 1, 6, 74, *sequens versus* 75. *nostram interpretationem iuuet; sed cf. voc.* Idus.

LOGI (λογοι) fabulae Ter. Phor. 3, 2, 8. coll. v. 7.

LOLIGO, *genus piscis, succum habens nigrum et atramento similem* Hor. Serm. 1, 4, 100. Hic nigrae succus *loliginis* haec est Aerugo mera. Ex loliginis succo liuorem mentis vult intelligi, et ex aerugine malitiam. *Vet. Schol.*

LONGVLE Ter. H. 2, 2, 10. Non cogitas, hinc longule esse? *Eleganter hoc diminutiuum auget potius quam diminuit significationem. Denkst du nicht dran, dass es ziemlich vveit ist?*

LONGVS, *spe longus.* Hor. Art. 172. *characterem Senis pingens;* Dilator, spe longus, iners, auidusque futuri. Bentleius *emendauit* spe lentus; et Siren eius me pane abstulit, *vt veram eius emendationem putem; respicit tum* lentus spe Aristotelis δυσελπιδα, *quem senem esse dicit; senex non facile sperat, mala semper metuens. At Baxterus, et Gesnerus retinent vulgatam lectionem, verba;* spe longus; *explicantes: qui semper sperat longinqua, semper, se vel annum viuere posse, credens.*

Ego

Ego libenter antiquarem cum Gesnero, nisi phrasis ipsa spe longus suspecta esset, et si eam alibi in aliis auctoribus inuenissem aut ego, aut alii. vid. etiam Auidus.

LOQVAX. *lymphae loquaces, ob dulcem illarum stridorem* Hor. od. 3, 13, 15. Vnde *loquaces Lymphae* desiliunt tuae. *In Vett. Edd. nonnullis est* nymphae *pro* lymphae, *quam lectionem etiam comprobat Gesnerus, qui carmen inde putat exhilarari, et animari; sed mihi magis, ad fontis laudem pertinentes,* lymphae *arrident. Sustentat me etiam Klozius, quem* vid. Vindic. p. 209.

LOQVI aliquem, *loquendo imitari* Hor. Serm. 1, 3, 13. modo *reges* atque tetrarchas, omnia magna, *loquens.*

LVBRICVS, vultus lubricos aspici. i. *qui aspectu inuitat ad amorem; mire dictum!* Hor. od. 1, 19, 8.

LVCIDVM *pro lucide, adverbialiter* Hor. od. 2, 11, 14. Me voluit (*Musa*) dicere *lucidum* fulgentes oculos.

LVDERE, *de certaminibus in campo Martio* Hor. Art. 379. * Ter. Ad. 3, 3, 23. *de piscibus, cum in aqua se motitant* cf. Virg. Aen. 5, 594. * *operam* Ter. Ph. 2, 2, 18. *i. e. perdere.*

LVDIBRIVM Ter. Hec. 1, 2, 74. ludibrio habere virginem, *honeste dicitur, pro* vitiare.

LVDIFICARI Ter. E. 4, 3, 3. *leniter dictum pro vitiare. vid.* ludibrium. * *vexare,* Ter. E. 4, 4, 49.

LVDVS *de poësi Scenis agitata, Tragoedia, etc.* Hor. Art. 405. *ludusque* repertus est longorum operum finis. *h. e. quae tragoediae finito longo opere rustico agerentur; celebrati hi ludi Mense Septembri.* * *de bello, poëta alloquente Martem* Hor. od. 1, 2, 37. Heu nimis longo satiate *ludo. Apud Romanos etiam gladiatorii ludi et alii in campo Martio sic appelati; vnde eo magis ho Romanum.*

LVPATVS fraena *lupata* Hor. od. 1, 8, 6. *aspera, sive a lupinis dentibus, quia inaequales sunt, sive a lupo instrumento ferreo, vnco et tortuoso instar dentium lupinorum. Praeplacet posterius.*

LVPINVS I. lupinum, *genus leguminis.* Hor. Epist. 1, 7, 23. Nec tamen ignorat, quid distent aera *lupinis. Solebant comici in scena lupinis s. ex lupino factis nummis vti.* vid. Plaut. Poenul. 3, 2, 20. *itemque aleatores pro calculis, et infantes ex lupinis nummos imitari; hinc sensus comicus et satis facetus h. l.*

LVPVS, *lupi* Martiales. *vid.* Martialis.

LVSTRVM, *de tabernis vinariis et ganeis,* Hor. Serm. 1, 6, 68. neque sordes nec mala *lustra.* Obiiciet vere quis quam mihi. *Epithet. mala notionem collustrat. Sic certe Interpretes: at ego malim de nota censoria intelligere;* malum lustrum *pro* censoris nota: *et Horatio est magis dignum et hoc loco.*

LVXVRIA Phaedr. 4, 4, 44. quacunque summa tradet *luxuriae* domum i. e. *quae ad luxum et magnificentiam instructa; sic Cic.* luxuriae castra *dixit* Verr. 5, 37.

LVXVRIES *de ornatu, et elegantia cantui adhibita.* Hor. Art. 214. — *luxuriem* addidit arti Tibicen.

LYMPHATVS, *mens lymphata, de eo, qui a furore quodam actus fuerit praeceps.* graec. νυμφόληπτος, *quasi demens redditus a nymphis. vide* Lambinum ad Hor. od. 1, 37, 16. Mentemque *lymphatam* Mareotico Redegit in veros timores Caesar i. *furentem redditam a vino Aegyptiaco, Mareotis enim palus iuxta quam optimum vinum. Summa ars, quae totam hanc oden exornat et in h. l. conspicitur, cum vino ebriam dicat vates Cleopatram, praecipitem furore in Romanos.*

M. MA-

M.

MACHINA, *instrumentum, quo nauis sub hiemem in littora subducitur, et vere aduentante in mare deducitur, seu retrahitur, phalanga, quae Nonio auctore est teres lignum et rotundum, quo suppositio moles quaecunque voluitur.* Pollux l. 7. τα τῶν νεῶν ξύλα, οἷς | ὑποβληθεισιν ἑφελκονται αἱ νηες, Φαλαγγες Hor. od. 1, 4, 2. Trahunt siccas *machinae* carinas. *Sanadon hanc imaginem reprehendit, vt non satis ad reliquas pulcras aptam: sed quis, quaeso, Gallo assentietur, si legerit sequentes versus? Variae species, vt mos est poëtarum viuidae phantasiae, se menti vatis offerunt: primum videt mare nauibus patentem, pulchre describit itaque sedulitatem, quam ibi creauerat ver naues mouens; statim dehinc defertur ad stabula, vnde pecora exiliunt; post conspicit* aratorem, *qui adhuc latuerat penes ignem foci, agilem; iam prata intuetur viridi ornata gramine etc. ceterum omissa ista signif. in* Thes. Gesneri, *licet ex Vitruuio generalior notio notata, qua* machina est, quidquid ad mouendum aliud excogitatum est. v. g ad onera molienda Hor. Epist. 2, 2, 73. Torquet nunc lapidem, nunc ingens *machina* lignum. *Quis porro probabit emendationem* Batani Waddelii *in Animad. critic.* p. 41. *legentis,* torquentque *pro* trahuntque, *quia non vllus alius ex breuioribus versibus huius odae incipiat a Iambo; quasi non in aliis carminibus occurreret.*

MADERE Hor. od. 3, 21, 11. Socraticis *madet* sermonibus, *elegantissima metaphora de eo, qui eiusmodi praecepta philosophica crepitat, quasi ebrius: de frequenti illius vocis sensu nostro vide* Klotzii vindic. p. 216.

MAGIS, *ad graec.* μᾶλλον, *maiorem in modum, vehementer* Hor. od. 1, 25, 11. Threicio bac-

bacchante *magis* sub interlunia vento. *vid.* Interlunium.

MAGISTRA Hor. Serm. 2, 2, 123. Post hoc ludus erat culpa potare *magistra*. *vid* Culpa.

MAGNIFICARE Ter. Hec. 2, 2, 18. Quem ego intellexi illam haud minus quam se ipsum *magnificare*. *Sed irrepsit haec vox in libros quosdam, vbi alii recte habent* magnisacere. *Merito igitur* Bentleius *respuit illud, retinet* TO magnisacere; *multis etiam adductos rationibus, quibus, si quid video, nos hic facile carere possumus.*

MAGNIFICENTIA, *iactantia, grandiloquentia* Ter. Ph. 5, 8, 37.

MAGNVS, magna lingua *pro magniloquentia, iactantia* Hor. od. 4, 6, 2. Diuae, quem proles Niobaea *magnae* vindicem *linguae* — sensit. *Dicimur* sentire *eos, a quibus cladem aut damnum accipimus.* vid. Auct. laudatos *a Klozio vindic. p.* 241. * magna loqui Hor. Serm. 1, 3, 13. omnia magna loquens, *extollens, iactans.* * * magna vox *pro* alta Hor. Serm. 1, 7, 31. et Serm. 1, 9, 75. * os magna sonaturum Hor. Serm. 1, 4, 43. *est oratio poëtica, color, audacia elocutionis, sensuum acrior concitatio* cf verſ. 46.

MAIOR Hor. od. 3, 20, 8. Grande certamen tibi praeda *Maior* an illi: *de puero, a puella et viro amato, de cuius amore decertant.* Maior *refer. ad verba* illi *et* tibi; *vtrum gratior tibi an illi puellae praeda fiet.* * *maior* insane *pro* magis Hor. Serm. 2, 3, 326.

MALE Ter. E 4, 4, 2. proli *malo* conciliate. *Vide* Conciliatus. * male *pro* valde Hor. Serm. 1, 3, 45. *male* paruus Si cui filius est; *quanquam et hic simul bene deformitatem exprimit.* * *pro* non. Id. Serm. 2, 3, 137. *male* rutae mentis Orestes: *Adde Eund.* Serm. 2, 5, 45. validus *male* filius. * *Apud Eund.* Serm. 2, 5, 107. *male* tussire *eleganter notat suspicionem*

nem mortiferae tussis. * *male* salsus, *est alieno tempore* Hor. Serm. 2, 5, 65.

MALITIA, *iniuria* Ter. A. 4, 4, 49. Ius summum saepe summa est *malitia* cf. Cic. Offic. libr. 1. c. 10.

MALOBATHRVM. *arbor Syriae, vnde exprimitur oleum ad vnguenta.* vid. Plin. 13, 26. Hor. od. 2, 6, 8. Coronatus nitentes *Malobathro* Syrio capillos. *Iungenda non* coronatus, *sed* nitentes *et* Malobathro. *Ex malobathinis foliis vero olenum componebant ad tingendos vel aspergendos capillos.*

MALVS, artis suae imperitus. Phaedr. 1, 14. 1. Malus sutor; *et sic saepissime apud Terentium et Horatium.* * *de animi inquinamentis* Phaedr. 3, 8, 15. Tu formam ne corrumpas nequitiae *malis.* * *malum* Ter. A. 4, 1, 16. Ingeram *mala* multa, i. e. *multis maledictis* ac *probris illum tractabo.* Sic 2, 5, 20. vt mihi pro hoc *malo* (*sc. nuncio*) det *malum* (h. e. *mecum expostulet*) cf. etiam Plaut. Bacch. 4, 8, 34. et Pseudol. 1, 3, 125. coll. 123. * sine *malo.* Ter. E. 4, 4, 46. *est impune.* Malum *enim poenam seruilem denotat. Sic apud* Plaut. Truc. 4, 3, 5. sine *malo* fateamini.

MANCIPARE Hor. Epist. 2, 2, 159. Quaedam si credis consultis *(intell. Iuris) mancipat* vsus. *Intelligit Baxterus de vsu fructuum: sed ego non video, quare non h. l. cum aliis interpretibus vsucapionem e iure Romano notam intelligam, vox mancipare enim suadet et vers. praeced. Quaedam eximuntur, h. e. quaedam per vsucapionis iura propria possidentur.*

MANDATVM Hor. Art. 104. male si *mandata* loqueris, *vvenn du deine Rolle schlecht spielst, parum te personae tuae conuenientem proferes, vel declamando, vel etiam scribendo. Sic in hac eadem re* mandare Hor. Art. 176. 177.

MANDERE *pati, ferre* Ter. H. 1, 2, 26. *mansum* tamen oportuit. Er hätte es verbeissen sollen. *Statim enim sequuntur haec verba:* Pateretur! Nam quem ferret, si parentem non ferret suum!

MANERE *superesse* Phaed. 4, 4, 39. O si *maneret* condito sensus patri! *Frequens formula veterum, dum de mortuis loquebantur, quorum manes, an res humanas nescirent, dubitabant.* * aulaea *manere* i. *donec* tolluntur, *quod finita tragoedia fit; dum agitur in scena, in pulpitis delitescit. Bentlei. reponit* fautoris *pro* plausoris, *sed neque bonis libris sustentatus, neque causae necessitate.*

MANVS: Hunc mihi in *manum* dat Ter. A. 1, 5, 63. *serio commendat.* * prae manu dare Ter. Ad. 5, 9, 23. *commodare, mutuam dare pecuniam.*

MARITVS *adiectiuum, lex marita pro maritali* Horat. carm. saecul. 20. Prosperes decreta super iugandis foeminis, prolisque nouae feraci Lege *marita. Est vero lex* marita *illa* Iulia, *de maritandis ordinibus, post bellum ciuile, augendae proli, ne deficeret populus, instituta* vid. Sueton. August. 34.

MARSYA, *statua in rostris, ad quam solebant homines illi conuenire, qui inter se lites et negotia componebant.* Hor. Serm. 1, 6, 120. Obeundus Marsya.

MARTIALIS: lupi *Martiales* Hor. od. 1, 17, 9. Od. 1, 17, 9. *quia sunt in tutela Martis.*

MARTIVS, gramen *Martium* Hor. od. 3, 7, 26. Non alius flectere equum sciens Aeque conspicitur gramine *Martio; de nobili victore in campo Martio Enipeo.* Sic, et od. 4, 1, 37. Iam volucrem sequor te per gramina *Martii* campi. * Martiae *calendae*, Matronarum *dies festus, vbi mariti pro conseruatione coniugii supplicabant.* Hinc Hor. od. 3, 8, 1. *Martiis* coelebs quid agam *calendis*, Quid velint flores, et acerra

serra turis Plena, miraris cet.

MAS, mares animi, *pulchre!* Hor. Art. 402. Tyrtaeusque *mares animos* in Martia bella versibus exacuit. *Illud ipsum* exacuit *vim habet eximiam.*

MATERIA Phaedr. 1. prol. 1. *vocat materiam* quam Aesopus repperit, *fabulas ipsas, quas ab Aesopo profectas, vt credebatur, elegantiori cultu exornauerat; atque haec quidem praestitit in priori libro: insequentibus vero liberiorem se gessit, et Aesopi artem sequutus, de suo quaedam addidit, Aesopi stilo vtens. Phaedr.* 3. prol. 29. *quare etiam tunc* Aesopias *tantum fabulas dixit, non* Aesopi *vt antea.* vid. prol.

MAZONOMVM, *genus lancis praegrande, quo circumferebantur, de quibus quisque pro lubitu sumeret* Hor. Serm. 2, 8, 86. Deinde secuti *Mazonomo* pueri magno discerpta ferentes Memora gruis. *Delicias fuisse istos cibos, et qui etiam seqq. vers. commemorantur, ostendit pluribus locis allatis* Turneb. Aduers. libr. 13. c. 17. et libr. 29. c. 34.

MECVM *apud me* Phaedr. 2, 5, 25: Multo maioris alapae *mecum* veneunt. Et 4, 21, 14: *Mecum* sunt mea cuncta.

MEDIASTINVS, *seruus ad omnia viliora officia comparatus. Torrentius* ad Hor. Epist. 1, 14, 14. Tu *mediastinus* tacita prece rara petebas. A medio et stare. *Nonnulli seruum balneatoris intelligunt, quibus fauet vers. sq.*

MEDICATVS, *passiue* Hor. od. 3, 5, 28. Neque amissos colores Lana refert medicata fuco. *vid.* Fucus.

MEDITOR *pulchre de vere, in eius descriptione* Hor. od. 3, 22, 7. Verris obliquum *meditantis* ictum Sanguine (te) donem. * *cum solemnis sit vox de poëtis dum pangunt versus, vt v. c.* Hor. Epist. 2, 2, 71, 26. cet. *bene* Id. od. 3, 25, 5. *Meditans* aeternum decus. *dum canere vult immor-*

immortalitatem Augusti.

MEDIVS, de medio sumtâ. i. *vulgaria* Hor. Art. 243. Tantum *de medio sumtis* accedit honoris. *Vulgaria nobilitatem quamdam nanciscuntur.* sic et Epist. 2, 1, 168. *de comoedia*, ex medio res arcessit. *Vet. Schol.* de communi, quia comoedia communia sectatur; materiam humilem.

MELIOR *ad graec.* ἀμείνων κρείσσων *fortior, valentior.* Hor. od. 1, 15, 28 Tydides, *melior* patre. *Adumbratur locus ex Iliad.* δ 405. *vbi loquitur Sthenelus* ἡμεῖς τοι πατέρων μεν ἀμείνονες ἐυχόμεθ' εἶναι. *Adde Eund.* od. 3, 6, 16. missilibus *melior* sagittis. od. 1, 33, 13. Ipsum me *melior* competeret Venus *i. honestior puella et ditior.* * *prudentior* Hor. Epist. 1, 1, 48. *Meliori* credere non vis. * Id. Epist. 1, 14, 5. *Melior* sit Horatius an res. *Purgatior, dicit Baxterus, et tum sensus esset; meliorne ac cultior sua ipsius opera et studio, quam fundus eius, et possessio tua. Sed profecto hoc est, si quidquam vnquam, contortum et coactum: lego ego itaque* rus *pro* res, *vt coniecit iam Heinsius, probauitque* Cuningamius. *Sensus facilis, et contextus* (cf. vers. praeced.) *satis confirmabit hanc lectionem. Miror, plane nihil hic a Gesnero esse dictum.*

MEMOR *transitiue l. actiue qui memoriam seruat,* Hor. od. 1, 13, 12. puer furens Impressit *memorem* dente labris notam. *elegantissima imago feruide amantis, qui labella osculans tam acriter mordet, vt morsiuncula um notae impressae maneant, vt apud* Catullum: Quem basiabis? cui labella mordebis? *Eodem plane sensu, quanquam ab interpretibus non id notatum, accipiendum est* Hor. od. 3, 14, 8. I, pete vnguentum puer et coronas, Et cadum Marsi *memorem* duelli; i. *qui memoriam facit Marsici belli, quo tempore diffusum nempe*

pe est. *Inscripta erat, vt notum, anni, quo infusum esset vinum, nota cado, aut amphorae, plerumque consulis nomen, hinc ille cadus memoriam faciebat Marsici belli: erat hoc vinum itaque LXX annorum. Sic et* od. 3, 11, 4, memores fasti. Adde od. 4, 14, 4.

MEMORABILE Ter. A. 4, 1, 1. *est id, cuius iam aliud exemplum recordari possumus, quod non est inauditum.*

MENS, mens prouida Reguli Hor. od. 3, 5, 13. *aut est consilium prudens, aut περίφασις Reguli, valde frequens Graecis,* (*vide* Lambin. ad h. loc.) *et ipsi Horatio* vt Serm. 1, 7, pr. Praescripti Regis Rupilii pus atque venenum od. 3, 21, 12. priscae Catonis virtus cet. *Obiter noto, quod iam Gesnerus ad hanc oden demonstrauit, et Klozius Vindic.* Hor. p. 198. *omnem illam de supplicio Reguli narrationem esse fabulam ad inuidiam contra Carthaginienses excitandam fictam; hoc autem carmine Horatius perquam facete ea fabula vtitur ad assuefaciendos milites Romanos molles, iam otio fractos, ad seueriorem militarem disciplinam, quam Augustus tum instituebat; aliam huius odae explicationem accipere non possim. Allegoriae talis sagacissimum et feliciſſimum saepius poëtam cognoscet quiuis Horatium, qui eum attenta mente legerit.* * Hor. od. 3, 25, 3, *mente* noua velox! de *furente amabiliter poëta, fluchtig in neuem Geist* * * mens solida, *longe feliciſſima metaphora de viro iusto, intrepido, nulla re fracto, quasi aedificium fundamento immutabili nisum.* Hor. od. 3, 3, 4. Iustum et tenacem propositi virum — Non vultus instantis tyranni *Mente* quatit solida. *Pulchre!* quatit.

MERCES Phaedr. 4, 1, 8. Hoc ne loquutus sine *mercede* exiſtimer, fabellam adiiciam. *Probant viri docti Rittershusius, Rigal.*

Rigaltius, aliique ad hunc locum, quam facile antiquarum rerum ſtudium decipere poſſit homines, vt nodum in ſcirpo quaerant; quicquid enim de aurea fabella atque parando aſſe dicunt, ſine MERCEDE *dicunt, hoc eſt* fruſtra. * Ter. H. 1, 1, 92. Inſcripſi aedes *mercede*; *eſt pecunia, quae a locatore pro locatis aedibus ſiue cubiculis exigitur atque conductori penditur. Sic* Petron c. 95. p. 455. ed. Burm. „ne *mercedem* cellae daretis fugere — voluiſtis„ Graece dicitur ενοικιον ſeu ξενανομιον.

MERERE Ter. Ph. 2, 1, 75. Egone illam cum illo vt patiar nuptam vnum diem? Nil ſuaue *meritum* eſt. *Sole meridiano clarius eſſe videtur, Donati explitationem prae ea, quam Dacieria, Gronou. Weſterhou. tenent, vnice eſſe veram. Idem nempe valet haec locutio, quod illa ſatis nota: Nihil mercam, vt hoc faciam; Perſarum diuitias non mercam vt hoc faciam; et quae ſunt eius generis aliae apud Plautum frequentes. Hanc tamen interpretationem dici non poteſt quam ſuperba fronte Bentleius derideat. Atque quum alii eſſent qui*, meritus eſſet, *legerent, ipſe non ratione ſed lubidine adductus legendum eſſe pronuntiat*, merita eſt. *Facit ſane, opera ſua ex impedito ſenſu abſurdum vt efficiat. Nam quae demum in hac re Phanii culpa erat? Aut quae eſt ratio, cur primam illam lectionem deſeramus, hanc nouam amplectamur?* Si Bentleium *quaeris, nihil affert, ſuae tamen confidit* „Felicem ſane cerebri!„ *Meretur enim vt ſuo gladio eum iugulemus.*

MERETRICIVS Ter. A. 5, 4, 10. meretricios amores nuptiis conglutinas. * domus meretricia Ter. Eun. 2, 3, 91. *per euphemiſmum dicitur, quae alias nominatur lupanar.* * ars meretricia Ter. H. 1, 2, 14. *Eſt vniuerſa merc-*

meretricum indoles, quae versu 15. quam elegantissime sic describitur: mea est potens, procax, magnifica, sumtuosa, nobilis; h. e. *quae mihi superbe imperat, petulanter mecum iurgatur, magnum habet spiritum, sumtus facit insignes, ac denique iam ea, fama est, vt plures habere si velit amatores, possit.*

MERITO, *iure* Ter. A. 3, 2, 51. Nam gnatus quod – est, haud dubium est mihi, si nolit, quin eum *merito* possim cogere.

MERSARE Hor. Serm. 2, 4, 19. Ne gallina malum responset dura palato Doctus eris viuam misto *mersare* Falerno; Hoc teneram faciet. *h. e. Noss se debes eam suffocare, per os iniecto vino, misto cum aqua. Tum mollior erit; Nonnulli legg.* mulso *pro* misto, *quod magis etiam luxuriosum. Bentlei. emendat:* musto *pro* misto; *quod mihi in ore huius viri melius placet quam* misto. Crucquius *ad h. l. artem hanc culinariam fuse exponit.*

MERSVM Phaedr. 1, 2, 16. Hoc *mersum* limo, quum iaceret diutius. *Monit hic difficultatem* Bentleius, *quare vult verba mutari, comprehendere enim non potest, quomodo lignum aqua leuius mergi potuerit, aut cur non semel mersum infra permanserit, aut cur e stagno caput protulerit tum rana. Nobis hae difficultates non tantae videntur. Tignus, quod missum erat vndis, vi quadam atque motu aquam turbauit, ita vt non limpidae aquae innataret, sed limo, quo vndique conspersum quasi mergebatur, et quia turbata tota palude sic conspici a ranis non poterat, vna caput exserit vndis, et tigillum innatantem explorat.*

META *vid. Ern. Clar. h. v.* Omnis certantium in ludis labor erat, vt metam circumagerent, quoniam ad metas *s.* columnas in flexu stadii positas facile frangi poterat

rat currus, adeoque ſtudioſe eas vitabant aurigae. Hinc apud Hor. od. 1, 1, 5. *meta* feruidis euitata rotis. cf. Homer. Iliad. ψ. verſ. 340.

METIRI *belle de ſuperbo, ambulante, greſſu ſtabili, et lento* Hor. Epod 4, 7. Videsne, ſacram *metiente* viam cum bis ter vlnarum toga; *defluens illa toga pertinet ad charactérem mollem et ſimul ſuperbientem effingendum.*

METVERE pro *euitare* Hor. od. 2, 14, 16. Fuſtra per autumnos nocentem Corpori *metuemus* Auſtrum. *Plane eadem ratione, qua ſimili ſignificatu occurrit* cauere, *q. voc. cf.* * *pro cauere; metuens ſolui penna.* Hor. od. 2, 2, 7. Illum aget penna *metuente* ſolui Fama ſuperſtes. i. *nunquam ſoluenda, vt audaci, ita vere lyrica et pulcra figura.* Sanad. *leg.* renuente ſolui *male? vitam dat inanimatae rei illud*, metuens ſolui! *Eodem ſignificatu pro cauere* Hor. od. 4, 5, 20. Cul. pari *metuit* fides. *Nemo eſt qui fidem violet.* Lambinus.

MEVS Ter. H. 1, 1, 54. Ego te meum dici (*ſcil. filium*) tantiſper volo. * Ph. 4, 1, 21. nam ego *meorum* ſolus ſum *meus.* Apollodorus dixerat: ἐγω γαρ εἰμι μονος των ἐμῶν ἐμος. *Significat, ſe neminem habere, qui in domo ipſi faueat, praeter ſe ipſum.* * *Elegantiſſime inſeruit hoc pronomen commiſerationi cuiusdam ſtultitiae* Phaedr. 5, 7, 32. *Homo meus* ſe in pulpito totum proſternit.

MILITARE bellum, *noue et eleganter* Hor. Epod. 1, 24. Libenter hoc et omne *militabitur* Bellum in tuae ſpem gratiae.

MINARI, pulchra, *de ſcriptore promittente*, Hor. Epiſt. 1, 83. ſi quaeret, quidi agam; dic multa et pulchra *minantem. Adde.* Eund. Serm. 2, 3, 9. * Phaedr. 4, 22, 4. Magna *minari, quae vnicuique erunt inexſpectata promittere.*

MINI-

MINIMVM Hor. Serm. 1, 4, 14. *Ecce* Crispinus *minimo* me prouocat. *de sponsione et responsione, seu certamine, pignore dato intelligendum; nos dicimus eine Wette. Siue legas cum Bentleio* nummo, *siue, vt habent editi libri* minimo, *idem erit sensus. Sed cur emendemus, vbi nihil opus est? Longe suauissimus vero est locus:* minimo prouocare *est sacramentum maius ponere, quam exigas ab altero, spondere multum, ab altero petere pignus minimum. Hilaris apud Horatium iocus cf. seqq.*

MINISTRARE res *pro* agere Hor. Art. 171. (Senex) res omnes timide gelideque *ministrat.*

MINOR animus Hor. od. 2, 11, 11. Quid aeternis *minorem* consiliis animum fatigas, i. e. *non aptum his consiliis, de aeternis fere rebus, breuis scilicet spatii: pulchre exprimit vulgarem sententiam: Mortalem mortalia appetere decet.* * Minor capitis, Id. od. 3, 5, 42. *vide* Caput. * Minor genibus, i. e. *supplex* Hor. Epist. 1, 12, 28. Ius imperiumque Phrahates Caesaris accepit *genibus minor. Redditum tunc temporis erat regnum Phrahati suum,* * minor insanus, *pro* minus insanus, Hor. Serm. 2, 3, 326. * Id. od. 2, 9, 22. *vere poëtice, et summa cum venustate, ad exprimendum consilium, cantandi Medos victos, tali vtitur figura sublimi.* Cantemus – Medum flumen gentibus additum Victis, minores voluere vortices. *Sentisne imaginis virtutem?*

MINOS Phaedr. 4, 6, 19. longe quia vetustior Aegea Minos classe perdomuit freta. *Sic fuit in fabulis:* Minoa, Cretae *regem, primum classem aedificasse, qua Athenas profectus mortem filii sui Androgei vindicasset. Caeterum huc non pertinent, quae copiose his de rebus disputari possunt, in quibus et historici inter se dissident. Quid enim? poëtae inter-*

terſunt. Credebatur ſane Minos primam claſſem exſtruxiſſe, quae res vero non impediit, quo minus affirmarent poëtae Iaſonem primum rate Pontum tranſiiſſe, vt Euripides fecit. Quare ineptum eſt, ſi interpretes huc plura loca conferunt ad conciliandam hiſtoriam; optime enim hoc loco tunc demum Phaedrus intelligetur, ſi id quod narrauit dubium fuerit relictum. Sunt vero Ennii verſus ex Euripidis Medea translati. vide Rhetor. ad Herennium libr. 3. c. 22.

MINVERE, *mutare* Ter. 2, 3, 18. coll. v. 19. Hec. 4, 3, 10. *quem locum iam obſeruauit* Euerard. Otto in commentar. ad Iuſtiniani Inſtit. libr. 1, c. 16. de capitis diminut. p. 113.

MIRVS Ter. E. 2, 2, 57. *mira* vero quae militi placeant, i. e. *mirandumne eſt, ſi haec Gnathonis dicteria militi grata ſint.*

MISCERE *coniungere, temperare; itemque a potionibus, quae miſcendo a veteribus praeparabantur, parare, atque ſic praeſertim de malis ſumitur, quae quis machinatur alteri. Commode vſurpat hanc vocem* Phaedrus 1, 28, 10: hoſti dolorem damno miſcens ſanguinis; *vbi duplicem vſum verbi coniungit. Miſcet hoſti dolorem, ſiue eum parat, eo quod arbori flammas ſubmittit, quibus ſuis pullis, quas ſemel amiſerat, pereundum quidem eſſet, ita, tamen, vt ſine maximo dolore aquilae, cuius nidus combureretur, fieri non poſſet. De vindicta vulpis intelligenda, quae pullos ſuos perire quidem, attamen non inultos videre voluit, cui rei eleganter verbum* miſcere *conuenit, quare nihil mutandum in veteri lectione putamus.* * Id. 4, 16, 10. Parce gaudere oportet et ſenſim queri, Totam. quia vitam *miſcet* dolor et gaudium, *i. temperat.*

MISER, Ter. E. 3, 5, 32. *iro-*

ironice pro fortunatus, felix; le pauvre homme (Moliere Tartuffe act. 1. sc. 4.)

MITTERE *pro* condonare, ignoscere. Ter. Eun. 5, 2, 14. Vnam hanc noxiam *Mitte:* si aliam vnquam admisero vllam, occidito.

MOBILIS, *mutabilis* Hor. od. 1, 1, 7. *mobiles* Quirites. * Id. od. 1, 23. *mobilia* folia; *de* aridis et caducis. Id. od. 1, 7, 14. * naturae *mobiles.* s. *Characteres, qui varia aetate immutantur.* Hor. Art. 156. *Mobilibusque* decor naturis dandus et annis. *Bentleius, Cuning. Sanadonius, Baxterus legg.* maturis *dandus* et annis *sed vera est haec lectio, vt quisque ex contextu videbit. Speciosa sunt, quae dicit Bentleius, sed ad h. l. nihil pertinent.*

MODESTE, *ita vt modum seruet* Hor. Serm. 1, 2, 50. Quaeres qua ratio suaderet quaeque *modeste* Munifico esse licet.

MODESTIA, *placidus animus et sequax: opponitur enim pertinaciae* Ter. Hec. 4, 2, 15.

MODICVS, Liber modicus Hor. od. 1, 18, 7. *vid.* Transilire.

MODVLARI, modulatum barbiton, *passiue* Hor. od. 1, 32, 5. Lesbio primum *modulate* ciui. *Alcaeus enim erat Lesbius.* Non *placet Schol. qui explicat* modul. *per obscure, obscundate in modulis.*

MODVS Hor. Art. 211. Accessit numerisque *modis*que licentia maior. v. Numerus. * *pro* fine, Hor. od. 1, 6, 7. sit *modus* lasso maris et viarum Militiaeque; *sit finis nauigationum per mare et militiae laboriosae. Sic et* od. 1, 16, 2, 3. et 3, 15, 3.

MOLA salsa, *far et sal cum aqua quae spargebatur inter cornua, quando initiabatur victima* Vet. Schol. ad Hor. Serm. 2, 3, 200.

MOLESTVS Ter. H. 3, 3, 8. *importunus, procax coll.* v. 7. *vbi mitius verbum* immodestus *praecesserat.* * *proprie de creditoribus pecuniam*

flagitantibus dicitur; hinc Ter. Ad. 2, 1, 27. *ad lenonem, qui puellam ab Aeschino ereptam reposcebat, transfertur.*

MOLIMEN, *de vultu multa et praeclare minante.* Hor. Epist. 2, 2, 93. Aspice primum Quanto cum fastu quanto *molimine* (*quam magnifice*) circumspectemus vacuam Romanis vatibus aedem, i. e. *Apollinis aedem* vatibus destinatam, *vacantem. vid.* Vacuus.

MOLIRI Ter. H. 2, 2, 11. i. *conari aliquid facere.* vid. Comere.

MOLLIS *pro timide fugiente* Hor. od. 1, 15, 31. Sublimi fugies *mollis* anhelitu. *vid.* Sublimis.

MONERE pro *commemorare, narrare sed tamen cum quadam vi exempli ostensa.* Hor. od. 3, 7, 20. Peccare docentes fallax historias *moneb* Frustra. i. *frustra nuntius hospitae amantis, ad tuum dilectum missus, vafer et callidus narrat ei historias, quae peccantes in priores amatos amatores feliciter ostendant. vt nempe cum moueat ad amorem nouum.* Bentlei. *legit* mouet, *ingeniose; at non recte. multa vis inest verbo monere; mouere nihil tale habet.* * *docere* Phaedr. prol. 1. vitam consilio *monet. Sic et* Id. 1, 16, 2. si quis vero laeserit Multandum simili iure fabella *admonet.*

MONVMENTVM Ter. E. 4, 6, 15 *monumenta* sunt *tabulae publicae, testimonia, aut insignia quibus verum aliquod esse efficitur*, h. l. *autem esse videntur γνωρισματα, siue crepundia, quae vna cum infantibus exponi solebant, ex quibus aliquando forte possent cognosci. Vide* Casaubonum ad Theophr. Charact. περι αρεσκειας. c. 3.

MONSTRVM *de re inaudita mirabili, siue infanda.* Ter. E. 4, 3, 14. coll. v. 22. * *Monstrum* hominis, *conuicii caussa pro homine detestabili* Ter. E. 4, 4, 29.

MONS.

MONS. Ter. Ph. 1, 2, 18. is senem per epistolas pellexit, modo non montes auri pollicens. *Prouerbialis nota locutio, cui nostra lingua accurate respondet.*

MORARI, *moratur i. detinet delectans, afficit.* Hor. Art. 321. * moram concedere Ter. E. 1, 2, 104. *nihil moror* i. e. *non concedo, vt vltra biduum miles apud te priores partes habeat.*

MORATVS fabula morata recte; *quae seruat mores* τῶ ἠθους Hor. Art. 319.

MORBVS *Campanus, verrucarum genus, quod Campanis luxuriose viuentibus innatum fuisse probabile est, vt feliciter coniecit et argumentis sat probabilibus sufulsit* Io. Zach. Platnerus programmat. Lipsi. 1732. *Vet. Schol.* In Campania solet quidam morbus, verruca scilicet, afficere *homines in facie.* Hor. Serm. 1, 5, 62. Campanum in *morbum* in faciem permulta iocatus. * *de infirmitate Eunuchorum, impudicorum eo vehementius.* Hor. od. 1, 37, 10. *de Cleopatra:* Contaminato cum grege turpium *Morbo* virorum: i. e. cum *grege turpium virorum* (Eunuchorum *qui inerant in comitatu Reginae Aegyptiae*) *contaminato morbo* h. e. siue insano illo pruritu παρχήτιω, *vt vult Cel.* Reiskius, *siue illa ipsa mutilatione testiculorum, quod paene putem verius pace cl. Reiskii, sic omnia bene se habent; contaminato* scil. *relato ad* morbo: *miror itaque viros doctos hic tam sollicite de emendationibus cogitasse.* Bentlei. *enim leg. putat,* C. C. grege turpium Opprobriorum *pro* morbo virorum; *et Bosius* in Obseruat. latin. pag. 34. cum grege turpium Orbo virorum h. e. *sine virilitate Turneb.* Aduers. libr. 9. c. 43. *de impudicitia intelligit.*

MORDERE *venuste de amne sinuoso, fluxu adluente terras.* Hor. od. 1, 31, 8. Rura quae Liris quieta *Mordet* aqua taciturnus

turnus amnis. * *dicitur* mordere *is, qui inuidiam non continet, sed ei, cui inuidet, significat.* Ter. E. 3, 1, 21. *Est* autem h. l. *elegans* gradatio: Inuidere v. 20. mordere v. 21. inuidere misere v. 22. inuidere impense v. 23. – magis molestum esse v. 24.

MORDICVS Hor. Serm. 1, 8, 27. pullam diuellere *mordicus* agnam Coeperunt. *Mordendo dentibus discerpere, pulla autem seu nigra agna debuit esse, cum haec sacra magica fiant diis inferis.*

MORES *pro consuetudine publica*, la coutume Ter. A. 4, 6, 11. Quam multa iniusta iusta fiunt *moribus? Sic enim cum Dacieria legendum esse arbitror; quae hanc sententiam sic expressit:* Que la coutume autorise d'iniustices.

MORSVS Hor. Serm. 2, 4, 61. (*Potor*) perna magis et magis hillis Flagitat in *morsus* refici. *Interpretantur Lambinus, Baxterus, Gesnerus ad epulas, ad edendum. Sed fateor ego, me locum hac explicatione adiutum plane non intelligere; sed intellexit Bentleius, et cum septem bonis libris et Dan. Heinsio emendandum ducit* immorsus *pro* in morsus h. e. *vellicatus stomachus punctis perunctis reficitur; admordetur enim, vellicatur a cibis salitis.* Miror *vehementer, viros doctos hanc emendationem, ita doctam, ita veritati congruam, non accepisse; si ratio mea hic pateretur, aliis argumentis a sententia loci petitis, Bentleium defenderem. Nunc satis erit, amandare lectorem ad ipsam verborum perpetuitatem.*

MOS *pro modus antique*, et ars, institutio Hor. od. 1, 10, 4. decore *more* palaestrae.

MOTVS Ionicus, i. *mollis et impudicus; de saltatione intellige, quam Graecos primos inuenisse, vnde postea Pantomimi creati essent, obseruat* Vet. Schol. ad Hor. 3, 6, 21. *Motus* doceri gaudet

det *Ionicos* Matura virgo. * *pro bello, seditione* Hor. od. 2, 1, 1. *Motum* ex Metello Consule ciuium tractas. i. *per breuiloquentiam, ciuile bellum natum et conflatum Metello Consule* (A. V. C. 694. vbi Pompeius, Crassus *et Caesar societatem inierunt*) *tractas. sunt qui de historia belli ciuilis intelligant, quam conscribere parabat Pollio: sed ego potius Tragoediam aliquam huius argumenti quaererem; cum tota odae huius οικονομια, si cum Horatiano more comparetur, hoc suadeat. Pollionem fuisse scriptorem Tragoediarum, quem vel ex hac ode latet? Dissuadet itaque ei scribere tragoedias, donec Praetor rempublicam recte constituisset; aut historiam suam belli ciuiles finiisset. Vide et vers.* 11. *huius* Odae. *et v.* Ordinare.

MOVERE, funera, i. caussam esse, *audaci figura.* Hor. od. 1, 15, 10. Quanta *moues* funera Dardanae genti. * *in vitam reuocare, aut animare,* Epod. 17, 76. *mouere* cereas imagines; *de arte magica* * Hor. Art. 231. vt festis matrona *moueri* iussa diebus: *Rogata vt saltet: Comparatio autem ipsa longe suauissima, iusta, et admirabilis.* * *perturbare, polluere* Hor. Art. 472. An triste bidental *Mouerit* in cestus. * *conari auferre* Hor. od. 3, 20, 1, Non vides quanto *moueas* periclo Pyrrhe Gaetulae catulos leaenae? *Quanto periculo adimere studes amanti puellae formosum adolescentem; prouerbio vtitur noto de irritabili animo leaenae.* * mouere membra molliter *dicuntur scite saltantes, aut etiam cum gestu corporis carmina pronuntiantes* Serm. 1, 9, 24. Quis membra *mouere* mollius? * *decensoria nota, in aerarios, aut inferiorem classem censu relato* Hor. Serm. 1, 6, 20. Censorque *moueret* Appius ingenuo si non esset patre

natus. *Appius seueriſſimus fuit cenſor, plebi infeſtus.* * *perturbare* Ter. A. 3, 2, 36. (*non autem vt* Blandus *exiſtimat*, promouere). * *cogitare, moliri* Hor. 3, 4, 68. Omne nefas animo *mouentes.*

MVLIEBRIS Ter. H. 2, 3, 48. mala res *muliebris; eſt ceruſſa, purpuriſſum, ſtibium*, odores *etc. quod genus pigmenti cur malum dicatur, facile cuiuis erit perſpicere.*

MVNDITIA Hor. od. 1, 5, 8. Qui flauam religas comam ſimplex munditiis. *Siue ipſa Pyrrha ſimplex vocatur, quoad munditias; ſiue pertinet ad mundas veſtes, quas corpore gereret; ſiue denique refer.* mundi tiem *ad* religas, *vt ſit ſententia: cui religas comam taeniis, ſimplicibus illis quidem* λιτοις, *at mundis, at munditia placentibus, et cientibus amorem; ita* Reiskius, *quam ego interpretationem aliis praetulerim.*

MVNDVS erit qui non offendat ſordibus (*ſed falſa haec lectio eſt et leg. cum Baxtero* ſordidus) atque in neutram partem cultus (*vitae rationis*) miſer. Hor. Serm. 2, 2, 65. * mundus victus Id. Epiſt. 1, 4, 11.

MVNITVS. ſapientia munita Hor. od. 3, 28, 4. *Munitaeque* adhibe vim *ſapientiae. Sapientiae quaſi ſeptae contra voluptatem vino vim adhibe. Idem dicit vates* od. 3, 21, 13. tu (*vinum*) lene tormentum ingenio admoues Plerumque duro. *Imitatum fuiſſe Graecos auctor eſt Schol. Vet.* Graeci aiunt vim adhiberi ſapientiae per vinum.

MVREX. Hor. od. 2, 16, 35, te bis Afro *Murice* tinctae veſtiunt lanae. *Lana bis tincta Murice* (*piſce, e cuius ſanguine conficiebatur color purpureus*) *eſt* dibaphus, vt *ait* Cicero Epiſt. diu. 2, 16. *Adde* Hor. Epiſt. 2, 2, 181. *et* Epod. 12, 21.

MVRIA aqua ſalſa, pro liquamine, ſeu garo: eſt autem

autem Muria vocabulum syriacum. *Vet. Schol. ad* Hor. Serm. 2, 4, 65. ius Quod pingui miscere mero muriaque decebit.

MVSICVS. studium Musicum Ter. H. prol. 23. *est applicatio ad poësin comicam* cf. Ter. Ph. prol. 18. qui artem tractant *Musicam.*

MVSSITARE *verbum comicum* Ter. Ad. 2, 1, 53. accipiunda et *mussitanda* iniuria adolescentium est. i. e. *patienter ferenda, silentioque reticenda. Donatus.*

MVSTELLINVS Ter. Eun. 4, 4, 22. Hic est vetus, vietus, veternosus, senex, *colore mustellino. Menander, vt ex Donato* intelligimus, dixerat: ἔτοσι δε γαλεωτης γερων. Γαλεωτης *autem non est* mustela, *quae dicitur* γαλη; *sed* stellio, *genus animalium, ab Italis* Tarantula *dictum. Omnes fere Interpretes* Donatus, Burlandus, Westerhouius, Canius, Turnebius *Terentium errasse contendunt.* Guyetus *autem et* Dacieria *eum excusant, vtpote qui Menandrum imitari, non ad verbum exprimere voluerit.* Bentleius *denique nodum non soluit, sed ferro rumpit. Ait enim in hoc Terentii loco legendum esse non* mustellino *sed* stellionino. *Rationes, quas protulit hae fere sunt. Primum ait, Terentium non potuisse dicere* colore mustellino, *quia huic animali non sit proprius et certus color; qua ex ore etiam Interpretes modo liuidum, modo cereum, modo luteum, modo rutilum colorem intellexerunt.* Deinde *causam addit, cur Eunuchus potuerit nominari* stellioninus, *quia hoc animal sit maculatum, ac lentiginosum coll.* Ouid. Met. 5, 460. *Facillime autem hoc in Eunuchum cadit; vt metrum sibi constet, recte existimat, pronuntiandum esse* colore stellionino; *velut in illo Virgiliano* Georg. 4, 243. Stelljo et lucifugis cet. *Quae cum ita sint, arbitror, Bentleianam*

coniecturam, *audacem illam quidem sed tamen veram esse*, *et genuinam*. *Vinus potest opponi* Plinii *locus* Hist. Nat. libr. 29. c. 4. pag. 599 ed. Dalech. „Hunc, *inquit*, (*stellionem*) Graeci *colotem* vocant et *ascalaboten*, et *galeoten*. In Italia non nascitur. Est enim hic *plenus lentigine*, stridoris acerbi, et vescitur *terra* quae omnia a *nostris stelliombus* aliena sunt.„ *Sed Ouidii locus laudatus*, *quantum Plinius Bentleii sententiae detrahere videtur*, *tantum illi addit*.

MVTARE fidem, *pactum soluere*, *tollere sponsa*, *cum alteri dicas*, *te nolle manere in fide data* Ter. Ph 3, 2, 27. Nequeo exorare, vt me maneat, et cum illo vt *mutet fidem* * Id. A. 1, 5, 7. Qui — mutauit. *Fuerunt*, *qui putarent* mutare *hic intransitiue explicandum esse*, *atque pronomen* id *pro* propter id *positum esse*. *Falsum! namque elliptica est constructio*, *et satis bene h. l.* consilium *supplendum*. * *pro* permutare Hor. od. 1, 17, 1, 2. Velox amoenum saepe Lucretilem *Mutat* Lycaeo Faunus. *Adde* Serm. 1, 4, 29. et Serm. 2, 8, 50, cet. * Ima summis *mutare*, i. *in summa* Hor. od. 1, 34, 12. * Phaedr. 4, 16, 5. faciem ad serenam subito *mutatur* dies. *Multi hic emendare voluerunt*, *vbi omnia ita clara et perspicua*, *vti ne explicatione quidem egeant si conferas praecedd.*

MYRRHINVS Hor. od. 3, 14, 22. *Myrrhinum* nodo cohibere crinem. *Sed verior lectio aut* Myrrheum, *aut*, *vt est in antiquis libris bonae notae*, *et Bentleius edidit*, murreum. *Notat autem colorem crinis*, *qui medius est inter flauum et nigrum*; *Auctore Schol. ad h. l.* Cuningamius *legit* Murteum. *Sunt qui explicent*, *Myrrhino vnguento delibatum crinem*. *Prior tamen sensus melior*. *Pro* cohibere *nonnulli ponunt* cohibente, *sed nulla*

nulla auctoritate, et elegans est tali synecdoche antecedentem rem ponere pro consequente. Quia properare vult eam, in nodum tantum crines colligere praecipit.

N.

NAE. Ter. A. per 17. Faciunt *nae* intelligendo, vt nihil intelligat. *Elegantissimum hoc, salisque Terentiani plenum τοξυμωρον nimium quantum debilitat in Aduers. Turnebus (vna cum iis, quos aemulos habet suae sententiae) quum pro* nae *legendum esse dicat* ne, *vt interrogatiua sit constructio. Ait nempe illud* nae *nunquam inueniri sine adiecto pronomine; quod nego. Iam enim Tursellinus obseruauit de partic. l. 1. pag. m. 504. apud Plautum ac Terentium nonnunquam sine pronomine occurrere, etsi ipse exempla non adduxit. Mihi tamen continuo succurrit Hec. 5, 3, 1. vt plura non afferam.*

NAENIA, Graece νηνια, *adeoque scribendum per e simplex esse puto, vti etiam in optimis et antiquissimis membranis constanter exaratum legitur. Miror Gesnerum nihil in Thesauro de ea re notasse. Vsurpatur haec vox, proprie carmen funebre significans, de omnibus dictis et rebus ineptis.* Hor. Epist. 1, 1, 63. Roscia dic sodes melior lex an puerorum *naenia.* Lex Roscii Othonis *est, qua equitibus quatuordecim gradus in theatro decernebantur.* vid. Ernesti Ind. legg. in claue Cicer. * pro *cantu, laudante carmine* Hor. od. 3, 18, 16. Dicetur merita nox quoque *naenia, cf. de h. v.* Cuper. Obseruant. libr. 1. c. 1. p. 6.

NAM, *connectendi tantum particula, et incipiendi.* Hor. Epist. 1, 2, 37. *Nam* cur quae laedunt oculos festinas demere.

NARRARE *simpliciter dicere.* Ter. A. 2, 2, 30. opinor *narras?* i. e. *ais? Sic* ibid. 3, 1, 3. Quid nar-

narras? *h. e. quid ais?* * Phaedr. 3, 17, 8. *narrabit*, quod quis voluerit: *formula spernentis secure aliorum consilia.*

NATVRA *pro ingenio.* Ter. H. pr. 24. amicûm ingenio fretum haud *natura* sua. * *hoc nomine insigniunt, quidquid proprie ad corpus pertinet, atque tam communi nomine efferri praestat.* Phaedr. 1, 18, 5. onus naturae, *partus.* it. 4, 14, 5. naturae partes etc. * Hor. od. 1, 28, 14. *Naturae* autor non sordidus, *Pythagoras indagator et magister* των φυσικων. vide Valer. Maxim. libr. 8. c. 7. * Naturae *pro* characteres, *mores Cominum diuersi, secundum aetates* etc. Hor. Art. 15, Mobilibusque decor *naturis* dandus et annis *vid.* Mobilis.

NATVS, bene *nata* h. e. virtutes Hor. od. 4, 4, 36. vt cunque defecere mores, dedecorant *bene nata* culpae. *Legend. est vero cum opt. libris* Indecorant b. n. c. *Sunt autem* culpae *h. l. vt saepius apud Horatium vitia.* * Ter. E. 3, 2, 7. Ex homine hunc *natum* esse dicas. vid. *Homo.* * Phaedr. 3, 8, 11. vir natus ἀνηρ ων. *pleonasmus non infrequens apud Veteres.* vid. Cic. Epist. Diu. 4, 5, 11. *ibique* Cortium. * Hor. Art. 81. *Iambum dicit* rebus natum agendis, h. e. *natura sua aptum ad id genus poëseos, vbi plurima aguntur, vti in Tragoedia, atque comoedia, vbi res fiunt, non narrantur, non ob tumorem et fastum, vt Baxterus putare conatur, sed quia facilis auditu, et versuum concinnitatem leuem quandam et notabiliorem exhibet; ad vitam vulgarem proxime accedit, vt Cicero in Oratore iam notauerat; quare Quintilianus eum* humaniorem pedem *vocat. Habet hic pes etiam celeritatem quandam, quae acumen soni gignit, de quo vid. voc.* Vincere.

NAVFRAGVS, actiue, mare *naufragum.* Hor. od. 1, 16, 10.

NAV-

NAVSEA, fluens. Hor. Epod. 9, 35. Quod *fluentem nauseam* coerceat, Metire nobis Caecubum. i. *profluentem e nimio potu. Vet. Schol.* Gesnerus intelligit μαλακην *quae imbecillum ventriculum offendat: sed prius mihi praeplacet, propter ipsum vocabulum.*

NEBVLO *est homo specie quidem formidolosus, reuera autem timidus, atque abiectus, Gallorum lingua:* un poltron; *quod adhibuit etiam* Dacieria. Ter. E. 4, 7, 15. Sane, quod tibi nunc *vir* videatur esse, hic magnus *nebulo* est.

NECESSITAS, dira; *de morte.* Hor. od. 3, 24, 5. Si figit adamantinos Summis verticibus *dira necessitas. Quae imago! singula quaeque verba augent rem! Bentleius pro* si *legit* Sic, *et pro* dira, dura. *Sed bene se habet, quod est vulgatum.* vid. Klotzii Vindic. p. 218. *Voc.* Necessitas *vero saepius de morte vsurpatur, denotat enim tum* fatum την ειμαρμενην. sic od. 1, 35, 17, od. 1, 3, 32. etc.

NEGLIGERE. Hor. od. 1, 18, 30. *Negligis* immeritis nocituram Post modo te natis fraudem committere. *Tam leuis, impius es, vt crimen committas quod posteri tui luant.* vid. Fraus. * Ter. Ad. 4, 3, 16. ad contumeliam omnia accipiunt magis, propter suam impotentiam se semper credunt *negligi. In quibusdam libris Mss. legebatur pro* negligi, claudier, *in aliis* claudicare. *Verum illud ad sensum non quadrat, hoc autem versus mensuram excedit, nec magis huic verborum connexioni respondet.* Faernus *igitur putat legendum esse* caluier, *quod est infinit. pass. verbi antiqui* caluo, *decipio.* Plaut. Casin. 2, 2, 4. Atque *haec lectio ideo fit verisimilis, quod ex ea reliquarum origo facile intelligi potest. Quoniam nempe posteriori tempore plerique non intelligebant, quid esset illud* caluier, *alii* claudier, *alii ad sensum* negli-

negligi *repoſuerunt. Bentleio autem illud adeo non placet, vt ipſe aliam coniecturam afferat, ac veram lectionem eſſe* ludier *exiſtimet. Etſi autem huius originem lectionis ſatis artificioſe deſcribit, nunquam tamen eius beneficio hic ſcrupulus eximi ex animo poteſt, qui factum ſit, vt pro notiſſimo verbo* ludier *alii* negligere *ſubſtituerent. Quae cum ita ſint, non dubito* Faerni *coniecturam Bentleianae praeferre; quod autem hic putat in hoc verbo* caluier *nihil eſſe, quod ſit cum* contumelia *coniunctum, in eo falſus eſt.* Contumelia *enim h. l. eſt iniuria ex contemtu profecta; quid autem, quaeſo, magis ad contemtum alterius pertinet, quam ſi eum, praeſertim in magna re, decipiamus? Quocirca* Simo, *cum vidiſſet ſe a* Dauo *aperte decipi, exclamat:* O Daue, itane *contemnor* abs te, aut itane tandem idoneus tibi videor eſſe, quem tam *aperte fallere* incipias dolis. *Quod autem verbum* caluier *cum omni reliqua oratione optime conſtet, colligi poteſt ex Ad.* 4, 4, 13.

NEMO homo, *frequens eſt apud Terentium pro* nemo. *vt* Eun. 3, 5, 1, Ad. 2, 3, 6. Ph. 4, 2, 1, etc.

NEMPE, *conſenſum magis in eo, quod iam dictum eſt, declarat.* Phaedr. 2, 2, 2. a foeminis vtcunque ſpoliari viros Ament, amentur; *nempe* exemplis Diſcimus *i. e. hoc ſane certum eſt, quid enim? exemplis comperimus, atque vſu. Phaedr.* 4, 23, 15. Aras frequentas; *nempe* abigeris, quo venis. *Nota hoc loco variam eſſe ſedem verſus* 17, *quem veteres editiones collocant ante verſum* 13. *Vndecunque ſit, facta tamen eſt quaedam ordinis turbatio, quem ita reſtitui poſſe confidimus:*

Eſt glorioſus ſane conuictus Deum,
Sed illi qui inuitatur,
non qui inuiſus eſt.

Reges

Reges commemoras et matronarum oscula.
Aras frequentas; nempe abigeris, quo venis.
Super etiam *(ita MSS. et* super *est pro* insuper) iactas, tegere quod debet pudor,
Ego granum in hiemem quum studiose congero,
Te circa murum video pasci stercore. cf. v. 8.
Nihil laboras, ideo cum opus est, nil habes.
Aestate me lacessis, quum bruma est, siles.

NEMVS *de viridario, quod in impluuio domus erat.* Hor. od. 3, 10, 5. *Nemus* Inter pulchra situm tecta. *Optimae editt. leg.* Satum *pro* situm; vid. Heinf. *ad* Sil. Ital. 10. 533. *Defendit vero lectionem vulgatam,* Situm Klotzius *in Obseruat.* de Nemoribus in tectis aedium Romanarum in Opuscul. pag. 185. *vbi plura de istis hortis quaeres.*

NEPTVNVS terra receptus apud Hor. Art. 66. *est Pomptina palus, ab Augusto exsiccata, vt post et arari posset.* cf. H. N. 26, 4. sterilis palus vers. 65. *intell. de portu Lucrino munito ab Augusto* vid. Suet. Aug. c. 16. *Exempla ad rem vere poëtice delecta ab Horatio, totus locus dignus, cuius elegantiam scrutere.* Regis opus *signif. tantum splendorem et magnificentiam, nihil hic de appellatione Regis cum Gesnero cogitandum.*

NERVVS, *vinculi genus.* Ter. Ph. 2, 2, 11. Ne istaec fortitudo in *neruum* erumpat denique. *Lusus est in* λεξει *duplici, quia neruus etiam* fortitudinem insigniorem *denotat. Sensus vero hic est: ne tu ob audaciam tuam aliquando in carcerem coniiciaris. Hoc patet ex versu subsequenti:* iam, *inquit* pedum visa est via, *i. e. Iam omnia bene dispexi, vt sciam, me ab hac parte securum esse, periculique nihil impendere.*

dere. * Hor. Art. 26. Sectantem leuia *nerui* Deficiunt animique *h. e. efficacia, vigor. Sunt qui legant* lenia *pro* leuia: *perperam!*

NESCIRE Ter. E. 4, 4, 54. Quod scis, *nescis*, neque de Eunucho neque de vitio Virginis, i. ignorantiam simulas. *Est autem in illa locutione comicum aliquod acumen, in simulandi verbo ingeniose suppresso.* cf. H. 4, 3, 26. * Ter. H. 5, 4, 14. Deos *nescio. Est irati hominis dictum, non quod Deos esse neget, aut ignoret, sed hoc indicet, h. l. non de diis, sed de eo, quod ipse facere constituerit, sermonem esse.* cf. a. 2. sc. 4. v. 16.

NEX. Phaedr. 2, 8, 2. Necem venatorum *i. e. a venatoribus in ferendam. plura eius inuersionis reperiuntur exempla apud Latinos, vid. Burmannum ad h. l.*

NIDOR *proprie est odor gratus culinae* Vet. Schol. ad Hor. Serm. 2, 2, 19. Non in caro *nidore* voluptas summa sed in te ipso est. *Bene* carus nidor!

NIGER, frons *nigra*, i. vmbrosa. Hor. od. 4, 4, 58. Nigrae feracis frondis, in Algido. Adde Eund. 4, 12, 11.

NIL, esse nil, *pro* homine nihili, nullius pretii. Hor. Serm. 2, 7, 152. *Nil ego (vocor)*, si ducor (*delector*) libo fumante.

NIMIVS, nimius mero. i. *immodice se gerens, intemperans, ferox.* Od. 2, 12, 5. nimius *mero* Hylaeus. *Qui vnus e Centauris.* * Nimium. Ter. E. 5, 6, 17. *bene in ore affirmantis cum abundantia quadam aut emphasi.*

NISI, pro *sed.* Ter. E. 3, 4, 10. A. 4, 1, 40.

NISVS, *de volati, eleganti periphrasi.* Hor. od. 4, 4, 8. Verni — — venti *insolitos* docuere *nisus; discit iam ventis sublatus paullatim volare* (aquila) Sie lehren ihn den ungewohnten Schwung thun.

NITERE. Cycladae *nitentes* vocantur ab Hor. od. 1, 14, 10. Interfusa *niten-*

nitentes aequora Cycla-des. *Elegantiſſime! nam inſulae circumfuſae a-qua ſplendent quaſi, in mari nautis, et feriunt oculos ſuaui nitore!* * *lautus, bene habitus* Phaedr. 3, 7, 4. Vnde ſic quaeſo *nites?*

NITESCERE Hor. Art. 150. Quae deſperat tractata *nitescere* poſſe relinquit.

NITI, niti *cothurno.* Hor. Art. 280. i. *incedere* * *de aratro ſulcante ter-ram. feſtiue!* Hor. E-pod. 1, 26. Non iu-uencis illigata pluribus Aratra *nitantur* meis. i. *non plures iuuenci illi-gati ſub aratra mittan-tur, ditior ſim. Belle autem rem pingit his verbis Horatius.* vid. *Il-ligare.*

NIVEVS Phaedr. 5, 7, 36. Princeps ligato crure, niuea faſcia Niueisque tunicis, niueis etiam cal-ceis Superbiens honore diuinae domus. *Refert poëta veſtitum huius tibicinis, quo factum eſſe nobis perſuadere vult, vt ita ſuperbiret ſtultus princeps. Albus veſtium color praecipuum ſignum erat regum; Ti-bicines vero in ludicris actionibus vſos fuiſſe tu-nicis candidis probat Gudius, veſte ſerius va-riegata. Faſcia alba et regium inſigne, at illi in capite geſtare ſole-bant.* * Hor. od. 4, 2, 59. *de Iuuenco, niueus* videri i. *aſpectu: graece dict.*

NIX. *poët. de ipſa grandi-ne terram inſtar niuis obtegente.* Hor. od. 1, 2, 2. Iam ſatis terris *ni-uis* atque dirae Grandi-nis miſit pater.

NOBILIS Ter. Ad. prol. 15 – Nam quod iſti di-cunt maleuoli *homines nobiles* eum adiutare, aſſidueque vna ſcribere – *Intelligit Scipionem A-fricanum C. Laelium ſa-pientem ac Furium Phi-lum, ſ. Publium, quos familiares fuiſſe Terentii, inter omnes conſtat. vid. Cic. Lael. c. 24. et Att. lib. 7. ep. 3. vbi dicit, opinionem fuiſſe, qua Terentii fabellae propter elegantiam ſermonis pu-tarentur a Laelio ſcribi.*

NOBILITARE, *malo sensu, pro reddere famosum.* Ter. E. 5, 6, 20.

NOBILITAS Ter. Hec. 5, 3, 31. Sciet sibi *nobilitatem* ex eo et rem natam et gloriam esse. *Bene hoc, ni fallor, correxit Bentleius, dum ita reposuit:* Scit se nobilitatem ex ea re nactam et gloriam esse. *Nam cum Nobilitas et gloria fere synonyma sint, non est vero simile, aliud verbum diuersae vis ac potestatis inter haec duo Terentium interposuisse.*

NOCIVVM Phaedr. 1, 29, 3. sibi *nociuum* concitant periculum.

NODOSVS, *foenerator aut ICtus est, acer supra modum et diligens in nominibus et syngraphis faciendis, qui debitores multis cautionibus, veluti nodis quibusdam, obstringit, vt valida fiat obligatio.* Hor. Serm. 2, 3, 70. Adde Cicutae *Nodosi* tabulas centum l. *syngraphas, centum* vid. Scribere. * *Nodosa* chiragra, *non lapidosa, tuberibus informis, vt interpretatur* Baxterus; *sed, quia quasi nodis constringit, sinuat corpus, sic dicta.* Hor. Epist. 1, 1, 31. *Nodosa* corpus nolis prohibere cheragra.

NODVS, *de nexu in chorea;* Hor. od. 3, 21, 22. Segnes *nodum* soluere gratiae. *quae non facile concordiam dissoluunt.* * *nodus* vindice dignus Hor. Art. 191. *de impedimentis, periculis cet. quae tanta sunt, vt Deum quendam, vt Machinam requirant, si solui debeant. Praeceptum notum.*

NOMINATVS verba male nominata Hor. od. 3, 14, 11. male *nominatis* Parcite verbis; *Sunt mala verba, s. mala nominata* δυσωνυμα, *quae siniſtrum quoddam omen portendunt. Constat iam satis, solitos veteres inprimis cauere, ne in re sacra quaedam dicerentur, quae omen quoddam malum praesagire viderentur.* vid. Gatakeri Dissert. de N. Instrum. stilo c. 19. *qui exercitum locorum con-*

stru-

ſtruxit huc pertinentium. Ceterum Codd. et MSS. h. l. pari fere auctoritate legunt l. male ominatis *l.* male nominatis. *Iam vero vtrumque poteſt hic locum habere, hiatum illi in altera lectione ſimilem frequentem reperimus apud* poëtas vt Virg. Aen. 1, 405. *Praeterea ſenſus idem; nam* male nominata verba *ſunt* male ominata. *Ego tamen malim* male ominatis Parcite verbis. *Potuit* illud *n. facile aliquis addere, voc.* ominatis, *qui hiatum concoquere non poterat. Emendationes alias, plurimas illas, ſed minus veras, omitto. Confirmat ſententiam meam* Heinſius *ad* Claudian. Sec. Conſ. Stilich. verſ. 167.

NON, *ne quidem.* Ter. E. 3, 1, 21. ego *non flocci pendere; ne flocci quidem.*

NOTA, *de vino* Hor. od. 2, 3, 8 Bearis te Interiori *nota* Falerni. *Solebant veteres vini cados, teſtas, amphoras in cellis condere notatas, inſignitas quibusdam literis, aut aliis notis, ſed maxime nominibus Conſulum diſtinctas, ad tempus, et praeſtantiam vini ſignificandam. vt iam Lambin. ad h. l. docet. hinc* interior nota Falerni *eſt vinum Falernum optimum, vid. Interior.* * *pro ipſo cado. Serm.* 1, 10, 24. Chio *notae* ſi comiſta Falerno eſt. Si vino Chio (*graeco, dulci*) Falernum (*Italicum, eſt auſterum*) temperatum eſt. * ducere *notam* Hor. od. 4, 2, 59. vid. *Ducere.* * *ignominia cenſoria*, inde Phaedr. 1, 3, 11. repulſus triſtem ſuſtinuit *notam. Hinc* Phaedr. 3, prol. 49. *notare* ſingulos.

NOTARE, *cum cenſorum proprie ſit, vbi in luſtro condendo animaduertunt in vitia etc. hinc pro reprehenſione cum ignominia ſcite* Hor. Serm. 1, 3, 24. Stultus et improbus hic amor eſt dignusque *notari.* Id. Serm. 1, 4, 5. Si quis erat fur – Famoſus

sus multa cum libertate *notabant*. Epist. 1, 17, 15. Si sciret regibus vti Fastidiret olus qui me *notat*. Locus *ille autem totus pertinet ad historiam* de Diogene et Aristippo, vid. Diog. *Laert.* 2, 68. *iam cit. a Gesnero ad h. l.*

NOTITIA *Bekantschaft*. Ter. H. 1, 1, 1. Quanquam haec inter nos nuper *notitia* admodum est. Profert hunc versum Cicero Fin. 2, 4. *vide* Nuperus.

NOTVS, *assuetus* Phaedr. 2, 5, 17. *noti* flexus. Id. 1, 11, 9. exitus. Append. Phaedr. fab. 3, 5. *nota* praeda. *Sic et Phaedr.* 5, 7, 25. *ignotum* canticum, *h. e. insuetum atque inde nouum. Ita Horatius art. poët.* 5, 130. Rectius Iliacum carmen deducis in actus Quam si proferres *ignota* indictaque primus. * *cum Genitiuo*. Hor. od. 2, 2, 6. *notus* in fratres *animi paterni*. i. *propter an. pat.* Id. od. 4, 13, 21. *notaque* et *artium Gratarum* facies. *vid.* Facies.

NOVENDIALIS, puluеres nouendiales i. *recentes; modo sepultos cineres; nono die mortui apud Romanos sepeliebantur*. Hor. Epod. 17, 48. *Nouendiales dissipare puluеres i. magicis incantationibus vmbras illas suscitare, dissipando puluere, aliisque cerimoniis*.

NOVIES Phaedr. 3, prolog. 19. Mnemosyne foecunda *nouies* Musarum peperit chorum *h. e. nouem edidit liberos vno partu*.

NOVISSIME, *tandem, vltimo* Phaedr. 3, 14, 19. Ille se torquet diu, *nouissime* succumbit. Id. 4, 10, 20. *nouissime* interdicit.

NOVITAS, *pro re noua* Phaedr. 5, 5, 6. quam quisque posset, vt *nouitatem* ostenderet in ludis *h. e. nouas artes, noua inuenta produceret, quibus celebres reddere ludos posset*.

NOVVS, frons noua *i. viridis*. Hor. od. 3, 4, 12. Fronde *noua* puerum palumbes Texere.

NOX. *pro* Dea noctis. Hor. od. 3, 19, 11. et 3, 28, 16. cet.

NVGARI, *rebus ludicris operam dare, carminibus, ludis gymnicis, aliisque.* Hor. Epist. 2, 1, 93. Vt primum positis *nugari* Graecia bellis Coepit.

NVGAE, *pro paruis erroribus.* Hor. Art. 450. Cur ego amicum offendam in *nugis? in Kleinigkeiten.*

NVLLVS, nulli maiores *sunt ignobiles, quorum capita in censorum libris non comparent.* Hor. Serm. 1, 6, 10. Multos saepe viros *nullis maioribus* ortos Et vixisse probos etc. * *pro* minime. Ter. A. 2, 2, 35. * *Nullus* sum. Ter. A. 3, 4, 20. *comice, perii funditus, occidi* (v. 26.) *etc.*

NVMEN Hor. od. 3, 10, 8. Audis – positas vt glaciet niues puro *numine* Iupiter. *Est vero* puro numine, *sereno coelo; quo enim serenius hyeme coelum, eo plerumque acutius est frigus. Bentleius legit ex coniectura:* duro numine; *quo perit omnis loci efficacia.* Niues positae *sunt concretae iacentes.* * Id. Epod. 5, 54. In hostiles domos Iram atque *numen* vertite. i. *nutum, vt potentia vestra plectatis nefas.*

NVMERARE Hor. Epist. 2, 2, 210. Natales grate numeras. Vet. Schol. *explicat:* celebras dies natales; *alii:* tui generis auctores libenter commemoras, non te eorum piget ac pudet. *Ego vero per natales annos et aetatem significari puto, vt sensus sit:* omnes *dies et annos grato animo collocas, vt additum numero dierum tuorum lucrum.* cf. Epist. 1, 4, 14. * Phaedr. 3, prol. 56. Threissa cum gens *numeret* auctores suos: *multos habeat claros studiis suos. Tacit.* libr. 2. Ann. 71. *numerate* sex liberos. *i. proponite tot patre me orbos liberos.* Gronouius.

NVMERVS, *differunt* modi *et* numeri; *hi rythmi alternationem, et ordi-*

nem longorum et breuium temporum, illi totum melos vocis eleuatae et depressae indicant. Plura docet et docta Isaacus Vossius *de cantu, et viribus* Rythmi pag. 24. seqq. Hor. Art. 211. Accessit *numerisque modisque* licentia maior. * Hor. Epist. 1, 2, 27. Nos *numerus* sumus et fruges consumere nati. i. *numerum hominum tantum explemus, nihil memorabile gerentes et otiosi viuentes. Lambinus ad h. l. similes locos graecos adfert, quos forte poëta expressit.* * *pro carminis genere, metro.* Hor. Art. 74. res gestae Quo scribi possent *numero* monstrauit Homerus *Crediderim vero, respexisse vatem simul ad omnes virtutes versuum quoad* numerosam orationem, *suauitatem dictionis oriundam ex pedum scita compositione; ad rythmum et numerum.*

NVMMVS, *nummo alicui addicere quid.* Hor. Serm. 2, 5, 109. Gaudentem *nummo* te addicere. Vet. Schol. *Haec erat imaginaria venditio pro donatione.*

NVPERVS. *Hoc adiectiuum in quibusdam libris legitur.* Ter. H. 1, 1, 1. *pro quo tamen alii rectius aduerbium* nuper *substituunt. Nam sic etiam* apud Ciceronem hic versus legitur Fin. 2, 4.

NVTRIX, *nutrix* sedula. Hor. Art. 116. *suauissimum epitheton! quod officiosam illam anum cursitantem, curantem salutem infantis, anxiam de minimis et vt potest agilem aegro passu, mirifice exprimit lectoribus.*

O.

OBARMARE, *voc. nouum Horatii.* od. 4, 4, 27. Amazonia securi Dextras *obarmare. Non cum* Gesnero *putandum est significare*, contra hostes armare, *cum quadam emphasi. Certum est* armari *omnes contra hostes.*

OBERRARE, *pro errare, peccare.* Hor. Art. 356. Citha-

Citharoedus Ridetur chorda qui ſemper *oberrat* eadem; *in eodem ſono vitium idem committit.*

OBIICERE, *ponere exemplum, quod imiteris.* Hor. Serm. 1, 4, 123. Vnum ex iudicibus ſelectis (h. e. *ex equitibus, vnde iudices eligebantur*) *obiiciebat.* * obiicere offam l. cibum v. g. cani *proprie dicitur, vt* Phaedr. 1, 23, 4. etc. *hinc eleganter de* improuiſo lucro. Phaedr. 4, 11, 8, *ſic de laetitia inopinata* Ter. Hec. 1, 2, 12, *Adde* Eund. Adelph. 4, 4, 1. et Phorm. 3, 2, 18. *atque* Hor. Serm. 1, 1, 2. Seu ratio *dederit*, ſeu fors *obiecerit* * Phaedr. 5, 10, 4, obiectus pugnae, *commiſſus in pugnam.*

OBLIGARE *deuouere* Hor. od. 2, 8, 5. votis caput obligaſti. *Sic etiam* Hor. od. 2, 7, 18. *Obligatam* reddere Ioui *dapem.* i. *promiſſam, votam.* * *pro* alligatus Hor. Epod. 17, 67. *obligatus* aliti Prometheus.

OBLIMARE rem, *deterere, tractum a lima; et bene.* Hor. Serm. 1, 2, 62. bonam deperdere famam Rem patris *oblimare* malum eſt vbicunque.

OBLIVIOSVS, actiue, *qui affert, creat obliuionem.* Hor. od. 2, 7, 21. *Obliuioſo* leuia Maſſico ciboria exple. vid. *Ciborium.*

OBNOXIVS, *arbitrio alterius ſubiectus atque infirmus, qui impune fere laeditur, aut ſaltem iniuriae expoſitus Explicat h. v. pluribus* Io. Fr. Gronouius *ad* Senec. de Ira 3, 8, *quem iam laudauit* Diſpontinius *ad* Phaedr. 3. prol. 34. ſeruitus *obnoxia. Sic* Id. 2, 7, 14. Magnae periclo ſunt opes *obnoxiae.*

OBRVERE, otio ventos. Hor. od. 1, 15, 3. Ingrato celeres *obruit* otio Ventos. *bene* celeres *h. l. ventos nominat, cum dicat de obruto otio.* ingratum *otium alii ad Paridem, alii ad ventos referunt, ego prioribus aſſentiri cogor.*

OBSERVARE, malo ſenſu. Ter. Ad. p. 1. *i. a. ca-*

ptare, quod vituperari possit. resp. graec. φυλαττειν. vt Aristoteles Rhet. libr. 2. c. 4.

OBSCVRVS, *obscurae* tabernae, *bene* opp. *auro et ostro regali herois et Dei.* Hor. Art. 229. Ne quicunque Deus *Regali* conspectus in *auro* nuper et *ostro* Migret in *obscuras* humili sermone *tabernas*; *h. e. humili oratione, se parum digna vtatur.* * Hor. Art. 363. Haec amat *obscurum.* i. *haec pars poëmatis loco obscuro vult poni, quasi in* vmbra poëtica: *similitudo a pictura in toto hoc loco desumta. Amplum commentarium et doctum praebebit cupientibus liber elegantissimus* de Vmbra poëtica, Bodenii. * Terent. A. pr. 21. obscura diligentia *i. contorta, opponitur gratae negligentiae Ingenii.*

OBSEQVI Ter. H. 3, 1, 10. *inseruire, adiutare.* coll. v. 9. et 7.

OBSECVNDARE *ad alterius voluntatem sermonem accommodare,* Ter. H. 4, 5, 22. Caue quidquam admiratus sis: *obsecundato* in loco, Quod imperabit facito, loquitor paucula.

OBSIDERE, *perpetuo sedere* Ter. Ad. 4, 6, 6. Nunc vero domi Certum *obsidere* est vsque, donec redierit.

OBSISTERE Phaedr. 3, 15, 18. His demonstrare voluit auctor versibus, *obsistere* homines legibus, meritis capi. *Quos versus vt pro spuriis habeam, mouent me Kohlii rationes* Commentat. crit. 1, 49. §. 4. *Puto enim Phaedrum singularem quendam casum mente tenuisse, cum scripserit hanc fabulam, qui ad se atque illum tantum pertineret, cui dicasset hanc fabulam. Vide de hac re exempla libr. 3. fab. 1. libr. 5. fab. 10. Mutilam praeterea censeo fabulam; nam cum venisset pius Monachus ad hunc versum;* facit parentes bonitas non necessitas: *fabulae finem imposuit, quae paullo durior videretur homini, et mitiganda addenda doctrina.*

OBSI-

OBSITVS, obsita variis frondibus, *de opertis frondibus, sacris Bacchi; simulacrum enim et sacra Bacchi, inclusa cistae sacrae, in pompa festo die circumferebantur; hinc et bene, translate de mysteriis non diuulgandis.* Hor. od. 1, 18, 12. non *variis obsita frondibus* sub diuum rapiam.

OBSONARE Ter. Ad. 1, 2, 37. *obsonat*, potat, olet vnguentum de meo. *Varro de lingua lat. Libr. 6. vbi hunc locum laudat, pro* obsonat *legit* scortatur; *sed quum omnes ad vnum codices habeant* obsonat, *non est dubium, quin Varro memoria lapsus sit; quod existimauerunt ante nos Turnebus Adu. Lib. 23. C. 16. Barlandus et Bentleius ad h. l.*

OBSTIPVS, caput *obstipum, incuruatum, inclinatum in alterum humerum*; *ita stare solebant in Comoedia serui, significantes se acerrime attendere ad mandatum Domini, Belle igitur* Hor. Serm. 2, 5, 92. ad adulatorem heredipetam; stes capite *obstipo* multum similis metuenti.

OBSTRINGERE, ventos. Hor. od. 1, 2, 4. obstrictis aliis praeter lapyga i. *quasi occlusis aliquo carcere, respicit vates ad vtrem illum Aeoli in Od. x. vt iam Acron ad h. l. monuit.*

OBTICERE *de silentio, pudoris caussa seruato, sicuti* tacere *de consiliis,* reticere *de dolore fere vsurpatur.* Donat. *ad* Ter. E. 5, 1, 4. Adde Hor. Art. 284.

OBTVRARE aures legentibus. Hor. Epist. 2, 2, 105. *obturem* patulas impune legentibus *aures. Tractum a sacerdotibus Martis, qui, dum sacra celebrabant, cera obturabant aures, ne aliquo sono mens eorum inquietaretur.*

OCCLVSVS. Ter. A. 3, 3, 25. Dum eius libido *occlusa* est contumeliis *i. dum adhuc irae sunt inter Glycerium et Pamphilum.* (cf. v. 20.) adeoque eius amor frigescit.

OCCVLTVS, aeuum *occultum* Hor. od. 1, 12, 45. vid. *Aeuum*.

OCCVPARE, Hor. od. 3, 24, 3. Caementis licet *occupes* Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum. *Bene* occupare *de iis qui aedificia in ipso mari exstruunt, vt tum fiebat, luxus gratia, quasi suam terram, mare in vsum suum totum vertentes.* * Hor. od. 4, 9, 46. Rectius *occupat* (*sibi vindicat*) Nomen beati, qui Deorum Muneribus sapienter vti Duramque callet pauperiem pati. * Id. od. 3, 29, 44. Cras atra nube pater Polum *occupato* (*tegat*) vel sole puro. * Id. Art. 417. *occupet* extremum scabies. *Prouerbio vulgatum dictum, vbi contendebant inter se quidam, de maiori celeritate, v. c. quis primus venturus sit ad scopum quendam cursu; solebant tum sibi inuicem acclamare,* occupet extremum scabies, ein Schelm bleibt der lezte. *Quam apte h. l. referatur ad malos veloces poëtas,* qui scribunt ducentos pede stantes in vno versus, *vti Horatius alibi dicit, facile est cognitu.* * *Propria significatione vt sit* prehendere. Phaedr. 5, 8, 3, Id. 2, Epilog. 5.

OCCVPATVS, *occupatae aures.* Phaedr. 3, prol. 6. Non ergo causa est, manibus id tangi tuis, quod *occupatis* auribus non conuenit. *non causa est, quare dedicem atque tradam tibi librum, quem ob tua negotia, quibus occupatus es, praelegi tibi non pateris.*

OCVLVS Ter. Ph. 5, 9, 64. Vin' primum hodie facere — quo tuo viro *oculi* doleant? OCVLI DOLERE *dicebantur ei, qui, quod nollet, videret. Turneb. Sic Argyrippus apud Plautum Asin. 5, 1, 4. cum videret amicam suam cum patre accubare, atque is, molestumne ipsi esset, ex eo quaereret, respondebat:* Pietas, pater, oculis dolorem prohibet. *Est et alius huius formulae sensus, Graecis familiarior quam Latinis, expo-*

si-

positus a Pareo *in lex. Plautin.* p. 312.

ODIVM, *importunitas, molestia.* Ter. Ph. 5, 6, 9. Tu nunquam tuo *odio* vinces me. *Sic* odiosus *vsurpatur* Ph. 5, 8, 44. *Huc etiam pertinet* Hec. 1, 1, 48. fundendo atque *odio* denique effecit senex. *Est* ἓν διὰ δυοιν q. d. *odiose tundendo, atque impellendo.*

ODOR, odores liquidi, *de vnguentis* Hor, 1, 5, 2. *vid.* Liquidus.

OFFENDERE, *grauari,* Hor. Art. 290. Si non *offenderet* vnumquemque poëtarum limae labor et mora. *Si non poëta plerumque grauate scripta sua limaret, emendaret, et correctione politum carmen edere, maturum temporis longi cura factum, detrectaret. Bene* limae labor!

OFFENSVS, *actiue* Hor. Epod. 15, 15. Nec semel *offensae* cedet constantia formae, Si certus intrarit dolor i. *Neque si vere erga de iratus fuero,* cedam formae tuae, *cum tu semel me offenderis, sed constanti te odio prosequar.* Forma *est ipsa formosa puella,* offensa *est* quae offendit, *vt et alias occurrit. Sic satis elegans funditur, ex mea sententia sensus, neque opus est, vt emendemus cum* Bentleio offensi *pro* offensae, *vt referatur ad Horatium, et passiue intelligatur; qua quidem lectione nihil facilius intellectu, nihil difficilius creditu.* Baxterus *antiqua recepta lectione,* offensae *genitiuum statuit,* formae *datiuum hoc sensu, mea constantia non cedet pulchritudini puellae, quae semel offenderit. At prior explicatio expeditior!*

OFFICINA, *de homine* Hor. Epod. 17, 35. Cales venenis *officina* colchicis. *Ipsam mulierem officinam venenorum diserte dicit.* Vet. Schol. *Praeclare vero* officina *eo loco Canidia dicitur, cf. contextum.*

OFFICIVM, *munus, quo quis negotiis praeest* Phaedr. 3. prol. 5. momentum vt horae pereat *officii*

officii mei. * Phaedr. 1, 29, 6. *id quod quis honoris causa alteri facit. Ille* indignans repudians *officium; intell. de salutatione honesta.*

OLEA Hor. Epist. 2, 1, 31. Nil intra est *oleam*, nil extra est in nuce duri. *Ita certe in nostra et Gesneri Edit. editus versus: Sed tum* intra *est praepositio et* extra *adverbium, totusque locus fit durior putamine nucis. Bentleius ita edidit*: Nil intra est olea, nil extra est in nuce duri; *tum* in *referend. etiam ad* olea; Nil intra est in olea nil extra est in nuce duri. *Quae lectio magis placet? quae dignior Horatio? Adde frequentem hanc locutionem esse vt* od. 3, 25, 2. Quae nemora aut quos agor *in* specus. Virg. Aen. 6, 692. Quas ego te terras et quanta *per* aequora vectus Accipio. et *alibi* vid. Bentlei. ad loc. cit. od. 3. *Prouerbium esse*: nil intra est olea *cet. de iis qui sole clariora et manifesta negant, est notum.*

OLERE, olentis mariti vxoris, *de capellis.* Hor. od. 1, 17, 7. * Olens *Maeuius* Hor. Epod. 10, 1. *inuisus, et taeter omnibus, quasi foede oleret; non de taetro odore propria cum Schol. intelligo.*

OLIM, *aliquando, interdum.* Hor. Serm. 1, 1, 25. vt pueris *olim* dant crustula blandi Doctores velint elementa vt discere prima.

OLIVVM vitare, *de eo, qui luctam horret, oleo enim, vt palam est, luctaturi vngebantur.* Hor. od. 1, 8, 8. Cur *oliuum* sanguine viperino Cautius vitat.

OMISSVS. *negligens.* Ter. Ad. 5, 3, 45. at enim metuas ne ab re sint tamen *omissiores* paullo. ibid. H. 5, 2, 29. vbi te vidi animo *omisso.*

OPERA Phaedr. 5, 7, 5. princeps tibicen *operam* Bathyllo solitus in scena dare, *adiuuabat hunc mimum s. tibias inflabat ad quas saltaret Bathyllus* * *Operae pretium* est audire eorum audaciam; i. e. *admirabilis est*

est eorum audacia. Ter. A. 1, 3, 12. *Adde* Hor. Serm. 1, 2, 37. * cui *opera* vita erat. Ter. 2, 3, 16. *Magis placet lectio* in opere, *quam Bentleius quoque sequitur, quod cum usu loquendi magis conuenit atque etiam metro.*

OPERARI, *sacrificandi vetus verbum.* Hor. od. 3, 14, 6. Vnico gaudens mulier marito (i. *vxor, quae nihil habet, quo tam gaudeat, praeter maritum,*) prodeat, iustis *operata* diuis. vid. *Iustus. Cuningamius legit* vnice *pro* vnico; *et explicat, impense, vehementer; sed non opus.*

OPEROSVS, *quod multa opera et labore efficitur, operosum dicitur vt* diuitiae *operosiores.* Hor. od. 3, 1, 48. * *actiue pro eo, quod est magnae operae* Hor. od. 3, 12, 4. *operosa* Minerua. *ad gr.* ἐργάνη *quia lanificium in tutela Mineruae* * *operosa* carmina. Id. od. 4, 2, 31. *operosa* paruus *carmina* fingo.

OPES, *pro* auxilio *posit. explic. Schol. Vet. ad* Hor. od. 3, 3, 28. nec Priami domus periura pugnaces Achiuos Hectoreis *opibus* refringit. *Nota vero* h. v. *magnitudinem rei bene extollere, vnius Hectoris fortitudo opes sunt. Sic et occurrit haec vox apud* Hor. Epist. 1, 10, 36. * *robur* Hor. 4, 4, 59. Per damna per caedes ab ipso Ducit *opes* animumque ferro. *Comparatio vere poëtica et lyrica!*

OPIMVS triumphus. Hor. od. 4, 4, 51. Sectamur vltro quos *opimus* Fallere et effugere est *triumphus. Omnia verba pondere suo gaudent, omnia hic delecta quasi cum summa prudentia! perpende singula!*

OPINVS, *qui opinatur.* Phaedr. 1, 9, 6. ipsum accipiter, nec *opinum* rapit. *Vid. Schefferum ad hunc locum.*

OPPETERE Phaedr. 3, 16, 2. oppetere poenas. *Vid. Perizonium ad Sanctii Minerv. l. 4. p. 437. seqq.*

OPPONERE, auriculam. Hor. Serm. 1, 9, 77. Ego vero *oppono* auriculum; *ei qui antestatus erat*

Vet.

Vet. Schol. *Solebant testium aures tenere et ita dicere: Memento quod tu mihi in illa caussa testis eris. vid. Antestor.*

OPPORTVNVM, *quod se commode offert.* Phaedr. 2, 8, 4. opportuno se habili condidit.

OPPRIMERE, *hospes dicitur, qui ex improuiso aliquem conuenit, occupat.* Hor. Serm. 2, 4, 17.

OPTARE, *petere.* Ter. E. 5, 9, 27.

OPTATVS. Ter. H. 3, 3, 50. loquere optata i. e. *meliora ominare.*

OPTIME i. e. εὐκαιρῶς. Ter. A. 2, 1, 35. it. 4, 2, 3. cf. Plaut. Amphitr. 1, 1, 122. optimo, optime (*i. e. commodissimo tempore*) optimam operam das.

OPTIVVS *pro* optatus. Hor. Epist. 2, 2, 101. Fit Mimnermus, (*Elegorum scriptor celeber, vide Quinctil.* 10, 1, 58.) et *optiuo* cognomine crescit. *Sed Vet. Schol. pro* et optiuo, adoptiuo *positum putat, quod h. l. maxime congruum; eoque magis quod alias non causa esset cur Horatius* optiuum *dixerit pro consueto* optato.

OPVLENTARE *ditare; Festus notat, opulentos proprie dici rebus terrestribus copiosos.* Hor. Epist. 1, 16, 3. Ne perconteris, fundus meus — *Aruo* pascat herum, an baccis *opulentet* oliuae.

OPVS, *de auibus, pro melle, secutus Virgilium* Phaedr. 3, 13, 9. Alueos accipite et ceris *opus* infundite. * Ter. A. 2, 1, 37. Haud quidquam mihi (*scil. dixisti*) nisi ea, quae *nihil opus sunt* scire, h. e. *nihil nisi ingrata et molesta mihi dixisti* ἃ πῶποτε μοι τὸ κρηγυον εἰπας, Homer. Iliad. α. v. 106. * Terent. Ad. 4, 4, 15. quod *minime* est *opus* vsquam *efferri.* i. e. *quod nequaquam licet, quod non nisi cum summo malo potest efferri* cf. Hec. 1, 2, 29. *Significat enim* opus est, *saepius idem ac* refert, vtile est; Cic. de Clar. Orat. 2, 43. Illud etiamsi *opus est*, tamen est minus *necessarium. cf.* Id. Epist. Diu. 1, 9.

1, 9. *et* ad Attic. 13, 25. Id. Ibid. 4, 6.

ORBIS. Hor. Art. 132. Nec circa vilem patulumque moraberis *orbem*. i. *circa Systema illud fabularum poëticarum a Theogonia in de ad reditum Vlyssis, de quo Proclus in Chrestomath. p. 6. non itaque in hoc orbe quasi gyro te semper vertes, siue etiam in illo systemate quasi, quod conspicitur in eo poëta, quem imitaris. vid.* Patulus. * Hor. 3, 27, 75. tua sectus *orbis* Nomina ducet. vid. Secare. * Id. od. 3, 3, 7. Si fractus illabatur *orbis* Impauidum ferient ruinae; *pro* coelo *positum* orbem *hic multi putant; sed non est*, orbis *h. l. vt alias pro vniuersa terra et coelo simul accipiendus, si omnia corruunt, inquit poëta, impauidus est sapiens! Cur hic ad Anaxagorae commentum de coelo e lapidibus structo, et olim collapsuro confugiendum? Res, ni fallor, sic, vt exposui, plana est. Obiter noto, vt in plerisque locis, vbi vera sublimitas est, sic et hic gradationem quandam esse*, sapientem non mouet *populus*, non *tyrannus*, non *maris tempestas*, non *fulgur*, non *ruina vniuersi orbis. Sentisne, quam euehatur anima ipsa tua ab Horatio? ad quantum fastigium?*

ORBVS: litibus orbum Forum. Hor. od. 4, 2, 44. *est, Si propter triumphum aut supplicationem die nefasto nulla iudicia exercentur.*

ORCA, *olla graeca*, βύτα, *seu vasis genus ore angusto in formam* καυκαλίδ Vet. Schol. ad Hor. Serm. 2, 4, 66.

ORDINARE *res publicas.* Hor. od. 2, 1, 10. Vbi *publicas res ordinaris*, grande munus Cecropio repetes cothurno. i. *vbi belli ciuilis historiam conscripseris, id enim significare posse ostendit Gesner. ad h. l. vel* quod malim, *vbi praetor vrbi omnia, quae sunt in republica adhuc turbata, disposueris, et in suum ordinem constitueris. Hoc, inquam, malim*

lim (etiam perlecta Gesneri adnotatione, quae tantum probat, priorem sensum adesse posse) quoniam melius cadit in totum odae argumentum, quo eum ab scribenda Tragoedia belli ciuilis deterret propter inuidiam forte futuram, et denique pulchre cohaeret cum vers. 8. vid. Dolosus. * annos. i. *numerare* Hor. od. 4, 11, 20. Ex hac luce Maecenas meus affluentes *ordinat* annos. *Vet. Schol.* disponit toto anno facienda. *Perperam! vid.* Affluent.

ORICHALCVM, *Metallum etiam apud nos notum et vulgare* Messing; *non, vt vulgo putatur, illud pretiosum, ex auro, argento, aere et terra Cadmea;* Hor. Art. 202. Tibia non vt nunc *orichalco vincta alii leg. iuncta* pro *vincta.*

ORNARE *adornare.* Ter. E. 4, 4, 6.

ORARE Ter. E. 4, 4, 47. ora me. i. e. *simula, te iam me implorare: sic et Dacieria in versione:* Fais semblant de me prier.

ORATIO. *Difficilis est locus* Ter. H. pr. 13-15. *vbi prologus ait:* Sed hic actor, *inquit*, tantum poterit, a facundia, Quantum ille potuit cogitare commode, Qui *orationem* hanc scripsit, quam dicturus sum. *Si ad verba interpreteris hunc locum, non poteris, quin cum Guyeto vanitatis ac superbiae prologum accuses. Igitur vt huic loco medelam afferant interpretes, non vna ratione vtuntur. Guyetus in locum verbi* poterit *reponit* pote sit *quod est i. a. possit, vt fiat oratio optatiua; quasi diceretur* Sed vtinam hic actor tantum possit a facundia etc. *Westerhouius interrogantem putat esse propositionem, quamobrem interrogandi signo eam claudit. Bentleius autem pro* sed *reponit* si; *vt sensus hic sit:* si modo hic actor facundia sua aequare poterit poëtae ingenium. *Si quis ex me quaereret, cui ex his tribus*

tribus sententiae magis faueam, tabulamque posceret, non haberem certe, quod scriberem, nisi illam, dubitationis atque ambiguitatis, formulam N. L. — Ceterum sub oratione *h. l. non intelligitur reliqua pars prologi, sed ipsa comoedia quam actu-rus erat Ambiuius. In vniuerso hoc loco, quod equidem indignor, mire hallucinatur Dacieria.*

ORATOR Ter. H. pr. 11. *Oratorem* me esse voluit non prologum. i. e. *non ea me dicere voluit, quae alias in prologis dici solent. vid. Prologus, sed potius apud vos* aduocatum agere. (cf. Ter. Hec. prol. 2, v. 1.) *Addit enim versu sequenti,* me *actorem* dedit. *sic Hec.* pr. 2, 1. *orator* ad vos venio ornatu prologi.

OS, os magna sonaturum Hor. Serm. 1, 4, 44. *intelligo de ornamentis et figuris stili poëtici; de ea virtute, quam nos vocamus* poësin stili; *non hic sublimitatem quaeram, nam haec virtus non requiritur ab omnibus poëtis; atque illa potius est* os profundum *apud* Hor. od. 4, 2, 7; *requiritur autem* poëtica *vere oratio, ornamenta stili maiora, oratio grandior, quam quae in prosaica oratione insit.* Diuiniorem *mentem eod. vers. accipio de* ἐνθουσιασμῷ. * os rotundum Art. 323. Grajis dedit *ore rotundo* Musa loqui, *de elegantia intelligo, et venustate, de pulchritudine dictionis, quae vere poëtice cum* ore rotundo, *pulchro, venusto, comparatur.* Baxteri *explicationem,* ore rotundo est pleno, vt nil vel desit, vel supersit; *non intelligo.*

OSCITARE, *securum esse.* Ter. A. 1, 2, 9, 10. Id voluit, nos sic *nec opinantes* duci falso gaudio, *sperantes* iam, amoto metu, interea *oscitantes* opprimi. *Vbi obs. elegantem circumductionem s. periphrasin.*

OSCVLVM. Hor. od. 1, 13, 15. *Oscula,* quae Venus Quinta parte sui

nectaris imbuit. i. e. *quae mellea et tam dulcia sunt, vt multo nectare (quinta parte) venereo imbuta videantur. Laus puellae, qua nihil vnquam suauius et mirabilius legi! Lessingius h. l. festiue imitatus est.* Tom. opp. 1. pag. - - * *pusilla ora, per blanditiem.* Phaedr. 4, 23, 7. matronarum iusta delibo *oscula.*

OSTENTATVS Ter. E. 3, 5, 57. an ego occasionem mihi *ostentatam* tam breuem etc. *Ita plerique habent editi libri. Legendum vero est* occasionem mihi *ostentam*, tantam. Guyet. Faern. Bentlei.

OSTENDERE, *in lucem proferre.* Phaedr. 5, 5, 4. Nouitatem *ostendere.* 5, 7, 19. *ostendere* sese. 5, prol. 12. pauca ille *ostendidit*, ego plures dissero. * *ostentare* Phaedr. 1, 13, 9. dum vult vocem *ostendere.* * *docere* Id. 4, 10, 18. fabula *ostendit* 1, 9, 2. paucis versibus *ostendere* 3, prolog. 50. ipsam vitam et mores hominum *ostendere.*

OTIVM. Phaedr. 1, 25, 6. quamlibet lambe otio. i. e. *quiete, quantum libet, pota, sine trepidatione vel festinatione. Verisimillimum est, hunc locum esse depravatum, additionibus librariorum, qui sensui consulere voluerint. Codex Vetus ita habet: poëta, auede, noli timere, sedulo ait, at noli vereri, inquit, at ille facerem* etc. *sequimur Rigaltium, a Bentleio probatum, et, eo omni relicto, quod ad explicandum* το lambe otio *interpositum esse videtur e scholiis, hoc modo legendum censemus:* quamlibet lambe otio, noli vereri. At ille *etc.* * Ter. Ad. pr. 20. *distinguitur a bello et negotio.* Otium *nempe pertinet ad vitam priuatam; negotium vero significat vitam hominis remp. capessentis, vt et aliunde abunde constat.*

P. PA-

P.

PACARE siluas *pro* colere, *cultura fertiles reddere*. Hor. Epist. 1, 2, 45. Incultae *pacantur* vomere terrae. Gesnerus *in Thes. explicat* domantur; *non satis bene*.

PAETVS Hor. Serm. 1, 3, 35. Strabonem Appellat *Paetum* pater. *Vet. Schol.* Strabo dicitur qui est distortis oculis, Paetus autem, qui est oculis leniter declinatis, cuique huc atque illuc tremuli circumferuntur. *In laude id positum, nam ipsa Venus Paeta pingitur. Ceterum totus iste elegantissimus locus imitatio videtur esse* Platonis de Republ. 5. pag. 466. *quem iam expresserat ante Horatium* Lucret. 4, 1154. sq. *Dulcis obtinget, spondeo expertus ipse, comparanti haec inter se loca, voluptas.*

PAGVS festus, *in eleganti descriptione et hilari feriantium rusticorum* Hor. od. 3, 18, 12. Festus in pratis vacat otioso Cum boue *pagus*. *Plerique libri ridicule legunt* pardus *pro* pagus; *et* Bentleius *seria multa de hoc ridiculo scripsit. Ceterum similis est locus et festiuus* Hagedornianus ille *ex nostro Horatiano forte expressus* in Odis libr. 5. p. 98. Nun stellt sich die Dorfschaft in Reihen etc.

PALAESTRA apud Ter. Ph. 3, 1, 20. *per iocum dicitur domus lenonis, vbi Phaedria, suae causa puellae, misere se cruciabat.* cf. Plaut. Bacch. 1, 1, 32.

PALLA *vestimentum histrionum in Tragoediis, ad talos vsque demissum, cum longo fastu* Hor. Art. 278. *Pallae* repertor honestae Aeschylus. *De ipsa veste* vid. Oct. Ferrar. de re Vestiar. P. 1, 3, 18. * pro peripodio quod dicunt tunicae pallium, Vet. Schol. ad Hor. Serm. 1, 2, 99. *sc. muliebris vestis.* cf. Epod. 5, 65. et Serm. 1, 8, 23. *in vtroque loco* Canidia *hoc habitu risui exponitur.*

PALMETVM Hor. Epist. 2, 2, 184. ludere et vn-

gi Praeferat Herodis *palmetis* pinguibus; *qualia iuxta Hierichuntem, reditibus annuis fertilissima fuisse iam ex* Strabone 16, pag. 525. *notauit* Gesnerus *ad h. l.*

PALVS: paludes stantes Hor. od. 3, 27, 9. Antequam *stantes* repetat *paludes* Imbrium diuina auis imminentium. *priusquam stagnis incumbat cornix, quod signum tempestatis.* Plin. libr. 8. c. 35.

PANIS secundus, *niger, qui magna parte ex furfure constat, nec multo polline* Hor. Epist. 2, 1, 123. Viuit siliquis et pane secundo; *de poëta, sed lege integrum locum, et renidebis eo magis, quo magis vera esse senseris, quae confirmet Horatius.*

PAR pares fortitudinis Phaedr. 4, 15, 6. *Recte ita Genitiuo iungi* par *et* dispar, *probant multis exemplis Viri docti ad h. l.* cf. Burmannum.

PARARE Hor. od. 1, 29, 2. Acrem militiam *paras. Sed Cel.* Reiske *emendat* parans; *quod mihi valde arridet.* * *emere* Phaedr. 4, 4, 41. Deformis cultum vendet, vt vinum *paret. Frustra* Gronouius *et alii de emendatione cogitant, legentes* petet *pro* paret, *atque* et *pro* vt. *namque sacpius ita* parare *occurrit.*

PARASITASTER Ter. Ad. 5, 2, 4. Est alius quidam, *parasitaster* parvulus. *vide* parasitastrorum *descriptionem pulchram in* Eun. 2. 2, 17. sqq.

PARATVS; Hor. od. 1, 31, 17. frui *paratis* et valido mihi, Latoe dones. h. e. *rebus, quae sint in promptu omnibus; non luxuriei desideratis, non pretiosis.*

PARCERE, parcentes dextrae. *elegantissime de otiosis in compotatione, quae neque lyram percutiant, neque spargant rosas. vid. ipsum* Hor. od. 3, 19, 21. * parcere *pro* cunctari Hor. od. 3, 28, 7. *Parcis* deripere horreo amphoram * Id. od. 3, 14, 12. male nominatis *Parcite* verbis. vide Nominatus.

PARCVS. Hor. od. 1, 34, 1. *Parcus* Deorum cultor i. *qui auarus quasi eos parce colui victimis. Tota haec Ode variis expositа rationibus est: tu relictis omnibus Interprett. adi* Lessingium Opuscul. To. III. pag. 75. seqq. *et omnia leges optima.*

PARIES. *Solebant Veteres, maxime poëtae, et scriptores parietes habere ceratos, vt, si quid forte in mentem venisset, statim in eo inscriberent. Hinc* Hor. Serm. 2, 3, 8. Immeritus laborat Iratis natus *paries* diis atque poëtis. i. *infelix paries; at quam lepide* iratis diis natus, *quasi animum dat parieti et cum illa venustate, quam nos vocamus* Laune, *augetur venustas addito vocabulo* poëtis *sc. natus iniquis. vid. etiam voc.* Laborare.

PAROCHVS a παρέχειν, *qui praebet coenam conuiuator* Hor. Serm. 2, 8, 36. * Hor. Serm. 1, 5, 46. *Parochi*, qui debent ligna salemque (Praebuere) *Vet. Schol. ad h. l.* Erant qui legatis, Reipublicae causa iter facientibus, necessaria praebebant, publici muliones.

PARRA, *auis infelicis in auspiciis ominis, viridis coloris* Hor. od. 3, 27, 1. Impios *parrae* recinentis omen ducat etc. *Impiis obiiciantur eiusmodi inauspicata ostenta, parra canens, praegnans canis (qui ideo magis male ominatus, quod hostes plures sint) rana, lupa et serpens, qui omnia infausta habebantur auspicibus.*

PARS Ter. H. prol. 1-3: Ne cui sit vestrum miram, cur *partes* seni Poëta dederit, quae sunt adolescentium, Id primum dicam, deinde quod veni eloquar. Partes *in fabulis dramaticis ea esse, quae a quoque actore edisc enda et recitanda sint, (die Rollen) omnibus notum est. Illud obscurius, quae sint hoc loco* partes adolescentium, *quas dicitur poëta* seni *dedisse. Obseruandum igitur est, prologum semper ab* adole-

scente *recitatum esse. Quamobrem cum hic ipse prologus a sene, qui erat L.* Ambiuius Turpio, comoedus, *recitaretur, non erat absonum, sed necessarium potius, vt quae causa fuerit mutatae consuetudinis, spectatoribus indicaretur. Quod autem attinet ad versum prologi tertium:*

Id primum dicam, deinde quod veni eloquar

in varias partes abeunt interpretes, quo possint istam difficultatem explicare. Guyetus *arbitratur, hunc versum esse corruptum, atque sic restituendum:*

Id *deinde* dicam, *primum* quod veni eloquar.

Addit enim, vt opinionem confirmet, hoc ex ipso verborum prologi contextu intelligi. Eum nempe a vers. 4. *ad.* 9. *dicere autumat ea, quod venit,* i. e. *ob quae venerit; ac* deinde *scil. a versu* 10. *explicare, cur a Terentio ipsi partes datae sint, quae fuerant adolescentis.* Westerhouius *nihil habet, quod in textu corrigat, sed existimat, vers.* 4. *et seqq. vsque ad nonum continere parenthesin quandam, quae comoediam breuiter describat, atque de eius origine narret.* Deinde *ad versum* 16. *sequi ait excusationem, cur Ambiuius senex adolescentis personam in recitando prologo susceperit. Extremae Orationi, a versu* 16. *ad finem, inesse putat propositum illud, de quo dictum esset;* deinde quod veni eloquar. *vt adeo neque de textu corrigendo cogitandum sit, neque* ὑστερολογιας *poëta insimulandus. Sed non cogitauit Westerhouius, omnem a versu* 9. *orationem tam arcte cohaerere, vt non possit a versu* 16. *iterum secari, atque disiungi. Nam quae a versu* 16. *dicuntur, eo fine afferuntur, vt demonstret Ambiuius, quid sit, quod partes adolescentis hoc loco susceperit.* Bentleius *ergo tertiam opinionem attulit, quam non dubito*

ceteris

ceteris omnibus anteferre. Cum *nimirum in aliis comoediis ii, qui prologum recitassent, statim discederent, et locum histrionibus facerent, in hac secus fuisse, atque Ambiuium, prologo finito non abiisse, sed personam Chremetis illico suscepisse contendit. Quam ob rem, si dicitur*, id primum dicam, *sermo est de vniuerso prologo; ac si additur*: deinde quod veni eloquar, *idem hoc esset, ac si diceretur*: deinde fabulam ipsam peragam, ad quam agendam huc veni. *Haec interpretatio cum ceteris rebus tam aperte conuenit, vt, quin vera sit, ambigi nequeat. Neque hoc mirum debet videri, quod vnus idemque Ambiuius primum prologi, deinde statim histrionis, siue Chremetis personam sustineat; namque aliud eius rei exemplum videmus in* Plauti Amphitryone, *vbi Mercurius initio prologum recitat, postea statim cum Sosia* Act. 1. sc. 1. *congreditur.* * *Bene* Hor. Serm. 1, 1, 18. *hac significatione vsus*: Vos hinc mutatis discedite *partibus* i. *generibus vitae, quasi Scena esset vita* (vt Cic. Somn. Scipion. c. 3.) *vbi genera eius* partes. *sic et Phaedr.* 4, 25, 24. etc. Hor. Epist. 2, 1, 171. et Id. Art. 192, 194, atque 315. * Hor. Epod. 2, 39. pudica mulier *in partem* iuuet domum. i. *non in mediam partem, vt explicat Baxterus, sed* pro virili, *pro sua parte.* * Ter. H. 1, 1, 5. *dicitur* in propinqua parte *pro adiectiuo solo* propinquus; *quod vide.* * Ter. Ad. 2, 1, 20. Non innueram, verum in istam *partem* potius peccato tamen. *Aeschinus iam imperauerat Parmenoni seruo, vt, si innueret, continuo Sannionem verberaret. Iam cum Aeschinus vellet citharistriam domum deducere, Sannioque obstaret*, omitte, *inquit*, mulierem. *Quod cum dixisset illico Parmeno Sannionem plagis onerat; hic exclamat,*

mat, indignum facinus esse; Parmenoni autem in aurem dicit Aeschinus ea verba, quae supra posuimus; Etsi non innueram, seu nutu iusseram, Sannionem verberari; tamen non disciplicet, eum vapulasse. Namque malo te in istam partem peccare, quae est tutior, scilicet „vt verberes, non iussus potius, quam vt iussus non verberes„ Haec cancellis inclusa verba eo lubentius ex Donato descripsi, quo rectius h. l. sensum constituunt. Ceterum, quod Victorius Var. et Ant. Lect. libr. 15. c. 6. *existimat,* Ciceronem *ad h. l. respexisse, quum,* in Orat. pro Roscio Amer. c. 20. *de canibus loquatur, eosque in eam potius partem peccare dicat, quae sit cautior, nimium ingeniosus, hoc est, falsus esse mihi videtur.*

PARTVMEIVS Hor. Epod. 17, 50. *ad Canidiam:* Tuusque venter Partumeius *(vitiose in Edit. nostra exstat* partum eius) i. *et tuus venter facile parit;* partumeius *ridicule fictum verbum a* partu et meiendo, *quasi tam facili nixu pariat, vt* meiere *tantum videatur. Sed cum plerique Codd. habeant* Pactumeius, *probentque satis Viri docti, lectio haec forte accipienda est.* Tuusque venter Pactumeius i. *filius verus tuus est* Partumeius, *vide etiam voc.* Venter.

PARVVS Ter. E. 3, 5, 27. Num *parua* causa aut *parua* ratio est. *Sic vulgati habent libri; Abhorret autem, ni fallor haec tautologia a Terentii eleganti consuetudine.* Bentleium *ergo sequimur, qui e* Palmerio *lectionem ita restituit;* num parua causa aut praua ratio est! *quo verborum lusu* Ciceronem *vsum deprehendimus* ad Attic. libr. 1. Ep. 13. Consul autem ipso *paruo* animo et *prauo. Eius etiam generis lusum amare Terentium, quis demum est, quem fugiat?*

PASCERE *s. alere barbam, erat mos Philosophis, inde*

de iam ab Socratis tempore, quem Flaccus facete ludit Serm. 2, 3, 35. Tempore quo me solatus iussit sapientem *Pascere barbam. Similis licet ignobilis lusus reperitur in* Aristophanis Nebulis.

PATENS, epithet. maris, *terribile et venustum, vbi sc. sine littoris alicuius aspectu in mari es, qs. patet circum quaque aqua.* Hor. od. 2, 16, 1. Otium diuos rogat in *patenti* Prensus Aegaeo, *Gesnero legenti* impotenti *non assentior, quia Aegaeum mare h. l., vt saepissime apud poëtas, pro vnoquoque mari ponitur. Nimis est in toto h. l., alias cautus vir, ad emendandum proclinis. Coniicit enim ita* leg. o. d. r. IMPOTENTI PRESSVS Aegaeo simul atra nubes condidit lumen. *Venusta omnia, sed, quidni et vulgata lectio?*

PATER *pro Ioue ipso.* Hor. od. 3, 19, 44. Cras vel atra nube polum *pater* occupato vel sole puro. * Hor. Art. 247. offenduntur enim quibus est equus, et *pater* et res. i. *equites et patricii, et locupletes, adeoque qui sunt honestiori censu.*

PATERA, *poculum latum et patens, e quo primitias vini, vt mos erat, cuidam numini effundentes, consecrabant.* Hor. od. 1, 31, 2. Vates quid orat de *patera* nouum Fundens liquorem? i. *noui vini primitias consecrans; vbi vota solemni ritu vouebant. vid.* Dedicatus Id. od. 4, 8, 1. Donarem *pateras* grataque commodus – – Aera. *intell. argenteas eiusmodi ventricosas phialas.*

PATI *de bonis, quae quis ita fert, vt eis contentus maiora haud arroganter oppetat.* Phaedr. 1, 3, 14. Si quod natura dederat voluisses *pati: Sic,* Fortiter qui malum patitur, idem post *patitur* bonum. *Plautus.* * Ter. H. 4, 4, 14. *pro* facere; *per Graecismum; Notum est, a Graecis verbum* πασχειν *sic vsurpari,* occurrit *statim, cum haec scripsissem, in* Luciani

dial. χαρωνος και ἑρμα, vt orator ἐκ ἑνον μεν, dicat, – τί γαρ ἀν και παθοιμι;

PATIENS Hor. od. 1, 2, 43. almae filius Maiae, *patiens vocari* Caesaris vltor. *Graeca plane ratione loquendi.* Cel. Reiske *inciſum transfert a medio verſu in extremum; vt ſit*, Caesaris vltor, *vocatiuus*; *Auguſtum alloquente poëta.* * Lacedaemon *patiens.* Hor. od. 1, 7, 10. *propter diſciplinam illam rigidam, qua patientes Spartani cuiusque moleſtiae et laboris erant.* * patiens ſolis atque pulueris; *de eo, qui militares labores tulit, et ferre poteſt.* Hor. od. 1, 8, 4. *Sed Cel. Reiske emendat* impatiens pulueris a. S. *quia de Sybarita ſermo, qui certe nunc non ferre poſſet labores militares.* * Hor. od. 3, 10, 20. Non ſemper erit liminis aut aquae Coeleſtis *patiens* latus. *non vsque ſic patiens ad limen aſperum porrectus iacebo et pluuiae tollerabo inclementiam.* * Hor. Art. 257. Spondaeos ſtabiles in iura paterna recepit Commodus et patiens. (*Iambus pes*) *Quam venuſte et lepide exprimit poëta, ante aliquod tempus coeptum eſſe, ſpondaeos pedes immiſcere generi Iambico!*

PATERNVS, *patri ſimilis.* Ter. Ad. 3, 4, 4. Pol haud *paternum* iſtuc dediſti.

PATRVVS. *adiect.* patrua lingua. Hor. od. 3, 12, 3. Miſerum eſt – exanimari metuentes *patruae* verbera *linguae; bene* exanimari *de ſummo metu quo animus fere linquit, et dura cuſtodia* patrui nota eſt, vnde Id. Serm. 2, 3, 88. ne ſis mihi *patruus. de cenſore iniquo.*

PATVLVS Hor. Art. 132. Nec circa vilem *patulumque* moraberis orbem. i. *qui quaſi omnibus pateat adeoque vilis; per allegoriam elegantem monet poëtam, non nimis anxie ea retinere in tractando argumento, quae ſunt nota et dicta, adeoque omnibus quaſi patuiſſent, quae omnes ſic*

sic fingere potuissent; vers. seq. non regulam esse interpretis quis non videt?

PAVIDVS, custos pauidus h. e. *sollicitus, cautus* Vet. Schol. Hor. od. 3, 16, 6. Si non Acrisium, virginis abditae (*e conspectu summotae et occultae*) *custodem pauidum* Iupiter et Venus risissent. Pauidus *erat propter oraculum, quo praedictum, fore, vt Danae filius occideret patrem.*

PAVITARE *morbi alicuius insultum subsentire* Ter. Hec. 3, 1, 40. Vxorem Philumenam *pauitare* nescio quid dixerunt. *Statim interrogat* Vers. 43. *Pamphilus:* quid morbi est?

PAVPER Hor. Epist. 2, 2, 12, Meo sum pauper in aere; *pauper ita, vt nulli quidquam debeam.*

PAVPERARE *pro* priuare Hor. Serm. 2, 5, 36. Eripiet quiuis oculos citius mihi quam te Contemtum cassa nuce *pauperet. Legendum vero cum omnibus Msc.* quassa *pro* cassa: *sic etiam alibi* quarere *pro* carere *reperitur. Mirum hic* Bentleium *legere* cassa, *cum ille alias semper antiquare soleat.*

PAVXILLVLVM Ter. Ph. 1, 1, 3. „Est quartus gradus diminutionis, paullum, paullulum, pauxillum, pauxillulum„ *Donat.*

PAX: *interiectio admirantis.* Ter. H. 2, 3, 50. * *pro* reconciliatione Ter. H. 5, 2, 45. potius pacem in leges conficiet suas; i. *dum cum patre in gratiam redibit, suas opportunitates non negliget.*

PECCARE, *de vento sereno, spem frustrante, et tempestates ciente.* Hor. od. 3, 27, 20. Noui — quid albus *Peccet* Iapyx: *valde poëtice de inconstantia quasi et perfidia venti, qui, cum serenitatem polliceatur, et placidam tempestatem, subito tamen fidem quasi frangat, et violentius spiret. vide voc.* Albus. * Hor. Serm. 2, 7, 64. illa tamen se Non habitu, mutatue loco, *peccetue* superne. *Difficilis,*

cilis, *in tanto praesertim interpretum dissensu, locus; sed vide* Superne: *vocabulum* peccare *de venerea re saepius vsurpatur* e. g. Hor. od. 1, 27, 16, 17. od. 1, 33, 9. od. 3, 7, 19. Serm. 1, 2, 63. It. Serm. 2, 7, 62. * Phaedr. 1, 8, 2, Qui pretium meriti ab improbis desiderat Bis *peccat*; primum quoniam indignos adiuuat, Impune abire deinde quia iam non potest. *Male agit qui beneficii gratiam exigit, quod in malorum societatem abit, adiuuando improbos suo beneficio: deinde errore labitur turpi, gratam sibi fore operam improbo praestitam sperans, a quo tamen, si sine vllo suo ipsius detrimento pedem referre potest, magnum sane* iam *esset, nec fieri tamen* nunc *potest.* Gebhard. Crepund. 3, 10. *legit* inanis *pro* iam nunc; *male, non sentiens vim particularum* iam non; *iam nunc non potest abire* impune, *sine damno, vt ante quam benefecerat improbo. de quo plura* Burmannus *et ad h. l. et ad* Ouid. 2, Art. 93.

PECTVS *ingenium* Hor. Epist. 1, 4, 6. Non tu corpus eras sine *pectore; voc.* eras *ad nascendi felicitatem bene refert* Gesnerus. *Sic et versa vice* Ingenium *occurrit pro* pectore, *vid,* Ingenium.

PEDES *pro* plebe, *ad augendum ridiculum, quasi de exercitu sermo esset. opp. ordo plebeius equestri, et quia ridiculas magis poëta, quem etiam plebs ridet, quod posterius Gesnerus iam notauerat* Hor. Art. 113. Romani tollent equites *peditesque* cachinnum. Bentleius *legit* equites patresque cachinnum, *quam equidem lectionem non temere abiiciendam censeo, quia non est plerumque plebis, diiudicare, an satis recte expressus sit character, an dicta satis cum fortuna personae conueniant, vtrum sint absona an apta; nisi hic de talu re-*

cto

cto iudicio ageretur, et delicato ſaepe, contra Bentleium lubens antiquarem; nunc tamen, quia tot viri doctiſſimi agnouerunt vulg. lectionem pedites, *veram, fluctuo fere, et cenſeo* N. L.

PEDESTER Hor. Art. 95. Tragicus plerumque dolet ſermone *pedeſtri; perſonas dolentes, querentes inducit vtentes ſermone, oratione iacente, modeſta, vacua ab luminibus multis orationis poëticae.* opp. pedeſtris ſermo λογος πεζος orationi grandi, *non de plebeia aut comica cum nonnullis cogitandum. Verſ. ſequenti habes huius praecepti exempla.*

PEGMA *machina ſ. contignatio in ſcenis, pro diuerſitate argumenti adornata, in qua ſtatuae, res, vel homines tollebantur, vel deprimebantur, adhibitis ponderibus.* Rittershuſ. ad Phaedr. 5, 7, 7, dum *pegma* rapitur, i. *cum celeritate tollitur* l. *deiicitur. vid. plura de hac Machina apud* Lipſ. de Amphitheatro c. 22.

PEIERARE: ius peieratum *pro* periurium Hor. od. 2, 8, 1, Vlla ſi *iuris* tibi *peierati* Poena Barine nociuiſſet vsquam.

PELIVS *notiſſimus ille, fabulis Medeae, et Iaſonis naue, cui arborem dederat, mons Theſſaliae, ſed longe venuſtiſſime* Phaedr. 4, 6, 6, Vtinam nec vnquam *Pelii* nemoris iugo Pinus bipenni concidiſſet Theſſala. *Eſt iſtud principium Medeae Euripidis, quo ſimulat auctor facete ſe iam Tragoediam ſcribere velle, quo et παραπροσδοκιας artificio lectoris mentem acueret, incitaretque cupiditatem: poſtea eadem plane ratione, ex inopinato, dum lector curioſe ambigit, quid ſibi haec omnia velint, cito orationem detorquet ad id quod cupit, ſententiam apponens nobilem. Perlege ipſe totam fabulam; et, niſi me omnia fallunt, iraſceris* Chriſtio, *qui aetate Auguſti aurea indignas*

gnas haſce fabellas tribuere conetur recentiori homini fruſtra.

PELLIS: nigrae pelles *i. calcei.* Hor. Serm. 1, 6, 27. Nam vt quisque inſanus *nigris* medium impediit crus *Pellibus* et latum demiſit pectore clauum. *Calcei Senatorii ex nigra aluta vsque ad medium crus producebantur; tunicam* lati claui, *ornata purpura aſſuta clauorum ſpeciem praebente, fuiſſe inſigne maiorum magiſtratuum, notum eſt. Facete h. l. deſcripſit poëta Senatorem nouum, prodeuntem laetum in forum.* * Id. od. 2, 20, 10. Iam iam reſidunt cruribus aſperae *Pelles. Pulchre de cute cygni* aſperae pelles, *in quam* auem ſe mutari, (h. e. *fieri ſe poëtam nobilitatum inter omnes gentes*) *dulci allegoria hac ode oſtendit.*

PELLITVS Hor. od. 2, 6, 10. pellitae oues i. *pellibus tectae, quo conſeruetur lana; quia hae ad Galeſum oues lanam tenerrimam et pulcherrimam ferebant, pellibus tegebantur. vid. iam cit. ab* Geſnero Varron. R. R. 2, 2, 18.

PENDERE Phaedr. 5, 8, 1, curſu volucri *pendens* in nouacula i. e. nec ſtans nec *deſiliens, ſed tam leui talo inſiſtens aciei nouaculae, vt iam auolaturа videatur. Ita dixit* Id. 2, 4, 18. *ſuſpenſo* pede. *Sunt qui praepoſitionem* in *aliter interpretentur, de quo vid. voc.* In. * Ter. E. 5, 7, 20. tu iam *pendebis i. e.* ad trabem ſuſpenſus vapulabis. *Plena eſt phraſis* Ph. 1, 4, 43. Ego plectar *pendens.*

PENDVLVS. Hor. Epiſt. 1, 8, 110. neu fluctem dubiae ſpe *pendulus* horae; *pulchre de vitae diſcrimine* * Id. od. 3, 27, 59. *Pendulum* zona bene te ſecuta Laedere collum. *vid.* Laedere.

PENETRALE Veſtae, *cum ſanctum ſit palladium, vnde ſupplices extrahere, aut quiduis rapere nefas, pulchre, tam ſacroſancta peccata ſua ſaepiſſime poëtas exiſtimere, vt nolint ex poëmati-

matibus, ceu Vestae penetrali, vel aliquod verbum malum deleri, canit Hor. Epist, 2, 2, 114. Verba mouere loco quamuis inuita sequantur et versentur adhuc intra *penetralia* Vestae. *Vet. Schol.* Quamuis sacrosancta videantur.

PENITVS diligere i. *vehementer, deperire* Hor. od. 1, 21, 3. Latona supremo Dilecta *penitus* Ioui. *Simili fere significatu apud Eund.* od. 1, 13, 8. Quam lentis *penitus* macerer ignibus. *Vet. Schol.* valde interius.

PENSILIS vua Hor. Serm. 2, 2, 121. *Pensilis vua* secundas et nux ornabat mensas. *in hyemis vsum suspensa. Dicitur haec vua etiam* passa Hor. Serm. 2, 4, 72. Rectius Albanam fumo duraueris vuam.

PER laborem plurimum Hor, od. 4, 2, 30. Apis Mantinae More modoque Grata carpentis thyma *per* laborem plurimum. Bentleius *refert* plurimum *ad seq. voc.* nemus: *pingitur autem sedulitas apis, ipsius poëtae adeo, melius, si refers nobiscum ad laborem, vt significet idem ac* operose. * Hor. od. 4, 4, 59. *Per* damna *per* caedes ab ipso Ducit opes animumque ferro. (Ilex) *dum accipit damna, patitur caedes. comparatio ipsa sublimis vere est.* * *per* fabellas. Phaedr. 2. prol. 2. Exemplis continetur Aesopi genus Nec aliud quidquam *per* fabellas quaeritur. *in fabulis.*

PERAMBVLARE crocum Hor. Epist. 2, 1, 79. Recte necne crocum floresque *perambulet* Atta. *vid.* Crocum.

PERCVTERE *de delectatione excitante, rühren, begeistern* Hor. od. 1, 7, 11. Me nec tam patiens Lacedaemon Nec tam Lariſſae *percussit* campus opimae. Cuningamius *ita legit:* Nec tam percussit Lariſſae etc. *cui lectioni equidem subscribo.* * cameram malorum feminibus Hor. Serm. 2, 3, 273. *vid.* Camera.

PERDERE Ter. Ph. 1, 2, 26. Scapulas *perdidi*, i. tot

tot affectus sum verberibus, vt scapulae omnem sensum amitterem.

PERFIDVM ridens Venus i. *dolose, pingit hoc vnum verbum Veneremp aetam, renidentem, nec hoc loco potuit fieri, vt melius aliud vllum et significantius esset vocabulum* Hor. od. 3, 27, 67.

PERICVLVM Ter. H. 1, 2, 36. Hoc scitum est *periculum*, (*exemplum, experimentum*) ex aliis facere tibi, quod e re sit.

PERIRE, *misere se habere* Hor. od. 1, 25, 7. Me tuo longas *pereunte* noctes, Lydia dormis? *Sunt haec verba particula quaedam amatoriae cantilenae, παρακλαυσιθυρου, quam canit amans iuuenis ad fenestras Lydiae.* Bentleius *pro* longas noctes *legit* longam noctem, *quod mihi, etiam perlecta Baxteri refutatione, valde arridet.* Id. od. 1, 27, 12. Qua *pereat* sagitta, *de amore.*

PERISCELIS *ornamentum cruris, tibialia delicatu larum, fasciolae pretiosae* l. *compedes mulierum, quales reperies* in Petron. Trimalch. c. 67. Hor. Epist. 1, 17, 56. Saepe catellam saepe *perisce lidem* raptam sibi flet.

PERPETVVS: carmen *perpetuum apud* Hor. 1, 7, 5. *intelligo carmen, quod constet meris laudibus in Athenas; forte alludit ad eiusmodi suae aetatis poëmata, quae vnum hoc argumentum, vt Athenarum praeconia, complecterentur.* * *pro* perfectum, integrum, plenum. Ter. Ad. 5, 9, 15. Vtinam hoc *perpetuum* fiat gaudium.

PERPRIMERE Hor. Epod. 16, 38. Mollis et exspes Inominata perprimat cubilia; *quasi cubando premit, perpetuo incolit. Notatur hac voce segnitiae assiduitas.*

PERSALVTARE deos Phaedr. 4, 11, 2. *est omnes ordine salutare. Ita etiam Cic.* or. Flacc. 18. Quia sit ita ambitiosus, vt omnes vos nosque quotidie *persalutet.*

Sic

Sic perrogare sententias Liu. 29. c. 19.

PERSCRIBERE, *pecuniam alicui per scripturam tradendam curare* Ter. Ph. 5, 8, (al. 7.) 30.

PERSICVS: apparatus persici *sunt sumtuosi*, *magnifici* κατ' ἐξοχην, *quia vnguenta persica pretiosissima; hinc* Hor. od. 1, 38, 2. Persicos odi puer apparatus. *Sunt qui de vnguentis persicis proprie intelligant.*

PERSONA honesta, *larua modestior, humanior, quam instituit Aeschylus, cum antea actores faece vini tantum faciem perunxissent.* Hor. Art. 278. * *de splendore vitae* Hor. Serm. 1, 2, 60. an tibi abunde *Personam* (*Matronam*) satis est, non illud quidquid vbique Officit, euitare. *Ita locum iam intellexit Baxterus, nec aliam interpretationem attulit* Gesnerus. *Sed mihi totus iste locus suspicionem mouet non exiguam. Miror neque alios interpretes, neque ipsum Aristarchum Horatii, Bentleium, super hoc loco verbum vllum protulisse. Atqui hic erat, si vllus alius, qui et doctam viri, alias ostensam, aurem offendere, et sagacitatem excitare potuisset. Namque primum statim vox* persona *eo sensu occurrit, qui apud Horatium nusquam; in aliis scriptoribus quidem, sed raro, sed adiecto alio semper verbo, occurrit. Quam dubitationem etiamsi concedamus non eam esse, quae emendationem posset suadere, porro ipsum vocabulum* persona *tam ambiguae significationis est, modo enim indignitatem, et sordes, modo dignitatem et honorem notat, vt hoc saltim loco sine vlla alia adiecta voce Horatius non posuerit facile; tota enim loci perpetuitas redditur vaga, incerta. Quid enim est?* Satis abunde est personam euitare, non illud quidquid vbique officit. *Deinde illud* abunde satis *non redolet miram Horatii, solemnemque, in verbis diligentiam. namque non*

vlla maior vis rei additur illo abunde *satis. Neque illud vere satis dici potest, esse* comicum pleonasmum, *qui rem festiue augeat; fuisset enim uero non suo profecto positus loco. Denique vide facilem librariorum lapsum. Versus praecedens cludit voce* vnde. Verum est cum mimis: est cum meretricibus, *vnde* Fama malum grauius, quam res trahit: an tibi *abunde. Quid* procliuius *factu, quam errasse oculos describentis, aut praelegentis, atque ex fine posterioris versus in prioris finem incidisse. Erat, ni fallit coniectura, scriptum* ABVTI; *hinc eo, quo dixi, modo migrauit in contextum* ABVNDE. *Atqui vero, vt hoc non omittam, aures Horatianae vix tolerassent tres deinceps versus exire in tam similem, offendentem sonum,* vnde, abunde, vbique. *Sic enim hi tres versus finiuntur. Iam videamus, qui sensus ex nostra emendatione fundatur.*

Lego:

verum est cum mimis; est cum meretricibus, vnde Fama malum grauius, quam res trahit: an tibi ABVTI Personam satis est, non illud quidquid vbique Officit, euitare.

Habes sensum, si quid video, planum, rectum, conuenientem Horatianae sententiae. An satis est, *inquit poëta, euitare, cauere,* Personam *abuti,* non euitare, quidquid vbique afficit. *Vox* abuti *vero de adulteriis vsurpari et quidem de ciuibus vitiatis, honestis personis, vel ex isto Terentii loco notum est.* Phorm. 2, 2, (al. 3.) 66. Itane tandem quaeso *ciuem* vbi ABVSVS sis, Mercedem dare lex iubet ei, atque amittere? an vt ne quid turpe ciuis in se admitteret Propter egestatem, proximo iussa est dari, vt cum vno aetatem degeret. *Adiecto vero verbo illo* abuti, *vocabulum* Personae, *satis definitur, nec ambiguum amplius est. Quodsi viris criticae artis*

tis peritis displicuerit omnis emendatio, aut mea saltim, condonabunt, spero, dubitationi errorem, in quem non mea me abripuit libido, sed conatus sollicitudine de hoc loco me ipsum liberandi; inuenientque me, probabili prolata alia siue explicatione, siue emendatione, facilem ad retractandam omnem disputationem meam. Hoc vnum tamen quin addam nequeo, si cui paullo insolentius videatur dici euitare abuti, *esse h. l.* ἀπὸ τῆς κοινῆς, *figuram notissimam et vocab.* euitare, constr. cum abuti *valere idem ac* cauere, *qua significatione saepius occurrit.*

PERSONATVS pater, *in comoedia inductus* Hor. Serm. 1, 4, 56, Quinis stomachetur eodem, Quo *personatus* pacto *pater. Forte respicit ad comoediam* Terentii, *vbi iratus Chremes tumido delitigat ore. Totus iste locus praecipit de genere orationis comoediae et Satyrae, non poëtica, vnde haec genera vix posse putat Horatius ad poësin referre.*

PERSTREPERE ἐνεργητικῶς, *cum strepitu percurrere.* Ter. Ph. 5, 8, 30.

PERTINERE *proprium verbum de iis, quae quid portendunt, atque significant* Phaedr. 3, 3, 7. Monstrum *pertinet* ad domini caput, *imminentem mortem annunciat. Sic eleganter* Phaedr. 1, 30, 11. Caput ita ad nostrum furor illorum *pertinet.*

PERVICAX Achilles Hor. Epod. 17, 14. i. *inexorabilis. Solet Horatius plerumque epithetis Horatianis vti.*

PERVIDERE. Hor. Serm. 1, 3, 25. Cum tua *peruideas* oculis mala lippus inunctis, cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? Bentleius *et* Cuningamius *legunt*: praeuideas oculis m. l. in.; *idem contendentibus Rutgersio, et Nicolao Heinsio ad* Ouid. Pont. 1, 7, 43. *et tum* praeuideas *esset positum pro* praeteruideas, i. *negli-*

gas, praetereas, παραβλεπης. Sed hoc sensu praeuidere nusquam est. Cur igitur emendemus sic, vt plane nouam, et quoad scimus, Latinis inauditam significationem constituamus? Videtur ipsum id Gesnerus contemplatus, qui in Thesauro in voc. peruidere, et praeuidere plane conspirauerat cum Bentleio et Cuningamio, sed in nota ad h. l. retractat sententiam suam, nec assentitur lectioni huic: praeuideas. Recte, puto; esset enim, vt dixi, emendatio, qua magis temeraria non altera foret. P. Victorius Var. lection. 20. ait h. l. peruidere esse idem ac negligere, conniuere, παραβλεπειν, quod Lambinus ad h. l. bene refutat, quia scilicet nullo alio in loco sic occurrat, et contraria huic sensui sint seqq. oculis lippus inunctis. Sed ipse nihil explicationis addit. Gesnerus in sua edit. h. l. ita enodare studet: etiam cum PERVIDERE h. e. accurate recensere mala nostra volumus, lippi sumus ab amore nostro nimio, inunctos habemus oculos collyriis adulationis nostrae etc. Ego vero tantummodo peruidere h. l. pro simplici videre accipio, more Horatiano perquam solemni, quo composita verba vsurpat, vt Deproeliari etc. et tum omnia video plana, tareoque libenter criticis animaduersionibus. Cum tu videas lippus, inunctis oculis, adeoque minus acute, tua mala etc.

PERVSTVS, notatus Hor. Epod. 4, 3. Ibericis peruste funibus latus; qui latere adhuc notas habes funium Ibericorum ex sparto, quibus caesus es.

PES incompositus; de carmine minus sonoro, negligenter, quoad numerum et rythmum constructo Hor. Serm. 1, 10, 1. Nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili; conf. Serm. 1, 4, 8. vbi hoc crimen Lucilio obiicitur. * ter percussus est trimetrum lam-

Iambicum Hor. Serm. 1, 10, 43. Pollio regum Facta canit pede ter percusso: *Tragoedia apud Romanos, vt notat* schol. *ad h. l. Senariis iambicis trimetris versibus fere texebatur; et Pollio erat Tragoediarum scriptor vid. voc.* Ordinare. *Baxterus putat* amarulente Reges exagitare siquidem per *facta regum* caedes et scelera significet poëta. *Sed hic de nulla tali acerbitate cogitandum; Tragoedia tractat res regum, et principum, cum Comoedia res humiliorum hominum describat; omnis enim orbis quasi cyclicus Tragoediarum erat tum temporis* Saeua Pelopis domus; *(vnde et sic Tragoedia ipsa appellatur* Hor. od. 1, 6, 8.) *quare descriptio est tantum ex argumento ipso ductа Tragoediarum* facta regum canere, *nulla hic amarulentia.* * Pes certus *bene in eleganti descriptione infantis, qui iam ire, pedes tuto proferre addidicerit* Hor. Art. 158. Reddere qui voces iam scit et *pede certo* Signat humum. * iniuriosus, *de eo qui proruit statuam etc.* Hor. od. 1, 35, 13. *Iniurioso* ne *pede* proruas stantem columnam. * aequus, *suauiter de morte nullum praetereunte hominem* Hor. od. 1, 4, 13. Pallida mors *aequo* pulsat pede pauperum tabernas Regumque turres: *mit unpartheyischen Fuss. Imitatus nobilem hunc locum* Malherbius *est; iudicauitque eam imitationem optimum in tota poësi Malherbiana locum, quin vere sublimem vnum Gallus quidam acuti iudicii atque subacti existimator.* * pedem proferre *pro saltare* Hor. od. 2, 12, 17. Quam nec *ferre pedem* dedecuit choris. * Ter. Ad. 3, 3, 32. quod ante pedes est *opponitur* rebus futuris. *Sic Graeci phrasin ἐν ποσὶ de praesentibus adhibent* vid. Bourdelotius ad Lucian. Nigrin. c. 7. Tom. 1. p. 45. ed. Reitz.

PESSVMDARE Ter. A. 1, 3, 3. Quae si non astu pro-

prouidentur, me aut herum *pessumdabunt. Integer hic versus in vulgatis libris repetitur* Ph. 1, 4, 5, *sed ibi est aperte insititius. vid. Bentlei. ad h. l.*

PETORRITVM genus Gallici vehiculi; alia sunt carpenta, aliae carrucae *Vet. Schol.* ad Hor. Serm. 1, 6, 154. *Adde* Eiusd. Epist. 2, 1, 192.

PHALERATVS *Metaphora nota de dictis speciosis, ornatis* Ter. Ph. 3, 2, 15, vt *phaleratis* dictis ducas i. *magnificis et vanis pollicitationibus illudas.*

PHILYRA, *cortex tiliae arboris, vnde delicatuli Romani coronas nectere solebant. hinc* Hor. od. 1, 38, 2. Displicent nexae *philyra* coronae.

PIGER campus, *incultus, horridus* Hor. od. 1, 22, 17. Pone me *pigris* vbi nulla *campis* Arbor aestiua recreatur aura. * annus, *de tempore exspectato, non aduentante, tardo; bene in comparatione illa apud* Hor. Epist. 1, 1, 21, vt *piger annus* Pupillis, quos dura premit custodia matrum; Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora etc. * *de agricola iam nunc non operante* Hor. Epist. 1, 14, 29. Addit opus *pigro* riuus, si decidit imber, Multa mole docendus aprico parcere prato.

PIGNVS *argumentum certum* Phaedr. 5, 5, 37. turpem aperto pignore errorem probans; *rebus manifestis dicit vers.* 3.

PILA *pro* taberna libraria, *quoniam bibliopolarum tabernae et armamaria circa columnas seu* pilas *erant* Hor. Serm. 1, 4, 71. Nulla taberna meas habeat neque *pila* libellos. *Non edere soleo publice carmina mea. Inscribebant etiam poëtae columnis seu* pilis *epigrammata, sed hic mos non huc trahendus, vt quidam fecerunt.*

PISTRILLA *pro* pistrina Ter. Ad. 4, 2, 45.

PIVS: luci *pii, Musis consecrati, sancti* Hor. od. 3, 3, 6. audire et videor *pios* Errare per lucos. *Fuere qui de campis in Elysio intelligerent, quos recte*

recte refutat Bentleius *ad h. l. Sic etiam* Hor. od 3, 23, 20. Molliut (*siue vt ego plurium Codd. auctoritatem secutus lego, licet non immutata valde sententia, Mollibit*) auersos penates farre *pio* et saliente mica. *vid.* Salire.

PLAGAE Hor. od. 3, 5, 31. Si pugnat extricata densis cerua *plagis* erit ille fortis. *comparatio iusta et praeclara! vt cerua retibus* (*plagae proprie sunt funes retium* Vet. Schol.) *expedita non pugnabit*; *ita nec, qui se hostibus metu mortis tradiderit, erit fortis.*

PLAGOSVS; *qui plagas infert, actiue.* Hor. Epist. 2, 1, 70. memini quae *plagosum* mihi paruo Orbilium dictare.

PLANVS vagus et mendax erro *Vet. Schol. ad* Hor. Epist. 1, 17, 59. Nec semel irrisus triuiis attollere curat Fracto crure *planum.*

PLAVSOR Hor. Art. 154. Si *plausoris* eges aulaea manentis; *qui exspectet, dum peracta iam fabula aulaeum in altum trahatur, quod, quamdiu scena aperta est, humi, sub pulpitis delitescit. Bentleius legit* fautoris *pro* plausoris, *Cuningamius* plosoris, *sed male*; *eodem sensu* plausor *occurrit apud* Hor. Epist. 2, 2, 130. In vacuo laetus sessor, *plausorque* theatro.

PLAVSTRVM Hor. Art. 276. Dicitur et *plaustris* vexisse poëmata Thespis. *Gesnerus ad h. l.* Non plaustris ex vna vrbe in alteram actores vexit, sed parauit sibi in quauis vrbe scenam extemporalem de plaustris aliquot conductis: *vide tamen* Vehere.

PLECTERE Phaedr. 5, 9, 3. quo se paulo plecteret; *ita veteres nonnulli libri, sed melius leges cum aliis libris* flecteret: *quanquam enim Scheffers defendit illud* plecteret, *eius tamen commodum vsum h. l. nihil probauit.*

PLENIVS aequo *pro* plus aequo Hor. Epist. 2, 2, 10. *Plenius aequo* Laudat venales, qui vult extrudere merces. * Id.

Epist. 1, 2, 4. Quid turpe, quid vtile, quid non *Plenius* ac melius Chrysippo et Crantore dicit. *Sed emenda cito in nostra Editione* plenius, *et rescribe cum* Bentleio, *quem etiam reliqui docti viri secuti sunt*, planius. *Planius Homerus praecepta vitae dedit, quam obscurus Philosophus Chrysippus et Crantor; non plenius.*

PLERVMQVE *interdum* Hor. Art. 14. Inceptis grauibus *plerumque* et magna professis etc. *Sic et* Id. Epist. 1, 18, 94. *etcet.*

PLVMA *eleganter de prima barba* Hor. od. 4, 10, 2. Insperata tuae cum veniet *pluma* superbiae, *cum lanugine adventante aetatulam tuam istam, qua places, amiseris, et pulchritudinem mollem. Tota ode de aduentu aetatis virilis accipienda, qua non viris amplius sit Liguri-nus placiturus. Pessime* Bentleius *intelligit senectutem, et conicit legendum*, bruma *pro* pluma, *respiciens quasi ad hyemem aetatis.* Sanadonius *more suo, hoc est, temere secutus est Bentleium.*

PLVMBVS *de fistulis plumbeis quibus constabant aquaeductus Romanorum* Hor. Epist. 1, 10, 20. Purior in vicis aqua tendit rumpere *plumbum. vid. de his fistulis, si plura cupis*, Ald. Manut. differt. de aquis Vrbem R. olim influent. in Thes. Sallengr. Tom. 1, pag. 786. sqq.

PLVS *pro* plusquam Ter. Eun. 1, 2, 5. Accede ad ignem hunc, iam calesces *plus* satis. *Adde* ibid. vers. 104. H. 1, 2, 24. *et* Ad. 2, 1, 45. * *pro* diutius Ter. Hec. 2, 1, 39. Qui scis, an ea caussa, mi vir, me odisse assimulauerit Vt cum matre vna *plus* esset. * *pro magis* Hor. Epist. 1, 10, 15. *plus* hyemes tepeant. *Adde* ibid. vers. 30. Serm. 1, 3, 52. etc.

POCVLVM *pro* ipso vino, *audaci metonymia, aliquoties apud Horatium occurrit.* od. 1, 17, 21. od. 2, 11, 19. od. 1, 20, 10. Epist. 1, 2, 23.

POLI-

POLIRE Phaedr. 1. princ. Aesopus auctor quam materiem repperit Hanc ego poliui versibus senariis. i. *transtuli fabulas in senarios iambicos, quibus nitidiores apparerent, atque suauiores. Ceterum Aesopum ita secutus est Phaedrus, vt in posterioribus libris eum tanquam exemplar tantum haberet, in fabulandi arte* cf. prolog. 2, vers. 8. seqq. Epilog. vers. 6. etc.

POLLEX Hor. Epist. 1, 18, 66. Fautor vtroque tuum laudabit pollice ludum; *vtroque pollice compresso: nam premere pollicem gestus erat fauentis, significans deosculandum esse, qui tam bene lusisset; contra conuersis pollicibus ignauiter deuictum necari iubebant.* cf. Plin. H. N. 27, 2.

POLYPVS *foedus tumor narium* Hor. Epod. 12, 5, et Serm. 1, 3, 40. *Si quis naturam morbi callere concupierit, satisfaciet ei descriptio vberior, quam exhibet* Celsus libr. 6. c. 8.

PONDVS: *de spondeis in versibus* Hor. Art. 260. In scenam missus cum magno *pondere* versus. *Sic enim a conuicio sensus et venustatis rogatus, cum* Bentleio, Dacierio, Cuningamio *lego, mirorque in Gesneriana Editione adhuc vulgatam lectionem esse retentam. Compara ipse vtramque lectionem et iudica. Notat poëta, in trimetris iambicis frequentes nimis spondeos vastiorem et tardiorem reddere versum.* * trans pondera dextram porrigere *apud Hor.* Epist. 1, 6, 52, *est vel vltra aequilibrium corporis cum periculo cadendi, vel trans pondera togae, iam susceptae ab infimo limbo, qua antea tegebatur manus, vel trans saxa et trabes magni ponderis, quae forte plaustris vehuntur in viis* etc. *Dextram porrigere. Mihi prima explicatio vel ideo arridet, quia comica venustate locum exhilarat.* * Id. Serm. 1, 3, 78. Cur non *Ponderibus* modulisque suis ratio vtitur?

PONERE *cum sit solemnis vox de picturis, aut opificiis artis, publico loco ad spectandum, de more, propositis, vsurpatur simpliciter pro* pingere. Hor. od. 4, 18, 8. Sollers nunc hominem *ponere* nunc Deum. Sic Id. Art. 34. *Ponere* totum nesciet, *de fabro statuario, vniuersum quoddam opus fingere nesciente.* * *de pecunia in foenere collocanda* Hor. Epod. 2. vlt. Quaerit calendis *ponere vid.* Calendae. * *de aedificiis pro* exstruere. Phaedr. 2, 5, 9. Villa *posita* Luculli manu. Id. 3, 9, 6. quaeso tam angustam ponis domum? * *Phaedrus hoc verbum varie vsurpat pro eius compositis* vt 1, 26, 5. fab. 28, 4, et 5, 4, 3. *pro* apponere Id. 2, 4, 3. *pro* deponere. *ita enim ipse alias* 1, 19, 4, *dicit,* foetum deponere. *Sic et* 1, 2, 19. *Idem pro* proponere 1, 14, 9. et 3, 14, 8. etc.

POMPA *comitatus muliebris* Ter. H. 4, 4 (al. 3.) 17. cf. vers. 22.

PORRECTVS Hor. Epist. 2, 1, 268. Vna cum scriptore meo capsa *porrectus* aperta Deferar in vicum vendentem tus et odores. *Eleganter* porrectus, *sed vide* Apertus *et* Capsa. * *bene depingit auarum excubias agentem iuxta aceruum.* Hor. Serm. 2, 3, 111. Siquis ad ingentem frumenti semper aceruum *Porrectus* vigilet cum longo fuste. *Bentleius hic etiam legi iubet* proiectus, *quo maxima pars venustatis pereat scilicet. Eadem pingendi virtute est* porrectus od. 3, 10, 3. * *poëtice de loco non plano.* Id. Epist. 1, 7, 41. neque planis Porrectus spatiis, neque multae prodigus herbae; *imitatio illius* Odyss. δ, 605. *vt iam notauerat Baxterus.* * *facete* Id. Serm. 1, 3, 89. *amaras Porrecto* singulo *(quasi victima)* historias, captiuus vt, audit.

PORRIGERE vectigal Hor. od. 3, 16, 40. vid. Vectigal.

PORTARE Ter. A. 2, 2, 1. Dii boni, boni quid *porto. nunciabo.*

POSCERE *de fabula, quae applausum tulit, vt iterum iterumque spectare eam cupiant spectatores.* Hor. Art. 190. Fabula quae *posci* vult et spectata reponi *vid.* Reponere. * Ter. H. 3, 3, 44. 45. Cliniam orat sibi vti id nunc det; illam illi tamen Post daturam mille nummum, *poscit. Haec lectio* Faernum *habet auctorem. Sic interpretor: Bacchis a Clinia petit, vt sibi id argentum, quod anui Corinthiae mutuum dederat*, nunc, *i. e. hoc tempore det.* Illam *Faernus refert ad* Antiphilam, *ego malim ad Bacchidem referre. Sensus esset; se autem hoc simul paciscí, vt Cliniae deinde hoc argentum reddat, ac puellam ab eo rursus accipiat.* (Poscere, dare *est, ita dare vt alterum, quoquomodo id fiat, siue ex pacto, siue ex mandato, accipere cogamus. Sic et verbum* Postulare *vsurpatur, quod vide.*) *Hanc interpretationem his potissimum de causis probabilem esse existimo. Primum inde optime intelligitur Bacchidis astutia, de qua loquitur Syrus, cum dicit* vers. 39. vah! vide, quod inceptet facinus. *Namque vt magis (ex fictione Syri) Cliniae persuadeat, vt illam puellam mille drachmis redimeret, hoc paciscitur, (quod astuti mercatores facere solent) vt possit deinde istud argentum Cliniae reddere, atque puellam iterum ab eo redimere. Iam et consequentia omnia cohaerebunt.* CH. et poscit quidem i. e. *atque adeo hoc sibi stipulatur, vt possit aliquo post tempore argentum reddere?* S. Hui, dubiumne id est? i. *dubitasne Bacchidem hoc in se recepisse?* CH. ego sic putaui: (*scil. dubitandum esse, an id fecerit, quoniam argentum hercle nunquam reddet.*) quid nunc facere cogitas? S. Egone? ad Menedemum ibo: dicam hanc esse captam e Caria,

Caria, ditem et nobilem: si redimat magnum in ea ineſſe lucrum. *Hoc enim et ipſa Bacchis iactauerat, ſi vellet iſtam puellam εὐκαίρως vendere, ſe longe maiorem ſummam ex ea poſſe conficere, quam mille nummum; igitur eam non niſi per pactum, vt rurſus emere poſſet, vendere velle.* — CH. Eras. S. quid ita! CH. pro Menedemo nunc tibi ego reſpondeo, non emo: *quoniam ſcil. Menedemo non poteris perſuadere, eſſe iſtam emtionem magno cum lucro coniunctam — Haec de Faerni lectione. Ante cum vero ſic legebatur.* Clinia orat, ſibi vti nunc det illam; illi tamen poſt daturam mille nummum poſcit. *Qui ſic hoc verſus conſtituunt, aliter explicare, vt ſenſus oriatur ſanus, atque commodus, non poſſunt, niſi, vt poſt* daturum *ſuppleant* promittit, *atque vltima verba*, mille nummum poſcit, *ad Bacchidem referant. Sed impedita eſt, et miſere contorta tum lectio, tum explicatio, nec poſteriora ſatis cohaerent; neque, quae ſit Bacchidis fallacia, per eam intelligi poteſt. — Tertia, quae referri mereatur*, Bentleii *eſt ſententia. Mirabar, inquis, ni textum corrigeret; Recte putas;* „Mendoſa, *inquit*, lectio „iam a multis ſaeculis „rem obſcurauit; reuo„cabo tibi ſepultam illam „ſcripturam:

Quid tum? Sy. Cliniam orat ſibi vt id nunc det: illa illi tamen
Poſt datum iri mille nummum praes ſit. CH. et praes ſit quidem? Sy. Hui,
Dubium id eſt? — —

„*illa* i. e. Antiphyla, „*praes ſit*, ſiue arrhaboni „ſit, oppignoretur, *id* „*mille nummum*, ſiue „iſtas mille drachmas, „poſt datum iri illi, i. e. „Cliniae, ſ. eius patri. „*Datum iri* reponimus „pro *daturam*, vel vt „noſtri omnes, excepto „vno *daturum* — A *praes „ſit* h. e. compendioſe „PSSIT, virgula ſuperne „ducta,

„ducta, factum est, *po-*
„*scit.*„ *Si quis est, cui haec emendatio placeat, ea, quo minus vtatur, nos non obstamus. Interpretatione nihil potest esse melius, si modo, quod est maximum, tuti essemus, textum ipsum ab Terentio, non a Bentleio esse profectum. Quae cum ita sint, Faerni lectionem praefero, non tamen ex ipsius, quae male se habet, sed ex nostra, quam supra dedimus, explicatione, praesertim, cum sensus inde ortus proxime cum Bentleiano conueniat.*

POST aliquem esse *pro* postponi Hor. od. 3, 9, 6. Neque erat Lydia *post* Chloen.

POSTMODO *pro* paullo post Hor. od. 1, 28, 31. *Postmodo* te natis.

POSTVLARE Ter. A. 4, 1, 33, Nec *postulabat* nunc quisquam vxorem *dare*, i. e. *nec erat, qui me, vt vxorem ducerem, cogere vellet, nemo, qui eam cuperet obtrudere* * *cogitare* Ter. Hec. 4, 1, 49. Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui *postulem.*

POSTVLATIO *expostulatio, iurgium, coram tertio quodam homine.* Ter. Hec. 1, 2, 115. Neque *lites* vllae inter eos, *postulatio* nunquam.

POTENS matrona, i. *superba, imperiosa, vt v. c. Iuno apud Homerum saepius cum Ioue litigans.* Hor. Art. 116. * *substantiue pro* domina, regina Hor. od. 1, 3, 1. dina *potens* Cypri. *Adde Eund.* od. 1, 6, 10. Musa *potens* imbellis lyrae. od. 3, 25, 14, o Naiadum *potens* Baccharumque valentium. *sic et* carm. Saecul. 1. od. 3, 30, 12. Ex humili *potens* i. *rex.* * potens sui; *qui plane suus est, liber, sui ipsius dominus* Hor. od. 3, 29, 41. Ille *potens sui* laetusque deget, cui licet in diem Dixisse, vixi. Opitzius *noster hanc sententiam valde adamauit: saepissime in eius carminibus inuenies* Der kann sein selber seyn etc. * *potens* muneribus Veneris, Hor. od. 4, 10, 1. *non est* superbus, *vt*

Baxte-

Baxterus, et alii interpretantur, sed qui dominatur virginibus, qui capit, et regit corda amantium.

POTENTER *Secundum id, quod aliquis potest*, ὡς δυνατὸς. Hor. Art. 40.

POTIOR *apud Horatium fere respondet graeco* κρείττων, *adeoque est* melior, nobilior, praestantior, fortior *etc.* Hor. od. 2, 14, 27. Mero tinguet pauimentum superbo Pontificum *potiore* coenis. *praestantiori. (Coenae aditiales Pontificum amplissimae, et perquam opiparae.) Sic et* Epist. 1, 10, 14. *Id.* Serm. 1, 1, 7. militia est *potior. i. melior Adde* Epist. 1, 17, 17. *Id.* od. 3, 9, 2. Non quisquam *potior (qui magis placeret)* brachia candidae Cruici iuuenis dabat. *Sic* Epod. 15, 14, *potiori* dare noctes, et Epist. 1, 5, 27. *Id.* od. 4, 6, 23. *potiore* ducti alite muri i. *feliciori bus auspiciis. Sic et* potior *pro* praestantior, carior *apud* Phaedr. 3, 15, 14. Cuius potestas nulla in gignendo fuit, cur hac sit *potior*, quae iacentis miserita est. *Omnia recte se habent, vt mihi videtur, nec quidquam mutandum. Optime enim conueniunt cum prioribus; pergit agnus in respondendo cani, qui monuerat:* tamen est illa *potior* quae te peperit. *Negat agnus illam quidquam feciſſe sua cauſſa, neque aliud in pariendo, nisi naturae impetum secutam esse; deinde pergit:* (Nunc vero) cuius potestas nulla in gignendo fuit, *vt vidisti*, cur hac sit potior, *quod tu antea contendebas, cur carior mihi*, quam ea, quae iacentis miserita est, dulcemque sponte *(non naturae lege ducta)* praestat beneuolentiam? *Hoc enim tibi nota*, facit parentes bonitas, non necessitas. *Oppido vero in hoc explanando loco nugatur* Burmannus, *post alios multos similes.*

PRAEBERE aquam *dicitur conuiuator, qui dat coenam, quia ille balneum calefaciebat, et aquam praebebat, qua lauarent se*

se conuiuae, Vet. Schol. *ad* Hor. Serm. 1, 4, 88. Praeter eum, qui *praebet* aquam, *vide de toto loco voc.* Aſpergere. *Eleganter* Geſnerus *ad h. l.* „*qui praebet aquam*, eo genere extenuationis dici videtur, vt ad *ſorbitionem* inuitant hodie, qui lautas epulas inſtruxere„ *Sed tum et Sale quodam ipſe locus conditur, vtitur Horatius eo verbo de induſtria, quo inuitati conuiuae erant.* Id. Serm. 2, 2, 69. vnctam Conuiuis praebebit aquam.

PRAECANVS *praepropere, mature canus* Hor. Epiſt. 1, 20, 24. Corporis exigui, *praecanum*, ſolibus aptum; *locis opricis gaudentem;* rigidulus enim Horatius; ſolitus eſt iacere ſub ſole et chroma facere. *Vet. Schol.*

PRAECIDERE cauſam belli. Hor. Epiſt. 1, 2, 9. Antenor cenſet belli *praecidere* cauſam; *Helenam reddere* vid. Iliad. η. 347.

PRAECINCTVS alte praecincti *dicuntur veloces, ſtrenui in currendo, quia remiſſiores, non quidem* demiſſis, *vt vult Baxterus, ſed non ita alte cinctis tunicis incedebant.* Hor. Serm. 1, 5, 6. Hoc iter ignaui diuiſimus *altius* ac nos *Praecinctis* vnum. *Biduo ad forum Appii venimus, velociores vna die eo peruenire poſſunt.*

PRAECIPERE *praeire aliquem canendo, docere praeſentem* Hor. od. 1, 24, 2. *Praecipe* lugubres Cantus Melpomene.

PRAEDARI de aliquo. Hor. Epiſt. 2, 2, 55. Singula de nobis anni *praedantur* euntes; *carpunt, quaſi praedando, eripiunt; vide* Ire.

PRAEGESTIRE *ſuauiter* Hor. od. 2, 5, 11. *de iuuenca:* nunc in vdo Ludere cum vitulis ſalicto *Praegeſtientis. Schol. explic.* properantis: *pingit vero h. v. Horatius actionem ipſam iuuencae, (quod nos dicimus* hüpfen*), geſtientis prae aliis propere.*

PRAEGRAVARE *proprie dicitur maius pondus in libra,*

libra, dum magis graue se deprimit, et minus eleuatur; hinc eleganter Hor. Epist. 2, 1, 13. Vrit enim fulgore suo, qui *praegrauat* artes Infra se positas *vid. voc.* Ars. *Timeo vero hic Horatio, veritus, ne metaphorae hic coniunctae,* vrere, fulgore, praegrauare *confusae sint, et minus iustae.*

PRAEMIVM *de insigni dignitatis, vt praetexta, lato clauo* Hor. Serm. 1, 5, 35. Insani ridentes *praemia* scribae; *Praetextam, et latum clauum, prunaeque batillum vid.* Batillus. * *pro* dote, *siue potius, quam dicimus qualitatem, agendi ratione* Hor. Epist. 1, 9, 11. Frondis ad vrbanae descendi *praemia; sic egi, id feci, quod vrbanae frontis signum, et qualitas vid.* Vrbanus.

PRAENITERE alicui, *de amatore potiori, qui magis placet.* Hor. od. 1, 33, 4. cur tibi iunior Laesa *praeniteat* fide. *Baxterus* iunior *accipit pro* posterior, *sed nihil opus.*

PRAENOMEN, praenomina *erant maxime ingenuorum, apud Romanos, serui iis carebant. Inde honorificentius erat praenominibus vocatum salutare, quam nominibus, aut cognominibus; inter intimos amicos, et familiares eadem appellatio consueta, quae quiddam dulcedinis habebat, atque suauitatis. Hinc* Hor. Serm. 2, 5, 32. Quinte puta, aut Publi, *gaudent praenomine molles* Auriculae! *Docte affert ad h. l.* Gesnerus Cic. Epist. ad Diu. 1, 9. Quoniam illi haberent suum *Publium* (Clodium) darent mihi ipsi alium *Publium* (Vatinium) in quo possem illorum animos repungere.

PRAEOPTARE potius Ter. Hec. 4, 1, 17. et 19. Adeone peruicaci es animo, vt puerum *praeoptares* perire, Ex quo inter nos scires posthac amicitiam fore firmiorem *Potius*, quam esse cum illo

illo nupta aduorſus animi lubidinem Tui!

PRAESENS facundia *apud Hor.* Art. 184. *eſt, quae oritur ex re modo praeterita, cuius ipſe aliquis fuit ſpectator; ſic enim voc.* praeſens *vſurpari, vel e Cicerone notum.* Opp. *h. l.* praeſens *illi aduerbio* intus. * *de eo qui ſtatim, nutu, continuo aliquid efficere poteſt.* Hor. od. 1, 35, 1. O diua — *Praeſens* vel imo tollere de gradu Mortale corpus. *Vet. Schol. expl.* praeſens, *parata.* * *pro* propitio *poni vulgatum eſt;* ſic Hor. Serm. 2, 3, 68. *et paſſim.* * tempus *praeſens apud* Hor. Art. 44. *omnes fere pro opportuno accipiunt; perperam, vt equidem ſentio. Verba Horatii iſta ſunt:* Vt iam nunc dicat iam nunc debentia dici Pleraque differat et *praeſens* in tempus omittat. *de lucido ordine, quo res debeant narrari, hic agi, omnes vident. Sed omnes, ipſe etiam Geſnerus, Baxterus, atque Ramlerus vid.* Einleit. in die ſch. Wiſſenſ. To. 3. p. 232. *intelligunt h. l. de virtute ordinis, qua ſtatim in initio carminis poëta, quaſi ſpectatorem facti cuiusdam, in quod medium incidit, lectorem in medias res immittat; vt* Homerus *in Iliade et omnes veri poëtae epici. Sed de hac virtute Horatius alio loco* verſ. 148. *aperte praecipit* in medias res Non ſecus ac notas auditorem rapit. *Haec eſt illa regula, de qua verſ.* 44. *praecipere Flaccum Critici fruſtra putant. Quis enim credat,* Horatium, Horatium *inquam, eandem regulam bis ponere? Quare in priori loco* (verſ. 44.) *vniuerſa tantum eſt regula illa:* quodquis *ſuo loco dici debere: et ſenſus talis: ſemper ea poëta proferat, quae debent ſecundum leges phantaſiae proferri,* debentia dici, pleraque *alia, quae ei occurrunt,* nunc, *praeſenti hoc tempore* omittat. *Iam vero* colon *debet poni poſt* verbum dici: *verſ.* 43. Vt

iam nunc dicat iam nunc debentia dici: Pleraque differat, et praesens in tempus (*hoc tempore*) omittat. *Sic plane vt h. l.* praesens *est apud Nostrum* od. 2, 16, 25. Laetus in *praesens* animus quod vltra est Oderit curare. * Ter. Ad. 4, 5, 33. Quum hanc sibi videbit praesens *praesenti* eripi. *Iure suo hanc lectionem ineptissimam iudicat* Bentleius, *quae sic debet exprimi, et legi*: praesens praesentem eripi. Donatus *quidem, qui vulgatam sequitur lectionem* „adiuuant, *in-* „*quit*, significationem „haec ex abundanti addi- „ta, vt: Illam absens ab- „sentem auditque videt- „que.„ *Sed non intellexit bonus vir, duas hic personas esse, ad quas illud* absens *referatur. In eundem errorem delapsus est* Westerhouius, *qui ad illustrandam vulgatam lectionem haec ex* Plauto *affert*: Adsum praesens praesenti tibi. *it.* te ipsus coram praesens praesenti videt. *Quis vero non videt, in his exemplis το* praesens *non ad* vnam, *sed ad* duas personas *pertinere. Nostro autem loco, si vulgata lectio seruetur, Aeschinus bis dicitur praesens, in nominatiuo, pariter ac datiuo casu, quo quid potest esse ineptius?*

PRAESTARE Phaedr. 3, 4, 4. Quale caput est, talis *praestatur* sapor. *loco se, cum* praestare, *vt notum est, venditor dicitur, qui promittit, rem esse talem, atque sic venturum ad emptorem, qualem esse dicit.* * *malo sensu antecedere*, superare Ter. H. 5, 1, 3. coll. 5.

PRAETER *pro* supra, Hor. Epod. 3, 9. Vt Argonautas *praeter* omnes candidum Medea mirata est ducem.

PRAETERIRE Hor. Art. 347. Celsi *praetereunt* austera poëmata Rhamnes; *quo verbo* (praeterire) *respexit, credo, ad ipsam fabulae actionem*; praetereunt *theatrum, vbi eiusmodi austera poëmata agi sciunt; non assidere cupiunt spectato-*

ctatores, et quidem praetereunt celsi, *alto supercilio, contemnentes.* vid. Rhamnes.

PRAETERMITTERE Ter. Ad. 1, 1, 26. do, *praetermitto*, i. *sumtum suppedito, delicta condono.*

PRAETEXTA fabula, *est, vbi inducuntur personae nobiles, honorati, graues, consulares, et similes; a praetexta, nota nobiliorum veste, ducto verbo. Indicat igitur* Tragoediam h. v. Hor. Art. 288. *opp.* togata fabula; *vide* Togatus.

PRAEVALERE Phaedr. 1, 13, 12. Tum demum ingemuit, corui deceptus stupor. Hac re probatur, quantum ingenium valet Virtute, et semper *praeualet* sapientia. *Haec quidem vulgata lectio primo intuitu falsa cuiuis videbitur. Sed de vera constituenda lectione alii in alias partes abierunt. Multi duo posteriores versus, vt spurios abiiciunt, nec specie carent, quae protulit* Kohlius (*in* comment. crit. Pentadec. 1. Loc. 49. pag. 116. sqq.) *sed illi etiam antepenultimum versum damnat, nullo profecto iure. Nobis optime iudicasse* Gudius *in Notis ad h. l. videtur, qui versum medium, vt a Glossatore additum reiicit, sic legens:* Tum demum ingemuit corui deceptus stupor Virtuti semper praeualet sapientia. *De elegantia fabulae inde data ipse iudicabis. Elumbis redditur, ni fallor, sententia, si interponis inter hos versus:* Hac re probatur, quantum ingenium valet. *Et quid hoc?* quantum ingenium valet Virtute. *Tres deinceps versus ideo non agnosco insititios, quia glossator in altero demum versu non addidisset.* Hac re probatur: *Atqui secundum hanc Gudii lectionem sensus fabulae etiam bene sibi constat, ob ipsam sententiam, quam ei praeposuit Phaedrus; neque enim vt* Bentleius *interpretatur, virtutem sibi coruus, sapientiam vulpi tribuit; sed queritur,*

sibi, quamuis praestanti, et voce, et ceteris fere rebus omnibus, vt putat, tamen hic defuisse sapientiam. Ita Theognis: κρεισσων τοι σοφιη και μεγαλης ἀρετης. *Praeterea a Phaedri ratione non alienum est, vt semel posito* προμυθιω, *fabulam tamen cum sententia claudat.* vid. e. g Fab. 1, 26. *Fallitur igitur* Kohlius loc. supra laud. *vehementer, cum iis locis fere omnibus putet additum esse quidquam a Glossatoribus.*

PRAEVERTERE Hor. Serm. 1, 3, 38. Illuc *praeuertamur; nos potius conuertamus.*

PRAVE *intempestiue, peruerse* Hor. Art. 88. Cur nescire, pudens *praue*, quam discere malo? * Id. Epist. 1, 1, 104. *Praue* sectum stomacheris ob vnguem.

PREMERE vocem, *pro* silere, *sed cum quadam vi, conuenienter charactéri leonis, qui imperat, vt premat, comprimat vocem.* Phaedr. 1, 11, 12. Asinum euocat, iubetque *vocem premere. Sic* Plaut. Pseud. 1, 4, 16. vocem *comprimere dicit, pro* desinere loqui. * aulaea, *demittere, vt retecta scena appareat, et aperta, contra hodie aulaea tolluntur.* Hor. Epist. 2, 1, 189. Quattuor aut plures aulaea *praemuntur* in horas. *Nempe tum acta in theatro, qualia refert* Cic. Epist. Diu. 7, 1. *quem locum iam adduxerat Gesnerus in Not. ad h. l.* * *presse sequi* Hor. od. 4, 5, 24. Culpam poena *premit* comes. *Sic et* Serm. 2, 7, 115.

PRESSVS cubitus. Hor. od. 1, 27, 8. cubito remanete presso. *vid.* Cubitus.

PRETIOSVS *actiue, qui magno pretio emit.* Hor. od. 3, 6, 32. Dedecorum *pretiosus* emptor.

PRETIVM *dignitas, honor* Hor. Art. 299. Nanciscetur enim *pretium* nomenque poëtae, cet. * *merces, praemium* Hor. od. 3, 16, 8. Conuerso in *pretium* Deo *h. e. in aurum, quod adulterii praemium l. pretium saepe*

pe est. Notum ex Mythologia est, Iouem in aurum conuersum in sinum Danaes se infudisse; Agnoscit istam ἀμφιβολιαν etiam Klotzius Vindic. p. 214. * Id. od. 4, 8, 12. *pretium* dicere muneris, *indicare, quanti pretii rem (carmina scil.) accipiat. Qui legunt* muneri *pro* muneris, *non audiendi.* * Hor. Epist. 1, 18, 18. Vt non Sit mihi prima fides, et vere quod placeat vt non Acriter elatrem *pretium* aetas altera sordet. *Venustissimus locus, descriptio litigiosi hominis vt amoenissima, ita verissima! Sordet, inquit homo rixans,* pretium aetas altera, *immortalitas ipsa non tanti habetur, vt quod senserim, non dicam, non defendam. Sed omnia verba lecta ad moratam orationem conficiendam.* Scilicet, *ja freylich,* – vt non – vt non, *repetitum cum sale in fine duorum versuum* – Acriter – elatrem – ⌊ * *malo sensu pro* poena, Hor. od. 3, 24, 24. Et peccare nefas, aut *pretium* est mori. * *Pro* praemio *etiam occurrit apud Phaedr.* 1, 8, 1. Qui *pretium* meriti ab improbis desiderat. *Vide plura eius significationis exempla in* Gronou. Obseruatt. libr. 2. c. 25. * *pecunia, quae pro licentia comoediam spectandi soluitur, latine* lucar *graece* ὀπτηριον *siue* θεατρικον ἀργυριον *dictum* Ter. H. prol. 48.

PRIMVLVM Ter. Ad. 3, 1, 2. *indicat leue alicuius rei initium* – dolores incipiunt *primulum. Fortior est diminutio* Ad. 5, 6, 10. *paullatim* plebem *primulum* facio meam.

PRIMVS Ter. Ad. 2, 3, 6. fratrem homini nemini esse *primarum artium* magis principem; *primae artes hic intelliguntur humanitas, fortitudo, atque in rebus gerendis alacritas.* * Id. Ad. 5, 4, 4, et quae tibi putaris *prima; ante alia agenda.*

PRINCEPS Hor. od. 3, 17, 7. Qui Formiarum moenia dicitur *Princeps (primus)*

mus) et innatentem Littoribus tenuisse Lirin, *Marica nympha fuit, a qua fluuius nomen accepit, et* Liris *item fluuius influens Minturnas. Sic et* princeps limus *primus est, homo, qui primo tantum limus erat* Hor. od. 1, 16, 13. Fertur Prometheus addere *principi Limo* coactus particulam vndique delectam; et insani leonis Vim stomacho apposuisse nostro *iram quae nos leonis similes reddit. Fabula, ad quam respicit, vulgata est, sed non vulgo notum, saltim nusquam legi, esse totum hunc locum* inde a vers. 9. sqq. *expressum forte ex* Platone, *certe simillimum illius* libr. 2. de Republ. pag. - - ἠεν εννενοηκας ὡς ἀμαχον τε και ἀνικητον θυμος ἑπαροντος ψυχη πασα προς παντα ἀφοβος και ἀηττητος etc. *id quod notauerat ad marginem libri sui* Semlerus.

PRINCIPIVM *de primo aduenientis sermone* Ter. E. 3, 2, 5, coll. Ph. 2, 1, 22. Quam venuste! quod dedit *principium* aduenienti! *Nostri dicerent:* Ey wie artig! was für ein schönes Compliment zum Antritte macht er nicht! * Ter. E. 4, 7, 11. Hic ego ero post *principia*, i. e. *in loco triariorum; cum scil. in acie primi essent hastati, deinde sequerentur* principes, *agmen clauderent* triarii, *vt ex Antiquitatibus notum cf. etiam* Turneb. Aduers. libr. 3. c. 9.

PRIOR Hor. Carm. Saecul. 51. Bellante *prior*, iacentem lenis in hostem; *vincens rebelles, parcens victis: parcere subiectis, et debellare superbos quum proprium quasi Romanorum, in Saeculari carmine, prudenti ingenio hoc positum.* * *melior* Hor. od. 4, 10, 4. Nunc et qui color est punicae *prior* rosae. *Sic et Id. Epist.* 1, 18, 27. et Phaedr. 1, 13, 8. Si vocem haberes, nulla *prior* ales foret; *praestantior.*

PRIVATVS: *appellari et ipsos magistratus, et praefectum vrbi,* priuatos, *si cum Augustis com-*

comparentur, notant viri multi docti ad Hor. od. 3, 8, 26. Negligens, ne qua populus laboret, Parce *priuatus. Ego vero non nego huius obseruationis veritatem, sed ad h. l. pertinere, id certo pernego; qui alienissimam eam potius iudico. Qualis esset sensus? tu, cum sis priuatus, noli de republica curare, id Caesaris opus et labor. Non ita aulicus Horatius cum aulico Maecenate loqui potest; non ita homo naris emunctae, facetus cum eleganti Cilnio. Vult potius poeta, inuitans Maecenatem ad hilaritatem, eum esse* hoc die *quasi priuatum. Sensus: noli nimium hodie de populi salute cogitare, sed neglige haec priuatus, sis priuatus hodie, negligens res publicas. Non video, quid potest esse hac interpretatione clarius, et magis dignum Horatio atque huius odae argumento.* * priuata carmina *apud* Hor. Art. 90. *sunt tenui stilo scripta et communi; praecipit rem tragicam digna oratione exponere, non versibus, qui comoediam sapiunt, hi sunt enim* priuati, *quia in comoedia priuati homines loquuntur, in Tragoedia reges et Tyranni, principes reipublicae etc. Mordet, addito exemplo coenae Thyestae, forte Tragoediam quandam, sua aetate, huius argumenti exiliter scriptam.*

PRIVVS Hor. Serm. 2, 5, 11. Turdus Siue aliud *priuum* dabitur tibi, deuolet illuc Res vbi magna nitet. *Gesnerus ad h. l.* „priuum erit *vnicum* „quiddam *sui generis*, „*et eo pretiosum*; *hoc* „*vero, quomodo* ad tur„dum *commode applicetur*, non video.„ *Coniicit igitur legendum* primum, *vt etiam in quibusdam libris inuenit; sed nihil hoc opus: aegrum fecit Gesnerus locum, vt eum sanare posset; namque priuum est nihil aliud, nisi* proprium quiddam e re domestica, *id quod vnius patrisfamilias est, vt*

ait Vet. Schol. *Dicit itaque Tireſias; ſi quidam tibi donauerit aliquid e re ſua priuata, et domeſtica, v. c. turdum, tu ſtatim mitte illud ad diuitem quendam ſenem. Quaenam ſic obſcuritas? voc.* priuus *autem eadem ſignificatione, vt ſit* proprius, *occurrit apud noſtrum poëtam* Epiſt. 1, 1, 93. Quem ducit *priua* triremis.

PRO Phaedr. 1, 23, 6. *pro* re, domini latrare. *Ita lege verſum*: Heus, inquit, linguam vis meam praecludere, Ne latrem pro re domini? Multum falleris.

PROBARE: *de Ioue, annuere* Hor. od. 1, 2, 19. Vagus et ſiniſtra habitur ripa Ioue non *probante* vxorius annis h. e. *quaſi non annuente, qui ſe medium ſeruet in his malis, velut ſaepe apud Homerum Iupiter nullius partis adiutor eſt.* Cel. Reiskius *emendat*, Ioue comprobante, *qui omnium* Φαινομενων, *et* διοσημειων *auctor eſſet et modulator, ſine quo et hae inundationes accidere non poſſent.*

PROCAX *proprie petax, qui ſuis bonis praeſentibus non contentus ſemper plura et aliena expetit* Phaedr. 1, 2, 2, *procax* libertas libertatem miſcuit; *libertate inſolentes ciues inter ſe diſſiderunt, et licentia acceptа leges, quibus continebantur, perfregerunt. Sed poſſet etiam h. l. vox intelligi de* laſciuia, *ac* proteruia, *vti occurrit apud* Liu. libr. 47. c. 54. probris quoque in ipſum, Macedonasque *procacibus* iaculati ſunt. *Sic et* Hor. Serm. 2, 6, 67. procaces vernae. *Bene autem ibi de ſeruis coenantibus!* * Muſa *procax* Hor. od. 2, 1, 37. *eſt* audax.

PROCVRARE Phaedr. 2, 3, 11. Si *procurare* vis oſtentum. *ſolemnis, vt vulgo notum eſt, vox de ſacrificiis auertendi mali cauſa inſtitutis; ſexcenties occurrens apud Liuium; de ipſis ritibus agit fuſe* Guther. de Iure Pontif. libr. 1. c. 21.

PRO-

PRODIGIALITER, *supra omnium hominum fidem, monstrose*, Hor. Art. 29. Variare cupit rem *prodigialiter* vnam.

PRODIGVS animae magnae; *de Aem. Paulo, occiso in clade ad Cannas; sublimis profecto locus est* Hor. od. 1, 12, 35.

PRODVCERE arborem i. *educere, colere propagatam.* Hor. od. 2, 13, 1. Ille et nefasto te posuit die Quicunque primum (*posuit*) et sacrilega (*impia*) manu Produxit (*eduxit*). *Ita locum intelligo, temere a Bentleio et Cuningamio vexatum; omnia sic plana, digna Horatio.* * *de nouis verbis factis, et quasi cusis* Hor. Art. 59. Signatum praesente nota *producere* nomen. *Sed ego cum* MSS. Bentleio, Cuningamio, Sanadonio, *et* Gesnero *certissime legendum arbitror* procudere *pro* producere; *fauet non solum huic verbo contextus, sed et metaphora ipsa id flagitat, vt verba h. l. docebunt.* * *apud* Ter. H. 1, 1, 92, *de seruis, qui, cum vendebantur, in forum perducebantur.*

PROFERRE diuulgare Ter. Ad. 3, 2, 39. 41. An hoc *proferendum* tibi vsquam esse videtur — Nunc si hoc palam *proferimus*, ille inficias ibit, sat scio.

PROFESSVS: professa mors, *certa, indubitata* Phaedr. 4, 6, 8. Nec ad *professae* mortis audacem viam Fabricasset Argus opere Palladio ratem. vid. Graeuius ad Cic. Verr. 3, 56. cf. etiam Gronou. Obseruatt. libr. 2. c. 9.

PROFICISCI *de abitu, non longinquo, sed in locum proximum* Ter. E. 2, 2, 49. tu *profecturus* alio fueras; *iturus.*

PROIICERE *abiicere* Hor. Art. 97. *Proiicit* ampullas et sesquipedalia verba. *vid.* Ampulla.

PROLAPSVS; *de partu frequenter apud Latinos occurrit, qui,* cadere, excidere, prolabi *dicitur; at* Phaedr. 3, 15, 6. *prolapsam* effundit sarcinam mater, *innuit proprias quasdam vires foetus,*

quo matris opem iusto plus minuit agnus.

PROLOGVS: *Huius exordii, siue ingressionis ante ipsam comoediam recitandae* quatuor genera *constituit* Donatus. Vnum, *quo fabula aut poëta commendatur*; alterum, *quo aduersario respondetur, aut populo referuntur gratiae*; tertium, *quod argumentum narrat fabulae*; quartum, *quod ex his omnibus componitur. Hinc intelligis* locum Ter. A. prol. 5. 6. *De primo et secundo genere nihil est, quod moneamus. Tertium autem genus, ex quo est prologus Amphitruonis Plautini, valde putamus obesse delectationi, ex fabulae spectatione capiendae. Quum enim nos delectet poëtae artificium, qui* in medias res, *vt cum Horatio loquar, auditorem rapit, semperque ad euentum festinat, non potest spectatori non molesta esse prologi diligentia, qui omne fabulae argumentum prodat.* * prologus *dicitur etiam is, qui prologum recitat* Ter. H. prol. 11.

PROLVBIVM, *promtus animus ad largiendum.* Donat. Ter. Ad. 5, 9, 28. *Sunt qui* proluuium *legant*, e. c. Dacieria; *Bentleius autem iure suo nostram lectionem tuetur.*

PROLVERE se vino. Hor. Serm. 1, 5, 16. Multa *prolutus* vappa nauta. Id. Serm. 2, 4, 27. leni praecordia mulso *Prolueris* melius.

PROMINERE *suauiter et ἐναργως, de arborum frondibus in nemoribus.* Hor. od. 1, 21, 6. Nemorum coma, Quaecunque aut gelido *prominet* Algido Nigris aut Erymanthi Siluis, aut viridis Gragi.

PROMOVERE: *augere in melius* Hor. od. 4, 4, 33. Doctrina vim *promouet* insitam *bona institutio indolem innatam, atque virtutem amplificat, excitat, prouehit.* * *differre* Ter. A. 4, 2, 28. * *mouendo se aliquid proficere* Ter. E. 5, 3, 4.

PRONVS annus i. *vergens, autumnus : eleganter* Hor. Art. 60. Siluae foliis *pronos* mutantur in *annos. Est locus de nouis fingendis verbis pulcherrimus, in quo, quam apta sit, quam bene connexa cum praecedentibus, et iis, quae consequuntur, quam poëtica haec comparatio, iudicabis ipse.* * *Id.* od. 3, 27, 18. *pronus* Orion; *descriptio hyemis, nominatim mensis Decembris. sic proni* menses od. 4, 6, 40. *bene dicuntur, qui, vt tempus ipsum, fugaces fugiunt; metaphora desumta a riuo, rapido flumine fluente, Sic ipse* Hor. Epist. 1, 10, 21. Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum Quam quae per *pronum* trepidat cum murmure riuum. *vid.* Plumbus *et* Trepidare.

PROPERARE *cum accusat. per breuiloquentiam* Hor. Epist. 1, 3, 28. Hoc opus, hoc studium parui properemus et ampli: *tractemus cum ardore studii, festinantes quasi ad hanc operam* Id. od. 3, 24, 62. Indigno pecuniam Haeredi *properet, subintell. cumulare aut simile quid.* * *de riuis permeantibus agros poëtica quadam virtute dicitur, atque pingenti: hinc vero, vt fit, fluxit nimius et saepe ridiculus h. v. vsus tempore Horatio, cum plurimi infirmi et inanes poëtae hac tantum et similibus voculis ornare versus suos nugaces studerent, quos ideo ludit in Art.* 17. *Describitur properantis* aquae per amoenos ambitus agros. *Omnia ista verba ironica carpunt eiusmodi naturae descriptores, qui pannos purpureos assumunt vili vesti.* Popius *et* Boilauius *h. l. bene imitati sunt. vide prioris* Essay on Criticism. *et alterius* Art. poët. chant. 1.

PROPINARE *eleganter et comice* Ter. E. 5, 9, 57. Hunc comedendum et deridendum vobis *propino; trado. Inest in hoc versu gratus quidam lepor, quae vix vlla versione indi-*

indicari, nedum exprimi poteſt. Verbum enim propinare, *vt ſciunt omnes, proprie in conuiuio valebat, vbi, qui modo biberat, alteri poculum offerebat; quod lepidiſſima metaphora ad proditionem Thraſonis transfertur.*

PROPINQVVS Tee. H. 1, 1, 5 – vicinitas – quod ego in *propinqua* parte amicitiae pono. i. e. *quam vicinitatis coniunctionem ego amicitiae proximam eſſe exiſtimo. Huic loco multam lucem affundit* Heſiodi ἔργ. verſ. 342. ſqq. *quos Dacieria iam laudauerat, vbi Heſiodus vicinitatem ſecundo poſt amicitiam loco ponit. cf. etiam* Cic. fin. 5, 23. * Ter. E. 5, 6, 1, *propinquum* rus *eſt* ſuburbanum, *ſiue vt Luciani verbis vtar* ἐ πορρῶ της πολεως. *Erant autem praedia ſuburbana magno in pretio, quod nimirum ex iis hoc caperetur commodi, vt poſſeſſorem nunquam ſiue vrbis, ſiue agri ſatietas inuaderet; qua ex re bene* Io. Clericus *ad* Luciani Nigrin. c. 26. *philoſophi, de quo ſermo eſt, abſtinentiam, et moderationem illuſtrauit, qui praedium, quod haberet, negligeret, idque non quoduis, vulgare, ſed ſuburbanum.*

PROPIOR amicus Hor. Epiſt. 1, 9, 5. Munere cum fungi *propioris* cenſet amici; *intimus eſt amicus At quam venuſta eſt haec epiſtola tota! quam faceta, et aulicum ſpirans, et vrbanum, poëtae commendatio! * propius* medullis damnum. Id. Epiſt. 1, 10, 28.

PROPONERE Hor. od. 1, 18, 3. Siccis omnia Dura deus *propoſuit; belle de Baccho,* proponit, *quaſi aut dura omnia fata, aut pocula ſumenda tibi proponeret.*

PROPRIE Hor. Art. 128. Difficile eſt *proprie* communia dicere. *vid.* Communis.

PROPOSITVM ſententia, θεσις. Phaedr. 1, 5, 2. teſtatur fabella haec *propoſitum* meum.

PRO-

PROPVGNACVLVM nauis, *est turris in ea, vnde pugnabatur* Hor. Epod. 1, 2, Ibis Liburnis inter alta nauium Amice *propugnacula. Liburnae naues erant leues, veloces, quarum, in classe Augusti numerus tum magnus erat; propugnacula nauium s. turritae illae naues Antonii: vide ad h. l. perspiciendum* Vellei. Paterc. libr. 2. c. 24.

PRORIPERE *pro* protrahere Hor. od. 1, 8, 15. ne virilis Cultus in caedem et Lycias *proriperet* cateruas; *de Achille, qui in Scyro inter filias Lycomedis educatus pro puella latuit, ne detectus in castra Graecorum contra Troianos (Lycii sunt Troianorum Socii, vid. Homer. Iliad. β. καταλογ. extr.) abduceretur. In caedem et cateruas,* pro *in caedem cateruarum; vt centies.*

PROSPECTARE Phaedr. 2, 5, 10. Villa — *Prospectat* Siculum et prospicit Tuscum mare. *Sic, vt etiam editum in nostra Editione, legendum statuo, cum* MSS. *quo rectiorem lectionem etiamnum protulit nemo. Vt aedificia cet. eo alias spectare dicuntur, quo frontem vertunt, sic* prospectare *h. l. est, a summo monte Siculum mare, e longinquo spectari, Tuscum vero subiacens perspici, namque magis erat vicinum, atque sic longe lateque hinc conspici posse dicitur. Non vero tam* situm *villae, quam quem* prospectum *appellant, Phaedrus describit. In verbis* prospectat *et* perspicit *gratia quaedam;* ταυτολογιας species. Sic Phaedr. 3, 10, 45.

PROSPICERE; *proprie, ex alto loco spectare.* Phaedr. 1, 17, 8. Id. 2, 4, 20.

PROTELARE, *euertere, omnino perturbare* Ter. Ph. 1, 4, 36. Hem istuc serua, et verbum verbo, par pari, vt respondeas, Ne suis te iratus saeuis dictis *protelet.*

PROTERRERE *verbum graue, quod egregie Menedemi vehementiam pingit*

pingit Ter. H. 3, 1, 37. filium — — *proterruisti* hinc.

PROTERVE *immoderate, pertinaciter* Ter. Hec. 3, 5, 53. Ecce autem tu quoque *proterue* iratus es.

PROTERVVS, *impudens* Ter. H. 3, 3, 16. nemo est — — amicorum — apud quem exponere omnia mea occulta — audeam, apud alium prohibet dignitas, apud alium ipsius facti *pudet*, ne ineptus, ne *proteruus* videar. * *Saepius Horatius eo verbo vtitur, vt respondeat nostris verbis, muthwillig, lose. Sic proterui* Iuuenes od. 1, 25, 2. *proterua* Cynara. Epist. 1, 7, 28. *proterui* venti od. 1, 26, 2. *Proterui* Satyri Art. poët. 233. *proterua* fronte Lalage od. 2, 5, 15. *et ipsa* grata Glycerae *proteruitas* od. 1, 197. *quem locum tam proterue, et lepide* Sarbieuius *imitatus est canens*: vrit me Christi nitor et grata proteruitas.

PROVIDERE: *ante aliquem videre, et salutare, quam ille* Hor. Epist. 1, 7, 69. Ille Philippo Excusare laborem — denique quod non *Prouidisset* eum * *cauere* Ter. A. 1, 3, 3. quae si non astu *prouidentur*, me aut herum pessumdabunt. *vide* Pessumdare.

PROVIDVS auspex Hor. od. 3, 27, 8. Ego *cui* timebo *Prouidus* auspex? *Est autem lectio τε* quid *pro* cui *longe venustior, et sine dubio etiam verior. Non potuit Horatius ignorare, cui timeret; ostendit autem se nihil timere, cum sit* prouidus auspex, *qui bona auguria conceptis verbis elicere possit.*

PROVISERE *aliquo ire ac videre* Ter. Ad. 5, 6, 1. ego hinc ad hos *prouisam*, quam mox virginem arcessant; *siue potius* accessant. *vid.* Accersere.

PROVISVS: res prouisa, i. *bene cogitata, diu animo versata.* Hor. Art. 312. Verbaque *prouisam* rem non inuita sequentur. * *prouisae* frugis

in

in annum Copia Hor. Epist. 1, 18, 109. *est* collecta *copia messis.*

PROVOCARE Hor. Serm. 1, 4, 14. Ecce Crispinus minimo me prouocat *h. e. iam Crispinus scribax versificator mecum sacramento contendit, se citius me plures versus scribere posse; et quidem me prouocat* minimo, *h. e. ipse plus spondet, quam a me repromitti vult, certus nempe victoriae. Er setzt gegen eine geringe Wette von mir viel. Bentleius pro* minimo *legit* nummo; *sensus idem, sed emendatione non opus. Versus sequentes* Baxterus *et* Gesnerus *legunt:* Accipiam tabulas. *In nostra editione est:* Accipe iam *etc. Ita* Bentleius.

PROXIMVS culpae i. *reus* Phaedr. 1, 10, 5. *Sic* Cicero *dixit* culpae affinis *pro* reus orat. 4. catil. 3. *opp. a* culpa remotus. * proximus heres Phaedr. 3, 10, 12. *proprie solemniterque; alias* secundus *appellatur, qui tunc demum fit heres, cum primus heres mortuus est.* vid. Dispontinii collectan. in Phaedr. p. 252.

PRVDENS rerum. i. *philosophus, vt docet* Vet. Schol. *ad* Hor. od. 4, 9, 35. *Sed ego tantum intelligo de sagacitate animi, et prudentia ciuili. Lollius enim erat aulicus, ad quem haec ode scripta; idem non quaeram stoicas doctrinas in vers. sqq. sed sententias simplices, poëtae virtutem laudantis, et integritatem mentis.*

PTISANARIVM Hor. Serm. 2, 3, 155. *pultis genus ex farina hordeacea, cui maxima restaurandarum virium et nutriendi vis est. cf. de eius vsu* Nat. Andr. Matthioli in cap. 79. Dioscor. libr. 2. Gesnerus *in Thesauro locum attulit* ex Plin. Hist. N. 18, 7, *quem confer si plura cupis. Facete Horatius diminutiuo vtentem fingit Medicum, rem habentem cum auaro, cui blanditur, quasi exigui pretii pultem afferens.*

PVBLI-

PVBLICITVS, *publice iussa* Ter. Ph. 5, 8, (al. 7.) 85. Non hoc *publicitus* scelus hinc deportarier In solas terras. *relegari in aliquam solitudinem.*

PVBLICVS: *publica* materies, *sunt argumenta Tragoediae etc. iam nota, vt ex Iliade sumta; aut iam ab antiquis tractata:* publica *sunt, quia omnis populus ea iam nouit, et quasi possidet.* Hor. Art. 131. Publica materies priuati iuris erit *h. e. fiet quasi tua, a te inuenta.*

PVDOR Ter. A. 1, 5, 28. patris *pudor i. e. pietas, reuerentia erga patrem. Patet enim ex seqq.* cf. Hec. 1, 1, 41-47. * infans pudor Hor. Serm. 1, 6, 57. *reuerentia, s. verecundia proloqui timens.*

PVER: *comice* Ter. Ad. 5, 8, 17. de te largitor *puer! Compellatur hoc nomine Aeschinus, etsi maritus iam erat, leuiter obiurgandi causa.* Dacieria *h. l. sic reddidit:* dispoſez de vous, *mon petit mignon: Male! huic blanditiae non est hic locus; mallem posuisset:* dispoſez de vous, garçon.

PVGNA *i. e. turbae* Ter. E. 5, 2, 60. coll. 4, 13, 11.

PVGNARE vincere (*anteced. pro conseq.*) Ter. Ad. 5, 3, 57. *postquam Demea dixerat, se velle filium crastino die rus abducere, addit: vers.* 56. Et istam psaltriam vna mecum hinc abstraham. *Tum respondet* Mitio: *pugnaueris.* Eo pacto prorsum illic alligaris filium. *h. e. Ista ratione profecto vinces, filiumque tuum rure retinebis, quoniam ei certum est, a psaltria non discedere.*

PVLCHER: *pulchra* poëmata Hor. Art. 99. *sunt, quae plausum capiunt et placent per bonam et iustam ὁμονοιαν, et quidem iudicio et menti placent, totius carminis ordine:* opp. dulcia carmina, *quae affectus mouent, cor tangunt. Sic formosa et pulchra puella non semper est dulcis, et suauis, imo vero etiam iniucunda inter-

interdum, et ita versa vice. Hinc forte, ni fallor, translatio ducta est. vid. Dulcis.

PVLCHRE: *specioſe, callide; vt ſubinnuat quiddam ſimulationis* Phaedr. 1, 10, 10. Te credo ſurripuiſſe, quod *pulchre* negas. *praeclare!* Id, 4, 20, *et* 4, 25, 35. 4, 19, 6. 3, 13, 4, 5, 10, vlt. Hoc cur, Philete, ſcripſerim, *pulchre* vides. *penultimum verſum tu ita conſtitue*: Quod fuimus lauda, ſi iam damnas quod ſumus.

PVLLVS, pulla myrtus Hor. od. 1, 25, 18. *cuius vir or ad nigredinem vergit, qui color eſt myrti.* Reiske. *fic*, pulla ficus Id. Epod. 16, 46.

PVLMENTARIVM *dici de quouis cibo, quo cum pane veſcimur, notum eſt vel ex Phaedr.* 3, 7, 23, *et nota Schefferi ad h. l. Sed hinc intellig. ille locus* Ter. E. 3, 3, 6. lepus tute es, et *pulpamentum* quaeris, i. *cur quaeris, quod habes, in altero? vide* Gronou. ad Plin. libr. 22. c. 25. Hor. Serm. 2, 2, 20. tu *pulmentaria* quaere Sudando. *Reſpexiſſe Horatium Socraticum quoddam dictum notat* Vet. Schol. Hoc Socrates primus ait, qui cum ad noctem vsque ſpatiaretur, interrogatus a quodam, cur hoc faceret, reſpondit ὀψον συναγω, obſono coenae, *ſignificans ſe ideo deambulare, vt* cibum libenti animo caperet.„

PVLSARE aequo pede *per breuiloquentiam, aequis pedibus vel aequum erga omnes, vadere, et tum pulſare fores.* Hor. od. 1, 4, 13. Pallida mors *aequo pede pulſat* pauperum tabernas Regumque turres. *Quod* Lambinus *ad h. l. profert, etiam pedibus et calcibus pulſatas interdum fores, huc non pertinere videtur: quid enim tum* aequus pes? *de praeſtantia et veritate imaginis non eſt, vt dicamus, neceſſe. vide tamen voc.* Pes.

PVLVILLVS *proprie* cerui*cal, ſed interdum eſt etiam lectulus, in quo veteres legebant, et*

commentabantur. Hor. Epod. 8, 15. Quid quod libelli Stoici inter fericos lacere *puluillos* amant. *quare ſolent ſtoici libri penes te in lectulo iacere, quaſi Philoſophiae ſtuderes, vt captes magis amatores?*

PVLVINAR Deorum ornare Hor. od. 1, 37, 3. *eſt, in ſupplicationis die feſto, aut in lecticis, aut in tabulariis, vbi ſtarent eminentes, lectos diis ſternere,* quibus *ſcilicet accumberent; ſaepe Deorum ſtatuae iis etiam impoſitae ſunt.*

PVNCTVM omne ferre, *de vniuerſo applauſu; translatum a tabellis in Comitiis, in quibus ſuffragia punctis notabantur.* Hor. Art. 343. Id. Epiſt. 2, 2, 99. Diſcedo *puncto* illius (*ſuffragio, opinione eius*) Alcaeus. * punctum muſcae Phaedr. 5, 3, 3. *dicit pro* punctione.

PVPPIS. Picta puppis; *ſolebant Veteres naues pictura illuſtrare. vide* Klotz. Vindic. Hor. p. 128. Hor. od. 1, 14, 14. Nil *pictis* timidus nauita *puppibus* Fidit. *Reſpicit, credo, ad numina tutelaria nauis, quorum imagines pictae erant in puppi; de quo notum illud* Ouidii: Eſt mihi, ſitque precor, flauae tutela Mineruae, Et nauis a picta caſſide nomen habet.

PVRPVRA Hor. Epod. 5, 7. Per hoc inane *purpurae* decus precor; *per hanc praetextam, mihi iam decus inutile; conſtat inter omnes, iuuenes nobiles ad XVI annum praetextam togam geſſiſſe.*

PVRPVREVS Hor. od. 3, 3, 12. Auguſtus — *Purpureo* bibit ore nectar. *Mirum hic interpretes de explicatione ſaltim cogitare potuiſſe; quis eſt, qui non intelligat? quis* os, *pro* vultu, *cum additum ſit* bibit, *accipiet? quis neſciet, quid ſit* purpureum os, *qui modo pulchra ora vidit?* * *deinde* purpureus *de omni pulchritudinis colore dicitur.* Hor. od. 4, 1, 10. *purpureis* ales oloribus; *de Venere, quia currus eius ab alitibus tra-*

trahebatur oloribus. vid. Lambinum *ad h. l. et viros doctos quos laudat* Klotzius Vindic. Horat. p. 228.

PVRVS: verba *pura opp.* ornatis, figuratis, Hor. Serm. 1, 4, 54. Non satis est *puris* versum conscribere verbis. * purum numen, i. *coelum serenum* Hor. od. 3, 10, 8. *vide* Numen. *Sic et* puro Vespere. Hor. od. 3, 19, 26. *pro* sereno. *Adde Etusd.* Epist. 2, 2, 210. * Ter. H. prol. 46. In hac (Comoedia) est *pura* oratio i. e. *haec fabula, quam acturi sumus, non est actuosa, siue motoria, non affectibus aestuat* (vid. voc. Statarius.) *sed potius tranquilla oratione conflat. Hanc explicationem* Petro Marso *debemus, eamque ideo ceterorum interpretum sententiae praetulimus quod cum vniuerso orationis ambitu optime conuenit, nec indicari facile potest, quid sibi Terentius velit, si fingamus* puram orationem *hic significare* dicendi *genus purum, atque elegans. Certe sequeretur inde, in ceteris Terentii comoediis impurum regnare sermonem, quod, quam sit absurdum, nemo non videt.*

PVS Hor. Serm. 1, 7, 1. Proscripti Regis Rupili *pus* atque venenum. i. *liuorem et malignitatem. Rupilius, cognomine Rex, praeturam gerens, Bruti assecla, ab Augusto proscriptus est; inter hunc et Persium quendam dissidium ortum vrbane narrat hac Satyra vates. Culpat hanc Satyram quidem* Homius in Grundsaetzen der Critik Part. 2. c. 13. p. 89. *vt ad lusum verbi* Regis *prorsus confectam, sed videbit, qui hoc carmen attente perlegerit, turpiter falli Britannum; namque satyra eo potissimum fine scripta est, vt ridicula certamina litigantium suo tempore hac imagine perstringeret. id quod notat etiam vers. 6 et 7. atque omne quod narratur tam lepide de acrimonia horum certan-*

tium, de absurdis vere metaphoris v. c. Sole Asiae, stellis salubribus, cane, inuiso *agricolis* sidere, *allegoria illa* de vindemiatore cet. *Tandem hunc in verbo* Regis *lusum non* IPSE *profert Horatius, sed* PERSIVM *inducit dicentem, hominem ridiculum; adeo vt magis credam, vatem carpere eos, qui ludere verbis soleant, hac morata oratione, quam, ipsum illinc venustatem petiisse, nedum vt eo sine omne carmen composuisset. Sed solet Anglus ille doctissimus, et acutus alias vir, iniurius fere esse in Veteres, inprimis Horatium, nisi forte fugitiuis tantum oculis perlustrauit Euripidem, Sophoclem, et quos carpit saepius immerito. Quod Baxterus protulit de dilogia vltimorum versuum, quibus tangere Augustum ei visus est Horatius, non dignum est commemoratione, et iam notum est, Baxterum impense amasse dilogiam, vbique eam quaesiisse in Horatio, vbique eam inuenisse, vbi nullum eius vestigium.*

PVTEAL: *fuit locus fulgore tactus, a Libone Scribonio, imposito puteali, procuratus, vt semper, foramine ibi aperto, coelum pateret, in foro Romano, prope arcum Fabianum, ad quem sedes praetoris erat, et causae* foeneratorum et debitorum tractabantur. *Hinc* Hor. Epist. 1, 19, 8. Forum *putealque* Libonis Mandabo siccis, adimam cantare seueris. *Recte Gesnerus ad h. l. probat contra Baxterum, non esse haec, vt putetur, verba* Ennii, *sed ipsius Horatii; vide de hoc* puteali *etiam plura docte collecta in viri summi Thesauro sub h. voc.* Id. Hor. Serm. 2, 6, 35. Roscius orabat sibi adesses ad *Puteal* cras. i. l. *testis* l. *aduocatus.*

PVTRIS: oculos putres *apud* Hor. od. 1, 36, 7. *intelligo e nimio potu natantes, marcentes, qui cupiditate tamen in*

Da-

Damalim vertuntur. Omnes in Damalim *putres* Deponent *oculos.*

PYCTA Phaedr. 4, 24, 5. *scribitur etiam* pyctes, *est* pugil victor, *quando enim graeca hac voce Latini vtuntur, non simpliciter indicare eos* pugilem, *sed* pugilem coronatum, victorem, *notauit ad h. l.* Gudius.

PYRGVS *vasculum lusorium, ex quo coniiciuntur tali, s. tesserae* Hor. Serm. 2, 7, 17. qui pro se tolleret atque Mitteret in *pyrgum talos. Sed MSS. optimi, Cuning. Baxt. et Bentlei. legg.* phimum, *pro* pyrgum *et Schol. vterque; estque* pyrgus *certissime glossa, praesertim, cum Schol. Crucquii* phimum *explicet per* pyrgum s. tale vasculum, quale diximus.

PYTISSARE Ter. H. 3, 1, 46. Nam, vt alia omittam, *pytissando* modo mihi quid vini absumsit? *Mos erat hominibus fastidiosis, ac lautis, vt vinum, antea quam biberent, gustarent, ac deinde exspuerent, quinimmo in terram effunderent, quod* pytissare *dicebatur. Similis est locus apud* Petronium c. 38. „Plus vini „sub mensa effundebatur, „quam aliquis in cella habet„ *Plura volenti dabit* Burmannus ad h. l. pag. 168. *Chremes ergo Terentianus queritur, non quidem omnino, quod gustauerit Bacchis, sed, quod nimium fastidiosa, tam saepe pytissauerit, vt plurimum vini exspuendo, atque effundendo consumeret. Similis fere est apud Lucianum Timonis de Gnathonide querela* — πιθȣς ὁλȣς παρ ἐμοι πολλακις ἐμημεκως. — *pag.* 159. Tom. 1. ed. Reitz.

Q.

QVADRA *frustum panis, quod datur mendico* Hor. Epist. 1, 17, 49. Mihi diuiduo findatur munere quadra; *mihi dimidium quadrae, quam illi daturus es, donetur, diuidatur munus inter nos.*

QVADRARE aeruum. Hor. Epist. 1, 6, 35. Tertia succedat, et quae pars *quadret* aeruum, *quartam partem addat, vt quater millia fiant* cf. praeced.

QVAESTVS: *de eo quod quaestum alicui comparat, efficit* Hor. Serm. 2, 6, 19. Autumnus grauis, Libitinae *quaestus* acerbae. * impudentiae quaestus, *quem faciunt homines impudentes* Phaedr. 1, 14, 18. quorum stultitia *quaestus* impudentiae est; *qui sua stultitia patiuntur, vt alii grauiter impudentes lucrum facere ab iis possint.* * *pro iis locis ponitur, vnde quaestus quaeritur.* Phaedr. 3, 20, 4. Galli Cybeles circum *quaestus* ducere Asinum solebant. *Nimirum ad stipem colligendam;* Gronouius *in Notis emendat* circum coetus. *vide de hac Phaedri loquendi consuetudine plura in voc.* Religio * Ter. H. 4, 1, 27. Nempe nunc illi prodita abs te filia est planissime, per te vel vti *quaestum (corpore scil.)* faceret, vel vti veniret palam. *Tua culpa id accidit, vt anus illa filiam tuam aut cogere potuerit, quaestum vt faceret meretricium, aut eam palam pro ancilla vendere. Est enim elliptica illa locutio, quam plenam habes apud* Plaut. Poen. 5, 3, 21.

QVALVS *pro lanificio; est autem proprie, in quo mulieres reponebant pensa.* Hor. od. 3, 12, 3. *eleganter,* Tibi *qualum* Cythereae Puer ales — aufert; *ad imitationem, nisi me fallit iudicium, iucundissimi illius* Sapphus, γλυκεια ματερ, ἀτοι Δυναμαι κρεκειν τον ἰσον Ποθω δαμειϛα παιδος, Ραδιναν δι ἀφροδιταν.

QVANDOQVE *pro* si quando. Hor. od. 4, 2, 34. *Quandoque* (Caesar) trahet feroces Per sacrum cliuum (*sacer cliuus adhaerebat sacrae viae, qua ibant in capitolium, triumphantes*) merita decorus Fronde Sicambros. Id. Art. 359. *Quandoque* bonus dormitat Homerus. *incertam*

tam haec vox rem facit, si quando forte Homerus peccauerit.

QVASI *inseruit* ἀποσιωπήσει *non quidem eius, qui nihil velit, sed qui nihil possit amplius dicere* Ter. E. 3, 1, 15. *stulti nimirum atque insulsi Thrasonis, cui tamen et hoc loco (mira comici arte atque industria) nimium quantum suffragatur Gnatho vers.* 16.* *pro* fere, circiter Ter. H. 1, 1, 93. Mercedem *quasi* talenta ad quindecim Coëgi.

QVATENVS Hor. od. 3, 24, 30. *Quatenus* heu nefas (*ita vitium emendandum in nostra editione, addens illud* nefas *secundo ab hoc superiori versui, huic detrahens*) Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus inuidi. *Veram esse lectionem* τὸ quatenus *pro* quatinus, *quod Baxterus defenderat, ostendit Gesnerus in Thesauro, Festi etiam locum refutans, quo nititur obseruatio illa, nempe cum significet* quandoquidem, siquidem, *esse* quatinus *scribendum; cum sit pro* vsque, ad quem finem, quatenus. *Bene vates illis verbis:* clarus posigenitis, *addit hanc veram et eleganter dictam sententiam;* Baxterus *sub virtute Augustum intelligit, sed, credo, somnians. Quid autem si legeris* CARVS *pro* clarus; *quae sequuntur,* odimus — inuidi — *et totus locus inde certe maiorem vim, veritatem, elegantiam nanciscereturi.*

QVATERE mentem. i. *cum vi ad enthusiasmum quendam mouere.* Hor. od. 1, 16, 5. Non adytis *quatit* Mentem sacerdotum incola Pythius — aeque. * Id. od. 1, 18, 12. Non ego te candide Bassarea Inuitum *quatiam* i. *te exagitabo, monebo sacra tua, quibus reconditissima mysteria inesse credebantur.* * pede candido ter *quatere* terram Hor. od. 4, 1, 28. i. *tripudiare; de saltatione.* * quatere mente solida, *cum summa venustate, et sublimitatis*

quadam virtute Hor. od. 3, 3, 4. Iustum et tenacem propositi virum Non ciuium ardor praua iubentium Non vultus instantis tyranni Mente *quatit* solida; *erschüttert die feste Seele. vide* Iubere. * Hor. Epist. 2, 2, 84. risu populum *quatere; eleganter de eo, qui cachinnum ciet crumpentem, quo totum corpus concutiatur* * Ter. E. 2, 3, 66. Homo *quatietur* certe cum dono foras. *verberibus domo expelletur. Obserua, quam bellum sit comici in mouendo risu artificium; quid enim magis esse potest ridiculum, quam si quis, donum allaturus, non repulsam auferat, sed* quatiatur foras.

QVIETVS, *mitis, placidus* Phaedr. 2, 8, 15. bobus *quietis* agere coepit gratias.

QVINDECIM viri, *sunt sacerdotes illi quindecim Sibyllini sacris procurandis creati.* Hor. Carm. Saecul. 70. *Quindecim* Diana preces *virorum* Curet.

QVINQVATRES *feriae in honorem Mineruae, quibus pueri in scholis feriari soliti.* Hor. Epist. 2, 2, 197. puer vt festis *quinquatribus* olim Exiguo gratoque fruaris tempore raptim. *Plura et nubem Grammaticorum de his festis, si placet, consulendorum vide* in Thes. Gesneri hac. voce.

QVINQVEVIRI *erant magistratus humiles apud Romanos, aut agris diuidundis, aut aliis curationibus praefecti. vide* Alex. ab Alexandro Dier. Genial. libr. 3, c. 16. Hor. Serm. 2, 5, 56. Recoctus – Scriba ex *quinqueuiro* corum deludet hiantem. *vide* Recoctus.

QVIRITIS *singulari numero* Hor. od. 2, 7, 3. Quis te redonauit *Quiritem* Dis patriis Italoque coelo. *Gesnerus hic respici putat ad finitam militiam, qua soluti* Quirites *vocarentur. Sed, licet, verum sit, hac appellatione exauctoratos milites intelligi, non tamen h. l. quaeram. Bene enim cohaerent omnia;*

quis

quis te Romanum redonauit coelo Italo, romano, et Diis patriis. *Non video hic vestigium militiae finitae.*

R.

RABIOSVS, rabiosi tempora signi Hor. Serm. 1, 6, 126. Ast vbi me fessum sol acrior ire lauatum Admonuit fugio rabiosi tempora signi. *Sic habet nostra certe editio:* et rabiosi tempora signi *dies sint caniculares: sed verior longe et elegantior lectio* Bentleii, *iam ab Crucquio in codice antiquo reperta:* Ast vbi me fessum sol acrior ire lauatum Admonuit fugio campum lusumque trigonem. *In campo Martio ludebant terni pila trigonali. Verba:* Rabiosi tempora signa; *desumpta ab librario, sine dubio ex tertia satyra Persii; vt iam notauerat Baxterus.* * *rabiosa* canis. Hor. Epist. 2, 2, 75.

RADERE *de vento turbulento, qui puluerem colligit, et spargit; bella imago.* Hor. Serm. 2, 6, 25. Siue Aquilo *radit* terras *Vet. Schol.* stringit. *Quod vix video quid sibi velit. Adde* Epod. 16, 54. *Radat* Eurus arua imbribus. * Hor. Serm. 2, 4, 83. Ten' lapides varios lutulenta *radere* palma. *varii lapides appellat ipsum pauimentum*; lutulenta palma radere, *scopis ex palma mundare, bene hoc loco!*

RAPERE *auditorem in medias res.* Hor. Art. 149. *de Homero, qui statim res, quae aguntur, in principio Iliados narrat, sic, vt nos, quasi iam spectatores rerum, cernamus agi, quorum initium nunc non totum sed in seqq. demum narrabitur. Similis plane est Aeneidos initium et cuiuscunque veri poëtae epici.* * Phaedr. prol. 3, 46. *rapiet* ad se, quod erit commune omnium: *sibi tantum adplicabit, et aliis nil dictum credet.* * in peiorem partem Ter. Ad. prol. 3. *est, cum studio atque inuidiose vituperare.*

RARVS, rara lacryma *venuſte de lento et tabifico morbo amoris*; *guttatim fluunt lacrymae, ſpatio interpoſito* Hor. od. 4, 1, 34. Manat *rara* meas lacryma per genas. **rara* iuuentus Hor. od. 1, 2, 24. Audiet pugnas vitio parentum *Rara* iuuentus; *poſteri pauci illi.*

RASTRVM *inſtrumentum ruſticorum ad glebas findendas aptum. Videtur idem fuiſſe, quod Graecorum* δικελλα; *idque apparet e Luciani Timone, cuius primam partem quoad cetera quoque cum prima* τε εαυτοντιμωρεμενε ſcena *apud Terentium comparari maxime velim. Namque Terentius de fodiendo loquitur, apud Lucianum* tom. 1, pag. 114. ed. Reitz. σκαπανεος *dicitur Timon*; Ter. v. 40. Huc tam *graues* hos quaeſo; *Lucianus ibid.* ἑτω βαρεικν φερων την σικελλαν. Ter. H. 5, 1, 58. Nam ſi illi pergam ſuppeditare ſumtibus — mihi illaec *vere* ad *raſtros* res redit. *Chremes h. l. ad illos raſtros reſpicit, quos Menedemus* portauerat Act. 1. Sc. 1. verſ. 36. *ac ſignificat, ſe per filii luxuriam, ad veram paupertatem, non vt Menedemus, ad fictam et ſimulatam, redactum iri.*

RATIO *ſententia* Ter. Hec. 3, 1, 26. ſi vis vero veram *rationem* exſequi. Vid. Exſequi.

RECIPERE *locus eleganter dicitur* excipere, recipere *alios, in quem illi ſe recipiunt, et tuto confugiunt* Phaedr. 4, 23, 10. me copioſa *recipit* incolumem domus. Id. 1. 12, 9. ſilua tum *excepit* ferum. Id. 4, 5, 4. aegre *recepti* mures cauis. * *de perſonis.* Corpus lecto *recipere, discumbere*, Phaedr. 1, 18, 4. *reciproce, vt alias dicitur, recipere aliquem domo.*

RECTE Phaedr. 4, 12, 1. *recte* loqui: *ſincere, ſine ambagibus ſimulationis* * *elegans in hoc verbo* ἀμφιβολια *eſt in* Ter. A. 5, 4, 53. *Pamphilus de Dauo*, non *recte*, inquit,

quit, vinctus est. *Intelligit autem eum esse immerito vinctum. Pater autem significari putat eum haud accurate satis, aut arcte constrictum esse, et respondet:* Haud ita iussi. * Ter. E. 2, 3, 50. *vbi Charea Archidemidem rogauerat,* num quid velit? *respondit alter: Recte; abeo. More Romano. Quum enim aliquem a se dimittere vellent, rogabant,* num quid vellet, *quod si alter negaret,* recte, *dicebat,* abeo. cf. Horat. Serm. lib 1. Serm. 9. v. 6. * Ter. H. 2, 1, 16. Tum quod eidem *recte* est, nam nihil esse mihi, religio est dicere. *Nemo est interpretum qui melius h. l. intellexit, explicaueritque probabilius, Kohlio in commentario crit.* p. 36. sqq. *Sensum enim verborum hunc fere constituit.* Equidem profecto nihil habeo, quod Bacchidi dem, praeterquam quod ei saepius roganti subinde respondeam. *Recte h. e.* ego isthaec, recte vt fiant, curabo. *Atque ita pollicendo animum eius detineo, quoniam pudet me dicere, mihi prorsus nihil esse, quod ei donem.*

RECTVS, pro erectus Hor. od. 4, 4, 48. Fana deos habuere *rectos. nunquam postea de suis sedibus deturbatas esse statuas Deorum notat, id quod et historia docet.* * *animus rectus* Hor. 4, 9, 36. *constans, prudens.*

RECLVDERE fata, *de morte: venuste, qua clausus quasi homo.* Hor. od. 1, 24, 17. Non lenis percitus fata *recludere. Graecism.* non lenis *i. e. crudelis, recludere.*

RECOCTVS Hor. Serm. 2, 5, 56. plerumque *recoctus* scriba ex quinqueviro coruum deludet hiautem. *Vet. Schol. ad h. l.* recoctus, denuo saepe resectus, et per hoc astutus; recocti autem dicuntur scribae, qui saepius, cum pro consulibus in prouincias missi, exercitatiores facti sunt vsu ipso, et frequentia; *Solent autem mitti quinqueuiri, qui cum rediissent, vendebant decurias suas, et*

et quinqueuiri dicebantur; quod si voluissent iterum pro magistratibus apparere, et fructus priores percipere, cocti *dicebantur; quique saepius hoc factitabant,* recocti; *qualis Coranus fuit, qui Nasicae filiam in matrimonium accepit.*

RECVMBERE *elegantissime de vndis sedatis* Hor. 1, 12, 33. Minax — ponto Vnda *recumbit.*

REDDERE carmen, i. *canere antea mandatum memoriae* Hor. od. 4, 6, 43. * de vltione Ter. E. 5, 7, 18. *reddam* hercle.

REDEMPTOR Hor. od. 3, 1, 35. huc frequens caementa demittit *redemptor. Durum mihi videtur intelligere frequentem redemptorem cum Gesnero fabricae susceptorem, qui vnus ipse multas adducat operas; potius explicem de redemptore, qui frequenter caementa demittat, et, ipse aduentans, et saepissime praesens. Non insolemnem hanc locutionem esse scriptoribus, docti viri norunt.*

REDIRE, in rationibus Hor. Art. 329. *Redit* vncia, quid sit? Thut man eine Unze hinzu: wie viel macht das? * *eleganter* Hor. Epist. 2, 1, 48. Qui *redit* ad fastos et virtutem aestimat annis; *quasi eurrit antea ad fastos, vt videat, an vetusta sit virtus, quam probat.*

REDITIO Ter. Eun. 4, 4, 4. Quid huc *reditio*; *est, elegans et grauis μαρολογια*; *Cur huc reducti? Est autem fere obiurgantis. Ita enim Artemona in Plauti Asin.* 5, 2, 70. *Philenium increpans.* Quid tibi, ait, huc *receptio* est ad *te* meum virum?

REDONARE Hor. od. 2, 7, 4. Quis te *redonauit* Quiritem Diis patriis Italoque coelo. *vide* Quiritis.

REDVCTVS, vallis reducta, translate et belle, depressa, aut sinuosa Hor. Epod. 2, 13, In *reducta* valle mugientium Prospectat errantes greges *Bene prospectat, errantes: libere pascentes; imago omnino suauissima!*

uissima! Sic eadem elegantia, eodem sensu Hor. od. 1, 17, 17. Hic in *reducta* valle caniculae Vitabis aestus.

REFERRE nauem in mare Hor. od. 1, 14, 1. O Nauis, *referent* in mare te noui fluctus; *vbi per nauem plerique interpretes rempublicam et totam oden allegoriam intelligunt, inter quos* et ipse Quintilianus 8, 6, 44. Muretus *tamen et* Faber Epist. 1, 53. *negant hic esse allegoriam. Non nostrum est lites componere tantas; tu vero lege* Bibliothek der schön. Wissenschaft. III. Th. 1 St. p. 61. * Ter. A. 3, 2, 16. Quid rettulit. *Impersonaliter i. e. iuuat.*

REFIXVS sidera *refixa* i. *detracta, reuulsa, de coelo derepta.* Hor. Epod 17, 5. *Refixa* coelo deuocare sidera. Baxterus *legit*, defixa, *nec ipso Gesnero probante.*

REGIA *pro* regnum Hor. od. 1, 37, 25. Ausa et iacentem visere *regiam. vinida quadam imagine!*

RELIGERE pecuniam i. *colligere antea dispersam inter debitores* Hor. Epod. 2, 69. Omnem *relegit* Idibus pecuniam. *Idibus enim et Calendis vsurae et sors exigi solebant. Bentleius et Baxterus cum optimis libris legunt*, redegit, *pro* relegit; *quod voc. etiam habet vim et acerbitatem, qua foeneratores pecuniam exigere solebant; adeoque malim* redegit. *vide hanc lectionem etiam tuentem* Klotzium in Vindic. p. 258.

RELIGIO *de omnibus, quae religiose coluntur, obseruantur, atque custodiuntur, dici constat, hinc* Phaedr. 1, 37, 6. poenas sanctae *religioni* pendere, *quia Canis Manes violauerat, atque loca illa religiosa.* Phaedr. 4, 10, 4. repente vocem sancta misit *religio; quia Iouis fanum compilauerat fur, vox ibi emissa est: quae quum fieret ob violatam huius loci atque ipsius Iouis religionem, ipsa religio eam emisisse dicitur. Occurrunt*

runt enim vbique apud Phaedrum eiusmodi locutiones, quae vniuerse efferunt, quod ad suas formas referendum est. Videtur hoc loco vox religionis ad Deum ipsum referri, qui coleretur hoc in loco, et cuius vox ibi audiretur. Phaedr. 3, 13, 8. Ne *religio* peccet imprudens mea, h. e. *ne ego iudex, cuius fides a partium studio aliena, tamen fallar cauſſae incertitudine. Natiuum candorem iudicis his verbis ostendit fabulator. Sic de iudiciis incorrupta fide* Phaedr. 4, 25, 26. Decerne quod *religio*, quod patitur fides.

RELIGIOSVS Ter. H. 4, 1, 36. verum vt stultae et miserae omnes sumus *religiosae*, i. e. *nimium quam par est superstitiosae, et anxietate conscientiae praegrandi laborantes. Cum in vniuersa hac scena mirabilis admodum atque egregius exstitit Comicus in exprimenda mulieris tenerae, mollis, timidae, imbecillae, pudentis denique imagine, tum in his praecipue versibus* 36. seqq. *haud leuia reliquit artis vestigia. Iam se ipsam nimis accusserat Sostrata, iam supplex a marito peccati veniam petierat, iam nihil intactum reliquerat, quo posset animum eius ad ignoscendam sibi hanc culpam promouere. Sed alii deinde pictori poëtico suppetebant colores, quibus inchoatam perficeret imaginem, eamque nouo lumine ita collustraret, vt antea videantur omnia, quae in oculos incurrerent, opaca atque abdita fuisse, nunc demum nitida ac luminiosa quaeuis appareant. Namque vt de nimia, quae solet inesse mulieribus, religione ac superstitione nihil dicam, quam partim formae muliebris ipsa Sostrata expresse prodit: hoc animaduerti a lectoribus magnopere velim, poëtam simul hoc innuere, quam solemne sit mulieribus, ex timiditate in animi abiectionem delabi. Etenim quod annulum expositae puellae dederat,*

ea

ea res nihil habebat vitii, praeter superstitionem quae v. 39. indicatur, tamen et hoc factum stultitiae insimulat v. 36. *etsi maritus eam defendit v.* 40. *Istuc recte, inquit,* conseruasti te atque illam. *Quis enim cum Calphurnio εἰρωνευτως illud esse dictum somniet?*

RELINERE dolia Ter. H. 3, 1, 51. *est dolia remoto limo, aut pice aperire: De ratione vini condendi cf. Plin. histor. nat. lib.* 14. *c.* 20. *Columell.* 12, 18. *Cato de re rustica c.* 120. *Horat. od.* 3. 8. 10. *Contrarium est* oblinere. *Ceterum hoc negligi non debet, dolia tantum esse relita, vbi prima vice aperiebantur. Hinc si Chremes, releui, inquit, dolia omnia; significat, sibi omnia dolia, quae adhuc integra nec vnquam antea depromta fuerant, aperienda fuisse.*

RELINQVERE, *relinqui dicitur proprie, quem in cursu superat currendo alter, vt nos dicimus zurükbleiben; eleganti translatione vsurpauit* Hor. Art. 417.

RELIQVIAE Phaed. 1, 22, 6. Nunc quia laboras, vt fruaris reliquiis, quas sunt rosuri, simul et ipsos deuores. *Intelliguntur h. l. τα περισσα a cibo nimirum atque coena, quibus mures vesci plerumque solent. cf.* Hor. Serm. 2, 6, 104. multaque de magna *superessent* fercula Coena Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.

REMEDIVM *de persona* Ter. Ad. 3, 1, 7. Solus mearum miseriarum est *remedium.*

REMITTERE *desinere* Ter. A. 5, 1, 8. *Ita etiam simplex occurrit.* A. 5, 3, 2.

REMISSVS, *arcus, pro non tento.* Hor. od. 3, 27, 67. Venus et *remisso* filius arcu; *bene h. l. Amor cum arcu non tento, quippe qui Europae iam debellasset pudorem.*

RENATVS Epod. 15, 21. Nec te Pythagora fallant arcana *renati; quamuis scias omnem Pythagoricam arcanam disciplinam.*

plinam. Renatum dicit eum propter μετεμψυχωσιν, *facete! quia dicitur animus Pythagorae primum Euphorbi Troiani fuisse, vnde dictus Panthois, deinde Homeri, postea in Pythagoram transisse.*

RENIDERE, *pro* subsannare Hor. od. 3, 6, 12. Adiecisse praedam Torquibus exiguis *renidet.* De *Parthis vincentibus Romanos. Ille hostis gaudet se praedam accepisse, ore hiscente, et naribus contractis substrictisque ridet, dentesque ostendens. Ita locum explicat, et ob elegantissimam imaginem, quae rem optime pingat, laudat ipse* Klotzius Vindic. p. 201.

RENODARE, comam; *pro* religare, *in nodum colligere* Hor. Epod. 11, 28. Teretis pueri, longam *renodantis* comam. *Nonnulli codd. legg.* renidentis comam; *cui fauet Gesnerus, cum sit inusitata vox renodare. Mihi vero propter eam caussam magis placet, et propter similem locum od. 2, 5, 23.*

REPARARE *pro permutare l. permutatione accipere; parare enim est saepius, emere, atqui vti, redemere, dicitur pro emere, sic reparare pro parare, etiamsi plane nouum hoc verbum fecisset Horatius, vt alias solet, quamquam et apud ICt. occurrit vt notat Gesner.* ad h. l. Hor. od. 1, 31, 12. Vina Syra *reparata* merce: *magis exquisita, pretiosiora.* Bentleius *reparata intelligit* condita *siue* medicata Syriaco nardo; vt *luxuriosos indicet, sed vix haec interpretatio satis probari possit* * *reparare* oras classe Hor. od. 1, 37, 23. *de Cleopatra victa;* nec latentes Classe cita *reparauit* oras; *Gesnerus satis probabiliter:* „*classe cita i. mo„ta et translata, repa„rauit, i. sibi denuo pa„rauit, acquisiuit, ex„pugnauit,* (*sc. amissa „Aegypto*) *alias cras,* „latentes *i. e. occultas, „ignotas Romanis.*„ *Sed tamen aliquid duri in hac interpretatione sentire videor, atque ingenue*

genue fateor, mihi valde arridere Bosii *emendationem* Animaduers. latin. pag. 36. classe cita ire parauit oras; *h. e. in ignotas Romanis oras ire parauit.* Bentleius *legit:* classe cita penetrauit oras. *male!* * Hor. od. 4, 7, 13. Damna tamen celeres *reparant* coelestia lunae; *pulchre de crescente luna.*

REPENDERE Phaedr. 2. prol. 13. Ita, si *rependet* illi breuitas gratiam, cuius verbosa ne sit commendatio etc. *Quem difficilem locum non dubitamus ita scribere, consentientibus vetustis libris:* Ita sic rependit illi breuitas gratiam; Cuius verbosa ne sit commendatio, attende cur — *Non enim hinc separanda est narratio sequens, de iuuenco* etc. *quam maxime Phaedrus cum prologo coniunxisse videtur, vt fecit lib. 4. prol.* Omittenda itaque *verba Inscriptionis*, Iuuencus, Leo, et praedator, *et continuo copulanda fabula illa cum prologo.* Id quod factum etiam *video in editione Phaedri a Fabro. Praeterea non ineptum videtur, seruare lectionem constantem in Codicibus vers. 12. et leg.* Ita sic, *quod nec sine exemplo dici affirmat Gronouius in emendationibus in Phaedrum, coniunctis cum Frid.* Gronouii notis et Nicolai Dispontinii Collectaneis in edit. Phaedr. Amstelodam. 1703. pag. 143. *aeque plane est pleonasmus germanus cum dicimus: Auf diese Art also.* Ita *enim pro* ITAQVE *atque* hoc modo explicandum. *Sensus totius loci est: si vero hic ibi Aesopi fabellis aliquid adiecerim atque varietati in narrando studuerim, aequi bonique consules, lector; quod, si igitur a te consecutus fuero, illi rei, quod tam beneuolus sis, gratiam rependit breuitas, quam hic in petendo sequor, dum non longiori petitione tibi molestus fiam. Ac ne huius breuitatis meae verbosam commendationem insti-*

tuam, qua demonstrem, quid ea mereatur, attende potius ad fabulam, quam narrabo, vt meum nunc est institutum, atque exemplo docebo, aequum esse iis, qui reuerenter petunt obsecundare lubentius, quam iis, qui importunius rogant. Haec optime conueniunt cum nota breuitate Phaedri.

REPENTE *praeter spem et consuetudinem* Phaed. 1, 23, 1. *repente* liberalis, stultis gratus est. *Sic etiam* Id. 1, 23, 7. *subita* benignitas.

REPONERE *de fabula iterum acta*, et *repraesentata in scena.* Hor. Art. 190. Fabula, quae posci vult et spectata reponi. *Batteßius intellexit cum Ramlero de recordatione; fabulam nempe animo quasi reponi sic, bene posse memoria teneri; quod ego non crediderim. Ceterum, quae addit explicando h. l. Batteßius, recte se habent, dignaque sunt lectu.* vid. Einleit. in die schön. Wissenschaft. Th. 2. p. 283.

REPOTIVM *Vet. Schol.* ad Hor. Serm. 2, 2, 60. licebit Ille *repotia*, natales, aliosue dierum Festos albatus celebret. *Dicuntur repotia, quae Graeci dicunt* ποδοξοφια, *aut mutuae inuitationes, vel etiam dies secundus a nuptiis, quo virgo ad muliebrem habitum componitur. Hic pro* festis diebus accipitur. „ *Hactenus ille: plura cupiens de his repotiis eorumque vario vsu et significatione adeat Gesneri Thesaurum, qui praeter haec verba Schol. disputationes virorum doctorum in summam quamdam redegit. Bene autem apud Horatium* albatus celebret, *i. candida toga, vt mos erat, quia dies festus.*

REPERIRE *de iis, qui ingenio suo primum rem quamdam excogitant atque instituunt.* Phaedr. 1, 1, 1. Aesopus auctor, quam materiam *repperit.* Phaedr. 4, 10, 15. Quot res contineat hoc argumentum vtiles, Non explicabit alius, quam qui *repperit. Immerito ac-*

cusat

cusat Freinshemius ex hoc loco Phaedrum nimiae ambitionis; vindicatus est vero a Sheffero in notis. Sed etiam Lessingius in quaestionibus de fabulis acriter hic litem intendit Phaedro; quasi haud gnarus satis sit fabularum vis, atque virtutis, quique ita lepidarum formularum atque syrmatum sit amans, vt tandem ipse cogatur, pluribus verbis ostendere fabulae argumentum, vnicuique aptum. At aliud potius exemplum, si quod est, vellem elegisset Lessingius. Tantum enim abest, vt Phaedrus hanc narrationem pro fabula propria vendat, vt ipse potius suo exemplo probet, quod necesse putabat, posse hanc frugiferam narrationem, vt aliae, quas suis fabulis hic ibi interseruit, vtilissimarum rerum in communi vita esse documentum. Occurrunt eiusmodi narrationes euoluenti Phaedrum istae: 3, 10. et 4, 21. et 5. 8. cet.

REPRAESENTARE, *facere aliquid ante tempus, citius quam fieri soleat aut debeat.* Phaedr. 3, 10, 32. *repraesentauit* in se poenam facinoris i. e. *non distulit supplicium de se sumendum patrati parricidii, sed statim a se exegit, atque anticipando praesentem reddidit poenam.*

REPREHENDERE *proprie, prehensum retro trahere.* Phaedr. 5, 8, 4. elapsum semel Non ipse possit Iupiter *reprehendere.* * Ter. Ad. pr. 14. *quod est ab aliis relictum, assumere, retinere.*

RES Phaed. 4, 7, 4. si qua *res* esset cibi h. e. *si qua res edulis, s. cibus esset. graeco more* * Phaed. 3, 8, 11. res foeminarum i. e. *supplex muliebris, h. l. speculum.* Phaed. 5, 8, 5. *rerum* occasio. *pleonastice.* * *res, nudis verbis saepe opponuntur, inde etiam rationes, argumenta significant, quae non verbis sed ipso facto verum aliquid probant* Phaed. 5, 5, 3. Pro iudicio dum stant erroris sui Ad poenitendum

dum *rebus manifestis* agi solent. * Ter. H. 1, 1, 3. *nec rei fere, sane amplius quidquam fuit.* i. e. *nec fere quidquam amplius tecum negotii habui.*

RESCRIBERE, *voc. iuris, reddere pecuniam creditam; nam quia diuites Romani pecunias suas depositas habebant apud argentarios; debitor cum reddit pecuniam foeneratori ab illo acceptam, illam pecuniam rursum scribere argentarium iubet, vt depositam ab huius pecuniae domino, cum antea scripta esset, pro eo erogata mutuo sibi.* Hor. Serm. 2, 3, 76. Dictanti quod tu nunquam *rescribere* possis, *vid. dictare* * *argentum per scripturam aut syngrapham reddere* Ter. Ph. 5, 8, 29.

RESCIRE Ter. Ad. 5, 3, 5. Hem tibi! *resciuit* omnem rem, id nunc clamat scilicet. vid. *De hoc verbo* Gell. N. A. 2, 19. *et in primis* Kohlium in comm. crit. pentad. 1. loc. 16. p. 55. sqq.

RESIDERE, *bene de pellibus asperis exorientibus, et incipientibus vestire hominem* Hor. od. 2, 20, 10. Iam *residunt* cruribus asperae Pelles: *quam pulchre autem hoc loco id dictum, in tali vniuersa Allegoria, praesertim cum Horatius iam annos plurimos explesset, et ad aetatem senilem fere accederet, ipse iudicabis.* * Hor. od. 3, 2, 30. Nostrisque ductum seditionibus Bellum *resedit.*

RESIDES *de iis, qui publica munera recusant, nec omnibus rebus nouis interfunt.* Phaed. 5, 1, 7. *resides* et sequentes otium: *fortassis philosophos et poëtas putat.*

RESIGNARE, *proprie quod signatum est, aperire*; vt *chirographum, demto signo, dissoluere, Hinc elegantissime* Hor. od. 3, 29, 54. Resigno quae dedit i. *reddo, quasi vt chirographum soluo* Id. Epist. 1, 7, 34. Hac ego, si compellor, imagine cuncta *resigno. reddo tibi*

tibi dona tua: satis aspere Vet. Schol. *Sed tali ioco Maecenatem necesse est potius delectatum esse et iuuatum, quam offensum, et, quae consequuntur, satis sustentant hunc iocum.*

RESIPISCERE *ex pristina solicitudine atque animi anxietate ad se redire* Ter. A. 4, 2, 15.

RESPICERE *curare* Phaed. 3, 10, 28. nihil *respiciens*, dum dolorem vindicet. *Inde* respectus *pro intuitu, consideratione attenta* * se respicere, *nullam sui rationem habere.* Ter. H. 1, 1, 18. Nullum remittis tempus, nec te *respicis.* Haec non voluptati esse satis certo scio. * *pro* colere, curare Ter. Ad. 3, 2, 55. Nam hercle nemo *respicit* nos. *Antea dixerat Sostrata: nos coluit maxime* Ph. 2, 2, 24. cf. vers. 54.

RESPONDERE, *sistere se in iudicio vadimonio dato.* Hor. Serm. 1, 9, 36. casu tunc *respondere* vadato Debebat. Phaedr. 4, 17, 8. citati non *respondent.*

RESPONSARE Hor. Serm 2, 4, 18. Ne gallina malum *responset* dura palato; *lepida metaphora, durus cibus male placet, et quasi recusat edi palato.*

RESTO; restitit, *substitit* Phaedr. 1, 12, 3. Ad fontem ceruus, cum bibisset, *restitit.* Sic Id. 3, 14, 2. * Ter. H. 5, 3, 7. In qua re nunc tam confidenter *restas* stulta?

RESTINGVERE pocula Hor. od. 2, 11, 11. Quis puer ocyus *Restinguet* ardentis Falerni Pocula praetereunte lympha, i. e. *profluente aqua nimiam vini vim temperabit. Sed, licet Baxterus hic dicat:* bene *restinguet* subiecturus *ardentis: ego hic forte iusto plus audacem Flaccum putem,* restinguere pocula, *eo sensu, quo est* h. l. *non satis facit religioni meae. Quam vellem, vt aliter alii sentiant!*

RESTIS Ter. Ad. 4, 7, 35. Tu inter eas *restim* ductans Saltabis. *Intellig. de* Cordace, *genere saltationis, vbi praesultor ductitabat restim,* (κορ-

θαχ' εἵλκυσεν Aristoph. Nubb. 540.) *et reliqui eum sequebantur tenentes manibus eandem restim, ita vt mouerent lumbos et iactarent. Sic explicat hanc saltationem* in Indice Theophrast. Fischerus *ad charact. 6. neque tamen semper obscenam et lasciuam fuisse saltationem, vt putant viri docti, vel ex isto Terentiano loco colligam. Forte in scena pudorem offendit iactatio illa lumborum, neque eodem plane modo semper saltatum est.*

RESVPINARE *prehendere aliquem, et vt respiciat cogere.* Ter. Ph. 5, 6, 23. puer ad me accurrit Mida: pone apprehendit pallio, *resupinat*: respicio, rogo, Quamobrem retineat me etc.

RETENSVS Phaed. 3, 14, 5. arcum *retensum* vocat, *cui demtus est neruus. Intendere enim arcum est, neruum addere, quamqam adictum cum telo nondum intendatur.*

RETEXERE scripta, *translatione audaci de tela texta et retexta sumta,* delere, mutare Hor. Serm. 2, 3, 2. Sic raro scribis vt toto non quater anno Membranam poscas scriptorum quaeque *retexens.*

RETICVLVM panis, *rete, quo in vrbem panis portari solet* Vet. Schol. ad Hor. Serm. 1, 1, 47. Vt si *Reticulum* panis *venales inter onusto Forte vehas* humero, nihilo plus accipias quam Qui nil portarit: *ad auarum, quemadmodum inter venales pueros, qui panes portabit, non plus accipiet, quam is puer, qui vacuus et nihil portans ambulauit, ita tu, quamuis plus laboraueris in acquirendo, quam alius, cum factus sis pecuniosus, non plus venter tuus recipiet, quam eius, qui exiguum possidet.*

RETICERE *refertur ad dolorem* Ter. 1, 1, 33. *vide* Obticere.

RETORRIDVS *proprie de plantis et fructibus siccis, et contractis in rugas; hinc de sicco aliquo atque macilento*

Phaedr.

Phaedr. 3, 1, 16. Venit et *retorridus* (mus) qui saepe laqueos et muscipula effugerat. *Senem murem belle describit.*

RETVNDERE animum, *est violenter ac grauibus remediis ad sanitatem aut meliorem frugem reducere* Ter. H. 8, 1, 73.

REVOCARE, *vt vocare absolute, est inuitare ad conuiuium, sic reuocare, vicissim vocare ad coenam* Phaedr. 1, 26, 7. Ciconia vulpem, quum *reuocasset. Cicero eodem sensu vsurpauit vocab. pro* Rosc. Amer. 18. *Sic* et Phaed. 4, 17, 26. reclamant *h. e. iterum clamant.*

REX, *qui praecipue ab aliis colitur vt patronus, vel in ludis puerilibus principem locum obtinet, vt alios regat.* Hor. Epist. 1, 1, 58. At pueri ludentes, *rex* eris aiunt, si recte facies, h. e. *si in ludis aliorum reuerentiam praestantia tua tibi conciliaueris.* Hinc Id. od. 1, 36, 8. Memor actae non alio *rege* pueritiae; *de Lamia, qui quasi perpetuum in eiusmodi ludis regnum habuerat. Habet hic locus mollis sensus suauitatem eximiam, reminiscentis puerilis amicitiae quae nunc recolitur ab coniunctis denuo amicis.* * Ter. A. 1, 1, 65. *Intelligitur Seleucus rex Asiae.* Dacieria. * Ter. Ph. 1, 2, 20. oh *regem* me esse oportuit. *i. e. diuitem et opulentum hominem; Significat autem se diuitiis meliori ratione vsurum fuisse, vbi eas habuisset.* * *rex a parasitis dicitur is, qui eum alit, sicut in genere magister conuiuii interdum rex appellatur.* Ter. Ph. 2, 2, 24.

RHAMNES Hor. Art. 342. celsi *praetereunt* austera poëmata *Rhamnes. non centuriam solum equitum a Romulo Rhamnenses dictos* (vid. Liu. 1, 13.) intelligit, sed iuuenes *nobiliores in vniuersum; alludens tantum ad Rhamnenses, hinc* celsos *vocat, sublimes, fastidiosos. vide* Praeterire.

RIGIDVS Getae *rigidi, belle! propter rigidam, et frigidam regionem.* Hor. od. 3, 24, 11.

RISCVS Ter. E. 4, 6, 16. *est siue cista pelle contecta, siue locus in parietibus angustus. Donat. Muret.* Vossii Etymol. p. 435.

RISVS Phaedr. 1, 1, 3. risum mouere *alterum fabularum est consilium i. e. voluptatem afferre atque ciere iocum de leuibus rebus, quibus simul aliorum errores deridendos propinantur.*

RITE *de more, solemni consuetudine* Hor. od. 4, 6, 37, 38. *Rite* Latonae puerum canentes, *Rite* crescentem face Noctiluam, Prosperam frugum.

ROBVSTVS, puer robustus i. *aetate adulta, adolescens.* Hor. od. 3, 2, 2. * fores robustae i. *solidae, validae, forte etiam proprie, a robore factae.* Hor. od. 3, 16, 2.

ROTVNDARE Hor. Epist. 1, 6, 34. Mille talenta *rotundentur; congerantur ita vt summam expleant.*

ROTVNDVS, *Os rotundum Graecorum* Hor. Art. 323. *est elegans, et, quod suauia, se aperiendo et dulcia profert. Rotundum saepe pro perfectum apud latinos occurrere notum, sed hunc locum non esse accipiendum de* perfectione, *sed poëtica elegantia probat contextus, et conf.* voc. Os.

RVBERE, rubens dextera, *de Ioue fulmen mittente. Manubiae Iouis omnes dicuntur rubrae et sanguineae.* Schol. Crucq. *sed h. l. poëtice valde, et audaci cum pulchritudine positum.* Hor od. 1, 2, 2. Iam satis terris niuis atque dirae Grandinis Misit pater, et rubente Dextra iaculatus arces Terruit vrbem.

RVBICVNDVS *de colore faciei* Ter. Hec. 3, 5, 26. *Videtur autem h. l. idem significari color, qui alias rubidus appellatur, quemque Gellius* N. A. c. 26. lib. 2. *ita describit; Rubidus est rufus atrore et nigrore multo mistus.*

RV-

RVCTARI, versus Hor. Art. 457. *bene de vesano et elato poëta.*

RVDIS, *virga, quae gladiatori dabatur in signum exactae artis.* Vet. Sch. ad Hor. Epist. 1, 1, 2. Spectatum satis et donatum iam *rude* quaeris Maecenas iterum antiquo me includere ludo. *Dubito fere tamen, an ista comparatio, qua se poeta, qui saepe palmam tulerat, cum gladiatore saepius donato palma confert, satis consistere possit ei, qui accurate illam enucleare velit.*

RVERE, ruens acervus, *de diminuta ac paullatim sublata sententia per Soritem, seu fallacem et captiosam argumentationem. Apparebit magis res explicato ipso loco* Horatii Epist. 2, 1, 42. caudae pilos vt equinae, Paullatim vello et demo vnum, demo etiam vnum, Dum cadat elusus ratione *ruentis acervi* Qui redit ad fastos et virtutem aestimat annis. h. e. *si aliquis dicat poëmata ea tantum bona esse, quae vetustatem nacta sunt quaero; bonumque carmen quod centum habet annos? an sufficiunt 99. anni? an 98? an 97? sic paullatim, quod ab aduersario concessum est, detrabo, et tandem corruit omnis ea sententia diminutis partibus vsque singulis.* * *de conuiciatore maledico.* Hor. Serm. 1, 7, 26. *ruebat* Flumen vt hybernum fertur quo rara securis. *Bene* Gesnerus ad h. l. „*si in siluam densam fertur torrens, maiorem edit stragem, quam si ea passim caesis arboribus rara spatium aquae praebeat. Comparatio Demosthenica vid. Lucian. in Demosthen. encomio p.* 495. *et* 512.„ Reiskius *voc.* ruebat *forte putat actiue accipiendam* pro καταλαυϛ. *sternebat, vt sit sententia; Agebat, ruebat, suum aduersarium, vt flumen hibernum ruit i. prosternit siluam, in quam rara fertur securis.* * Ter. Ad. 3, 2, 21. Caeteros *ruerem*, age-

rem, raperem, tunderem, et prosternerem. *Cum in vniuersa* ista *Getae oratione Terentius mirifice expressit irati hominis formam, ac faciem, tum huic versiculo tanta inest suauitas, tam inusitata verborum ac sententiarum ἀκριβεια, vt nihil maius elegantiusque fingi possit aut cogitari. Est adeo luculentum in isto loco gradationis exemplum; quod non attendit Bosius cum in Animaduerf.* ad Cic. Att. 2, 15. *sibi persuaserit* ruere h. l. esse i. q. *euertere, quod profecto locum habere non potest, si cogitamus, huius verbi potestatem iam latere in vltimo prosternere; nec probabile est Terentium, omnis in loquendo diligentiae magistrum, euertendi ἐνοικον praeposuisse ceteris, agendi rapiendi; quas tamen in ipsa rei natura priores esse deprehendimus. Nos igitur statuimus ruere h. l. significationem verbi irruere, secum ferre, Sic enim omnia ordine procedunt: Geta nimirum ardens, iracundia primo loco irruere vult in istos homines; deinde eos persequi, et circumagere; post, vbi eas consequutus sit, rapere; ac tandem bene contusos prosternere. Quae cum ita sint, non a Bosio solum sed Donato quoque, qui, etsi alia quadam via, actiue tamen hoc verbum interpretatur, iure nostro videmur discedere.*

RVGOSVS pagus, *ab effectu* Hor. Epist. 1, 18, 105. *rugosus* frigore pagus.

RVMOR secundus *vid.* Secundus.

RVMPERE Hor. Epist. 1, 19, 15. *Rupit* Iarbitam Timagenis aemula lingua *Vet. Schol.* „Hic Iarbita Maurus fuit cordus, qui dum Timagenem imitabatur, post conuiuium, et inter pocula declamantem, propter insolentiam faciendi quod conabatur pene disruptus est.„ *Sanadon pro* lingua *emendare gestit* coenae; *infeliciter!* * *rumpi dicitur, qui cum*

eum maxima voce et laterum contentione clamitat Hor. Serm. 1, 3, 138. * *occidere, ad mortem vsque fatigare* Ter. Hec. 2, 4, 21. vt me ambulando *rumperet.*

RVPTVS Phaed. 1, 20, 5. *rupti* periere. Id. 1, 24, 10. *rupto* iacult corpore.

RVSTICVS, *qui ab vrbium moribus paullo alienior est.* Phaedr. 4, 4, 5. filia lanifica, frugi et *rustica*; *quae a delicata vita atque voluptatibus aliena erat, atque labori reique rusticae dedita, non tam amatores quam operarios atque pecora quaerebat.* * Phaed. 4, 23, 9. rusticam *vocat formicam per contemtum muscam, quae non tam laute atque splendide viueret, sed rudior paullo suis cauis rure se contineret atque nimis sedula, bonarum rerum sensu non afficeretur.*

S.

SABBATHA, tricesima. Hor. Serm. 1, 9, 69. Hodie *tricesima sabbata?* vis tu Curtis (*circumcisis*) Iudaeis oppedere. *Intelligo h. l. cum Gesnero, secuto Scaligerum de Emend. Tempp.* 3. p. 309. *tricesimum lunaris mensis diem, ex parte certe feriis cultum Iudaeis. Quocum etiam consentit vterque Schol. Vet. Reliquas explicationes omitto.*

SACER, voces sacrae i. *carmina detestabilia, explicandi: de incantationibus magicis* Hor. Epod. 17, 6. * *Sacrum* Ilium; *cuius muri a Deis conditi, vnde et apud* Homer. Iliad. δ. *et saepe* Ἴλιον ἱερὸν Hor. od. 3, 19, 4. * sacra via Hor. Serm. 1, 9, 1. *erat Romae, quae ducebat ad Capitolium* Epod. 4, 7. *bene ibi* metienti *de gradiuo superbo.* * Epod. 7, 7. Intactus aut Britannus vt descenderet *sacra* catenatus via — i. *duceretur in triumpho per sacram viam; ea enim pompa ducebatur ad Capitolium.*

SACRAMENTVM Hor. od. 2, 17, 10. Non ego per-

perfidum dixi *sacramentum*. *Baxterus putat ad deuotionem, qualis Deciorum fuit, Gesnerus vero ad militare iuramentum s. sacramentum respici, ego simplex intelligo iuramentum: Non ego perfide iuraui.*

SACRVM, *sacra* ferre Hor. Serm. 1, 3, 11. *in imagine hominis inconstantis pingenda;* Saepe velut qui currebat fugiens hostem persaepe velut qui Iunonis *sacra* ferret. i. *lento gradu sic incedebat; quasi ferret in pompa sacra Iunonis; virgines enim κανηφοροι, qui sacra Iunonis aut Cereris in capite in sacris cistis aut canistris portabant, lentissime et tarde viam metiebantur, vnde prouerbialiter* Ηχιον βαδιζειν. *Huc pertinet* Serm. 2, 8, 13. vt Attica virgo cum *sacris* Cereris, procedit fuscus Hydaspes, *ad quem locum citat Gesnerus* Spanhem. ad Callimach. p. 713. Add. Schol. ad Theocrit. v. 25.

SAEVIDICVS. Ter. Ph. 1, 4, 36. ne iratus suis te *saeuidicis* dictis protelet. *Sic fere omnes codices habent, et metrum quoque hanc lectionem postulat, cum in quibusdam ponatur* Saeuis dictis, *aut* saeuidictis.

SAEVVS, saeua Proserpina Hor. od. 1, 28, 20. Nullum *saeua* caput *Proserpina* fugit. *quia scil. morituris crines de vertice secare credebatur* vid. Virg. Aen. 4, 698. *ibique Tauhm. et Turneb. Aduers.* 19. 17.

SALIARIS, Carmen *saliare, quod a saliis Martis sacerdotibus saliendo canebatur, vbi Ancilia mouebantur, et pompa ducebantur solemni per vrbem, a Numa Pompilio factum; exile, obscurum, horridum fuisse testatur Horat.* Epist. 2, 1, 86. Iam *Saliare* Numae carmen qui laudat, et illud, Quod mecum ignorat Solus vult scire videri; Ingeniis non ille fauet. vid. Cic. de orat. 3, c. . .

SALII, *Sacerdotes Martis a saliendi vsu in mouendis h. e. circumferendis signis Dei.* Hinc Hor. od. 1, 36,

1, 36, 12. Neu *morem in saltum* sit requies pedum. *in adhortatione ad saltandum, et, quia tum coenae splendidae habebantur, quasi in prouerbio fuere* Saliares dapes, *de opiparis et sumtuosis.* Hor. od. 1, 37, 2. *Saliaribus* ornare pulvinar Deorum — *Dapibus.* vid. *Pulvinar.*

SALIRE, saliens mica *pro mica salis; quasi farinam salsam reddente, de mola salsa in sacrificiis.* Hor. od. 3, 23, 20.

SALVS Ter. Ad. 4, 7, 46. *non dicitur per σωματοποιιαν, sed est Dea salutis, quae Romae colebatur, a graecis Υγιεια dicta, cui etiam templum et simulacrum dedicauerant.* cf. Hec. 3, 2, 3. *Ceterum bellissime integrum hunc locum imitando expressit Molierius in fabula:* l'Ecole des Maris. a. 1. sc. 2. sub fin.

SALSVS: aequor *salsum dici notum, sed videndum, an sic legendum sit.* Hor. Epod. 16, 34. Ametque *Salsa* leuis hircus aequora. *Audiamus primum Vet. Schol.* „Duplex diuersitas, vt amet aequora hircus, et vt leuis fiat, cum alioquin setosus sit.„ *Videt facile quiuis, res h. l. vt fit in deuotionibus, congeri, quae fieri per rerum naturam non possunt. Talis est etiam* amor hirci, *et quidem* leuis redditi *erga mare. Iam additur epitheton, quod Horatium, diligentem in hac re poëtam, bene delegisse probabile. Quale epitheton est illud?* Salsum — *Salsum? Non scripsit hoc Venusinus.* Aequor salsum *diminuit rem, cum debeat augere. Namque experientia docet, hircos nihil magis amare, quam sal. Pugnaret itaque vltro locus secum. Praeterea quam tritum tali loco* salsum aequor! *necessario itaque legendum existimo* FALSA *pro* salsa. Ametque salsa leuis hircus aequora. *Iam omnia sibi constant, iam delectum est epitheton, et ad rem augendam, et ad* leuem hircum. *Quam facilis vero fuerit lapsus libra-*

librariorum in his vocibus! Sic facilis est, vt patet, adiectiuum hoc falsum, *mari addi eleganter posse; sic est* falsus *pro* fallax, *qui fallit et alibi, vt falsa* fides. Ouid. Met. 15, 566. Aut sua fluminea cum vidit cipus in vnda Cornua, vidit enim, *falsamque* in imagine credens Esse fidem. *falsa* lingua Id. Heroid. 7, 67. Protinus occurrent *falsae* periuria linguae Et phrygia Dido fraude coacta mori. Sallust. Catilin. 10. Ambitio multos mortales *falsos* fieri subegit, *vbi vid.* Cortius, *qui explicat*, fallentes, *actiue*, *affertque Donati notam ad Terentii* Andr. 4, 1, 23. *falsus* interdum pro *fallax* accipitur. *Sic poëta noster* mare *vocat* incertum. Epist. 9, 32. littus *iniquum* od. 1, 10, 4. *vid.* Iniquus. *Si placet, vt opto, haec lectio alii viro docto eam debes, quem nominare vetat verecundia.*

SALTVS Phaedr. 1, 5, 4. Vacca et capella et patiens ouis iniuriae, *socii* fuere cum leone in *saltibus*, *h. e. socii fuere cum leone in venatione. Caeterum Phaedrus, quod hos socios in venatu coniunxerit vix excusari potest, quum in imagine* humilium, *quos cum* potenti *consociaret, nimis curiosus id efficit, vt fere leonem solum venatorem, et* (*quod tamen minime volebat*) *iustum arbitrem habeamus.*

SAMNITES, *erant gladiatores, sic ab armatura Samnitum dicti, siue Saunis; Lucilius:* Samnis spurcus homo, id est gladiator. Hor. Epist. 2, 2, 98. Lento *Samnites* ad lumina prima duello. *vid.* Duellum.

SANDALIVM Ter. E. 5, 8, 4. *Cum Gnatho dicit:* vtinam tibi commitigari videam *sandalio* caput. *haud dubie, quod primus obseruauit* A. Turnebus, *respicit fabulam, qua Omphale Herculis caput sandalio verberasse dicitur. Dixerat enim antea Thraso:* Qui minus huic (*seruiam*) quam Hercules ser-

seruiuit Omphalae? *Atque nihil poterat ad risum spectatoribus mouendum magis cogitari appositum, quam quod Gnatho irridens addat, se magnopere velle, vt ceu Hercules ab Omphale, sic ipse a Thaide plagas Colaphosque patiatur. Locus autem* est apud Lucianum in libro πως δει ἱστοριαν συγγραφειν (tom. 2. p. m. 349.) *vbi Hercules dicitur* παιομενος ὑπο της Ὀμφαλης τω σανδαλω, *vt adeo notam veteribus fuisse istam fabulam dubitari nequeat.*

SANE *pro* scilicet. Hor. Art. 206. Qui *sane* populus numerabilis, vtpote paruus.

SANGVIS pauperum parentum Hor. od. 2, 20, 6. non ego, pauperum Sanguis, non ego, quem vocas Dilecte, Maecenas, obibo, Nec stygia cohibebor vnda. *Omnes fere interpretes hic locus mirifice exercuit, nec hercle facilis est explicatu. Afferamus explicationes doctorum virorum breuiter, quo lector ipse eligere, si velit, possit.* Baxterus *explicat verba* Quem vocas, *per* qui sum; *et addit:* emphatice; quasi dicat, maior ero, quam vel ipse putas. *Gesnerus vero iam sensit huius interpretationis vitium, et ipse sic intelligit locum:* Quem tu quoque, care Maecenas, vocas interdum pauperem, aut contemtioribus etiam nominibus, qualia Augusti in Horatium dicta quaedam memorantur a Suetonio; nec tamen valde repugnem his, quibus videtur *dilecte* nomen esse, quo compellari se a Maecenate, glorietur Horatius. *Bentleius ita construit:* non ego, non ego obibo, quem vocas sanguis pauperum parentum, *et adiicit.* Hic nihil iam ineptum: hic pulchre habet Antithesis. *Sed tamen postea ipse emendat:* Non ego, pauperum Sanguis parentum, non ego quem VOCANT, etc. *quem* riuales scilicet et inuidi sic sugillare solent, cf. Serm. 1, 6,

1, 6, 46. Klotzius Vindic. pag. 180. sqq. *refutatis satis aliis interpretationibus, aut Bentleii lectionem accipiendam censet, aut ita locum emendandum esse:* non ego — non ego quem NOTANT. *Inueni autem praeterea explicationem quandam in aliquo libro Anglico, quam praeterire nefas puto. Placuit ipsa viris doctis auctoribus* of the present state of the Republic of lettres for Novemb. 1728. Vol. 2, pag. 383. *Protulit eam scriptor, qui edidit* Poems on several occasions with some select Essays in prose; *nomine* Hughes. vid. libr. laud. Vol. 2. pag. 127. *En eius verba translata:* „Horatius di„cit Maecenati, se, „quamuis ignobilem or„tu, quoniam ornatus „esset illius gratia, at„que mirifica beneuolen„tia, maiorem inuidia „fore et immortalem, „hinc tota oda bene con„spirat secum, et laus „est Maecenatis venustis„sima, huc redeunt o„mnes partes huius odae, „hinc et illa praeclaram „habet οἰκονομίαν. cf. Serm. 1, 6, 56, et dilecte *est appellatio*, qua se decorari a Maecenate vates dicit.

SANITAS, ad sanitatem venit curatio Phaedr. 5, 7, 12. * *absolute pro sana mente.* Id. 4, 25, 35.

SAPERE, *de omnibus virtutibus, quae hominem reddunt sapientem, h. e. vt recta ratione vbique vtens videat semper, quid et quatenus sit dicendum; quod nos dicimus: einen guten Geschmack haben, bon sens.* Hor. Art. 309. scribendi recte *sapere* est et principium et fons.

SAPIENTIA, *de poësi; prima aetate literarum, tum enim σοφία poëtis tantum tributa, vbi nondum aliae artes inuentae,* Hor. Art. 396. Fuit haec *sapientia* quondam Publica priuatis secernere etc. * Ter. H. 1, 1, 63. aetate me putauit et *sapientia* plus scire et prouidere. *Haec est lectio Codicis* Bembini, *cum ceteri omnes legant* beneuolentia. *Atque non dubium*

dubium est, quin hoc illi praeferendum sit. Sapientia *potest ex coniectura librarii repositum esse, qui non intelligebat, quid hic* beneuolentia *sibi vellet. Quod vide supra.* * Ter. Ad. 5, 1, 7. Eho iam tu verba fundis hic *sapientia? Salse irridet Syrus Demeam, cum eum* sapientiam *dicit, postquam ab illo v.* 6. scelus *erat appellatus. Suspicit autem ad Ad.* 3, 3, 40. *vbi dixerat:* Tu quantus quantus es, nihil nisi *sapientia* es.

SATAGERE, *(quasi sat habere, quod agas) est grauiter molestia quapiam implicitum esse.* Ter. H. 2, 1, 13.

SATIAS, *satietas.* Ter E. 3, 1, 13.

SAVCIVS, Malus vento *saucius, pro* perfractus, *belle ad lyricam virtutem!* Hor. od. 1, 4, 51.

SCABIES Hor. Art. 417. Occupet extremum *scabies; prouerbialis locutio puerorum certantium cursu;* Ein Schelm, der der lezte bleibt. *Festiue adhibitum ab Horatio ad figendos poëtas, cito versus plurimos stantes vno in pede cudentes.*

SCALA Hor. Epist. 2, 2, 15. *de seruo fugitiuo; Mango, inquit, extenuans fugam:* In *scalis* latuit metuens pendentis habenae. h. e. *in proximo delituit, dum ira domini offensi deferbuisset, intra gradus scalae abditus (non plane aufugit) metuens verbera habenae. Sic in scalas tabernae librariae se coniecerat Clodius;* Cic. Philipp. 2. cap. 9. vid. etiam Cic. Milon. 41. *Alii referunt vocc.* in scalis *ad* pendentem habenam; *intelliguntque tormentum, de quo praciuit* Schol. Crucquii. *qui ita ad h. l.* „Ordo est: Metuens habenae pendentis in scalis latuit: secundum morem Romanum, qui seruos suos ad gradus habenis, id est, loris ligatos flagellabant, idcirco in media domo a gradibus ad timorem seruis incutiendum habenae pendebant. fugitiuum autem leuissime fatetur.

Quae explicatio h. l. magis placet. vid. habena.

SCAVRVS *est proprie* male fultus talis. *Sed deinde et nomen fuit celebris et nobilis familiae.* Hinc Hor. Serm. 1, 3, 48. Illum Balbutit Scaurum paruis fultum male talis. h. e. *blandiendo pater hunc imbellem filium suum appellat* Scaurum, *nomine quodam gentili.* vid. Balbutire.

SCELEROSVS Ter. E. 4, 3, 1. *Verbum hoc ab illis, qui fere sunt synonyma, adiectiuis,* sceleratus *ac* scelestus, *haud satis recte distinguit* Ausonius Pompa de diff. verb. lib. 4. *Mihi videntur gradibus ita differre, vt* scelestus *homo sit, qui et possit patrare scelera, et prodit;* sceleratus, *qui iam edidit malefacta,* scelerosus, *qui flagitiis ac sceleribus plenus, iisque addictissimus est. Hinc vides, qui* scelerosus *est, eum* scelestum *quoque appellari posse. e. gr.* Ter. E. 4, 4, 1. coll. sc. 3, 1. *Non autem vice versa id fieri.*

SCILICET *confirmantis* Phaedr. 5, 5, 30. tunc simulans sese vestimentis rusticus porcellum obtegere, quod faciebat *scilicet: cum eleganti ironiae quadam vi.* Hor. od. 3, 5, 25. Auro repensus *scilicet* acrior Miles redibit.

SCRIBA, recoctus. Hor. Serm. 2, 5, 56. *vid.* Recoctus.

SCRIBERE *voc. iuris, cauere creditori syngrapha, testando, mutuum esse acceptum,* Hor. Serm. 2, 3, 69. *Scribe* decem a Nerio! non est satis; adde Cicutae Nodosi tabulas centum. *Locum hunc profecto non explicatu facilem, ab omnibus interprett. alio vsque modo enodatum ego sic intelligo:* verss. praeced. 65. *dixerat, fac ponamus hunc euentum,* (ille ponitur vsque ad vers. 76.) *Si dicam tibi* Accipe cet. tunc infamis eris si acceperis sqq. *atque etiam si tibi dicam, dum tu accipis pecuniam, scribe syngraphas decem a Nerio foeneratore* (apud foeneratores enim pecu-

pecunias ſuas ſepoſitas habebant diuites Romani, vt nunc ſit ab Anglis et Batauis vid. Dacier. ad h. l.) *te accepiſſe hanc ſummam*, neque hoc ſit ſatis, ſi *addam;* adde centum tabulas *ſyngraphas Cicutae, foeneratori*, mille adde catenas; *mille alias ſyngraphas cautionibus et nexibus iuris firmatas inſuper da; ſi haec omnia iubeam te facere; tamen ſi tu es ſatis callidus et quaſi Proteus ſceleratus, poteris me defraudare hac pecunia. Hoc modo neque neceſſe eſt, cum Crucquio, Sanadone atque Dacierio nouam quendam perſonam loquentem fingere* verſ. 69. Perillium, *cum praeſertim idem ille ſit cum Cicuta vt docet Vet. Schol. neque explicare verba* v. 69. a Nerio *cum Baxtero ſatis dure*, in Morem Nerii, *quales iſte ſolet iubere ſcribendas ſyngraphas, neque denique ſollicitum eſſe, vtrum Cicuta et Nerius fuiſſent Icti an* foeneratores, *de quo diſputantem* Gronouium de Pecun. vett. p. 644. *citat* Geſnerus ad h. l. *Ego, perlecto loco Gronouii, puto eum eius doctrina* carere poſſe, *qui modo quaerit intelligere h. l. Horatii cf. voc.* Nodoſus.

SCRVPVLVS *pro cauſſa, aut auctore ſcrupuli vel difficultatis.* Ter. Ph. 5, 9, 30. Ea (*Chremetis pellex*) obiit; e medio abiit; qui fuit in re hac *ſcrupulus.*

SCVRRA *is dicitur, qui leniter aſſentatur, vt fauorem capiat, blandimentis et ſtudio placendi inania laudando, immodicus adulator, qualem deſcribit* Theophraſt. Charact. c. 2. κολαξ. *non haec ſignific. diſerte notata ab* Geſnero in Theſ. *quanquam loca haec allata* Hor. Epiſt. 1, 18, 3. vt matrona meretrici diſpar erit atque diſcolor, infido *ſcurrae* diſtabit amicus. cf. Epiſt. 1, 15, 28.

SCVRROR, *ſcurram ago, adulatorem inſipidum.* Hor. Epiſt. 1, 17, 19.

SECARE, lites, i. *dirimere, finire.* Hor. Epist. 1, 16, 42. Quo multae magnaeque *secantur* iudice *lites.* Id. Serm. 1, 10, 15. Ridiculum acri Fortius ac melius magnas plerumque *secat res* i. e. *efficacius decidit, terminat lites cum potentibus aduersariis, siue res serias, et alias vix satis risui obnoxias. Vox* secare *bene denotat subito et velut vno ictu eiusmodi vitia, alio modo non tollenda, excidi quasi, vt vulnus a medici cultro. Non putauerim, ita explicatam metaphoram, esse adeo duram, certe in lingua romana, vt arbitratur vir praeclare doctus et elegans* in Briefen zur Bildung des Geschmacks Part. 1. pag. 203. * *Secti* vngues apud Hor. od. 1, 6, 18. *plurimos interpretes mire secarunt. Est vero, si quae alia, haec imago Horatiana, hoc est, venustissima. Se describere dicit proelia virginum acrium* i. e. *iratarum in iuuenes; haec proelia fiunt vnguibus, sed quia sunt puellae pulchrae, venustae, sectos habent vngues. Non secant antea vngues quam proeliantur; vt omnes fere interpretes somniarunt. Sed puella nitida, mollis, quae amorem amat, pingitur vere certans, sed sectis, vt mos eis est, vnguibus. Mihi ridet locus vt ipsam rem videre videar. Bentl.* strictis *pro* sectis *legit, explosus iam ab aliis, inprimis Cuningamio, qui h. l. per figuram οξυμωρον, adeoque sic, vt vulgo fit, explicat in Animaduers.* in Horat. c. 9. pag. 797. et 89. Acidalius *ad* Vellei. Patero. libr. 2. c. 109. *legendum putat:* Nos conuicia *(pro* conuiuia) nos proelia virginum etc. *pessime!*

SECTVS, orbis, *de Europa.* Hor. od. 3, 17, 75. tua *sectus* orbis Nomina ducet. *Dicit autem Europam* sectum orbem, *quia ab veterum nonnullis duae tantum orbis vniuersi partes creditae sunt;* Asiam et Europam,

pam, *disectas inter se, vid. testimonia plura in Klotzii* Vindic. p. 222. * Sectus vnguis Hor. od. 2, 6, 18. vid. Secare.

SECVNDARE, *obsequi* Ter. Ad. 5, 9, 37. coll. v. 33.

SECVNDVS rumor, *qui late peruagat aures hominum approbantes.* Hor. Epist. 1, 10, 9. Ista reliqui Quae vos ad coelum effertis rumore *secundo.* * partes secundae in fabulis *dicuntur mimi, qui refert dicta dictatoris, qui primas habet partes. Hypocritae enim principum actorum actionem mimice referre solebant; Hinc Horat. de hypocrita amico, adulatore inepto* Epist. 1, 18, 14. sic iterat voces (*domini diuitis*) et verba cadentia tollit, vt puerum saeuo credas dictare magistro Reddere vel partes mimum tractare *secundas. Recte* cum h. l. conferes Cic. diuin. in Caecil. c. 15. vid. Cadere. * *secundus* panis Hor. Epist. 2, 1, 123. *vid.* Panis.

SEDERE *dicitur cibus qui bene digeritur stomacho et quasi in eo bene sedet, non nauseam creans inde vult erumpere.* Hor. Serm. 2, 2, 73. esca quae simplex olim tibi *sederit.* * *cum proprie esset iudicum. Phaedr.* 1, 10, 6. *sedit* inter illos iudex simius i. *iudex constitutus fuit.*

SEDITIO, *diuortium* Ter. A. 5, 1, 11. In alio occupato amore, abhorrente ab re vxoria Filiam darem in *seditionem*, atque incertas nuptias.

SEDVLVS, *sedula* nutrix Hor. Art. 116. v. *Nutrix.*

SELLA *intell.* curulis, *insigne illud magistratus maioris.* Hor. Serm. 1, 6, 97. Honestos fascibus et *sellis* nolim mihi sumere; *Nolim auos et parentes mihi eligere sella curuli et fascibus vsos* i. e. *consules et praetores et Aediles curules.* * prima sella *in re vehiculari est scamnum equis proximum, in quo propria sedes aurigarum. Phaedr.* 3, 6, 5. *Plura Schefferus de re vehic.*

SEMITA *Phaedr.* 3, *prolog.* 38. Ego illius porro *semita* feci viam. *Quod Gudius coniicit*, pro *ponendum hic esse loco* porro, *nobis non probat, et bene se habent omnia, si legis, vt est in Codicibus:* Ego illius porro semita, *siue ob versus meliorem rationem*, Ego porro illius — *In prouerbio habent Latini* semitam, *si componunt cum* via, *atque tum minorem rem atque leuiorem illa indicat, haec grauiorem atque vberiorem; Cic. de diuin. qui* sibi *semitam* non sapiunt, aliis monstrant viam *Mart. L. VII. Epig.* 61. quae fuerat *semita* facta via est. *Arripit commode hoc prouerbium Phaedrus, atque ad Aesopum et sese applicat, quippe ille viam monstrauerat, et praeiuerat tantum in arte fabulandi, hic vero eum secutus inde rem dilatauit, et dicit:* Illius porro semita feci viam; *idem est quod alio loco scribit* 4, 20, 8. Inuenit ille, nostra perfecit manus, *et in hoc prologo explicat, cum addit:* et cogitaui plura, quam reliquerat. *Illius itaque semita eum porro secutus est, sic tamen, vt Phaedrus nunc viam facere dici posset, singulari quadam vocis huius virtute, simpliciter enim viam facere per,* proficisci *interpretari non dubito, vt dicitur* facere annos, dies. *Qua ex re tandem efficitur hoc, vt non necesse videatur, aliquid in hoc versu mutari; magnam Phaedri artem commonstrat in coniungendis verbis maxime significantibus.*

SEMOVERE. *semotum* letum apud Hor. od. 1, 32. 32. *est* tarde *veniens iussu numinis.*

SENECTVS, vetus, *mire de anu libidinosa* Hor. Epod. 8, 4. Rugis *vetus* frontem *senectus* exaret.

SENTENTIA, *animus.* Ter. Hec. 3, 1, 32. mulieres sunt ferme, vt pueri leui *sententia.* * *pro eo, quod antecessit, iudicio, anticipatio, quod barbari* Praeiudicium *vocant.*

cant. Phaedr. 3, 10, 6. exploranda est veritas multum prius, quam stulta praue iudicet *sententia.*

SENTIO Ter. E. 4, 2, 5. longe iam abieram, cum *sensi; Ita enim cum Bentleio h. l. interpungimus. Falso alii hunc in modum diuidunt:* longe iam abieram; cum sensi redeo rursum etc. * *Phaedr.* 2, *Epil.* 13. Si arte fictas *sentit* animus fabulas, *h. e. tangitur, vt non animum praetereant, et absonae videantur fabulae, sed moueant animum et placeant. Ita prolog.* 3, 3. *rogat Eutychum negotiis vt sese liberet, si fabulas suas legere velit, ne animum grauibus rebus occupatum carminum iucunditas praeteriret.* * sentire *eleganter de eo, quod dolet Id.* 1, 3, *vltim.* et saepius in Hor.

SENTVS Ter. E. 2, 2, 5. *horridus; petitum a sentium spinis.*

SEPONERE *pro* discernere. Hor. Art. 273. scimus inurbanum lepido *seponere* dicto. * Phaedr. 4, 4, 21. Seponit moechae vestem. *Nostri ausetzen. destinare cf. vers.* 27.

SEPVLTVS Ter. Ph. 5, 8, 50. Sepultus sum. *Hac dictione, summa quae esse potest desperatio exprimitur. Antea dixerat:* nullus sum; *sed hoc maius est. Atque ex hoc loco dubitari nequit, quin* Molierius *in* Auaro a. 4. sc. 7. *ista expresserit:* C'en est fait; je n'en puis plus, je me meurs, je suis mort, je suis enterré.

SERIA Ter. H. 3, 1, 51. *est vas vinarium aut olearium, quin et salsamentis condendis destinatum. A dolio magnitudine differebat. Seriae nimirum erant minores, dolia vero maiora.*

SERMO *Sermones ita vt respondeant gr.* λογοις, vt Xenoph. οικονομικος λογος etc. *sunt historiae, commentationes, libri.* Sermo *enim est saepius oratio pedestris ea, qua vtimur in vita quotidiana* Hor. Serm. 1, 4, 12. et 48. cet. *Hinc Horarium inscripsisse satiras*

suas Sermones *docet Bentleius, nec possum quin ei credam; sunt tum sermones idem quod Gallorum Discours, quod nomen apprime cadit in satiras Flaccianas. Eodem signif.* Id. od. 3, 8, 5. Docte *sermones* vtriusque linguae i. *qui vtriusque gentis libros, historias, ritus, sacra probe intelligis, miraris, cur ego Calendis Martiis sacra faciam, cum sim coelebs. vid. Martiae* Calendae. Id. od. 3, 21. 10. Quanquam *socraticis* madet *sermonibus* te neglegit horridus; *eodem sensu de libris socraticis. vide plura dicta a* Bentleio ad Od. 7, 8, 5. * *pro fama, honore* Hor Serm. 2, 3, 4. Nil *dignum sermone* canas. * Sermones *pro* verbis Hor. Art. 69. Nedum Sermonum stet honos et gratia viuax.

SERVARE *obseruare aliquem* Ter. A. 1, 3, 7. cf. ib. 1, 1, 142. et 2, 5, 2. * Ter. H. 3, 2, 24. atque hunc difficilem inuitum *seruaret* senem. *i. e. eum inscientem ac inuitum hoc beneficio afficeret, vt in gratiam cum filio rediret, nec tamen nimis, quam par sit, ipsi indulgeret.* coll. v. 22. et a. 3. sc. 1, v. 61-80.

SERVIRE Ter. H. pr. 32. Cur insano *seruiat? i. e. namque cur pro ineptissimo poëta intercedat; qualis erat Lauinius; antea dictum erat:* ne ille pro se dictum existimet.

SERVVS, Ter. H. pr. 31. *reprehenditur* Lauinius *quod in comoedia quadam fecerat* Seruo currenti in via decesse populum. *non quo omnino non permittat comicus noster seruos currentes scribere, quod vel ex* Eun. prol. 36. *patet, sed quod absque dubio malus iste poëta nihil habebat elegantiae, praeter seruum quem currentem induxerat. Saepe enim necessarium est seruos fingere currentes, atque vt de via omnes decedant postulantes, cuius rei exempla sunt apud* Plaut. Amph. 3, 5, 1. Poen. 3, 1, 20.

SESQVIPEDALIA verba *apud* Hor. Art. 97. Proiicit

iicit ampullas et *sesquipedalia* verba: *Explico* longa, dithyrambica. Turnebus *intelligit, vt plurimi, de tumidis; sed etiam longa atque composita verba, qualia inuenies apud Lyricos graecos poëtas inprimis, fastum alieno loco habent. Nostra aetas effudit inanium horum hominum, infinitam fere vim, qui vtuntur verbis eiusmodi, auf Stelzen gehender breitschreitender Beyvvörter.*

SEVERVS, vinum *seuerum.* i. *austerum* Hor. od. 1, 27, 9.

SI Hor. Epist. 1, 3, 30. Debes hoc etiam rescribere, *si* tibi curae Quantae conueniat Munatius. *Nonnulli leg.* sit. *Falso! Saepius enim occurrit* si *pro* an, vt Hor. Epist. 1, 6, 41. *Si* posset centum scenae praebere rogatus (chlamydes) *et saepius.*

SIC *solemne in votis vocabulum.* Hor. od. 1, 3, 1. *Sic* te diua potens Cypri. *vid.* Lambin. ad h. l. * Ter. H. 3, 1, 49. *Sic* hoc inquiens etc. *Formula est loquendi, cum aliquid mediocriter tantum probamus. Dictum a Bacchide, cum ei Chremetis vinum haud recte satis placeret. Nostri dicerent:* Der Wein ist nun so und so. * *vt sic* valeas vt, *imprecandi formula Phaedr.* 4, 1, 19. *Sic* valeas vt farina es, quae iaces. i. e. *facis te mihi farinam, at ego Deos oro, vt non alia conditione tibi bene sit, quam si es, quod te esse praefers et simulas; cum hoc non sis, neque valeas. usitatissima apud Latinos formula.*

SIGNARE humum pede certo. *eleg. de puero* Hor. Art. 159. *vide* Pes.

SIGNVM, signa ponere rebus i. *consignare literis, verba enim signa rerum.* Hor. Serm. 2, 4, 2. ponere *signa* nouis praeceptis, *hactenus inauditas doctrinas mandare literis, Alius quisque aliter interpretatus est* h. l. *vt de* mandandis praeceptis memoriae, *de adscribendis causis et argumentis ad haec praecepta*

cepta persuadenda. Sed vera sine dubio ea est, quam posuimus.

SIMPLEX Ter. H. pr. 6. duplex quae ex argumento facta est simplici. *vid.* Duplex. * Hor. Art. 23. Denique sit quoduis *simplex* duntaxat et vnum. *Regula summa pulchritudinis; Varietas cum vnitate, siue potius* in vnitate, *vt ita dicam, conficit* pulchritudinem. *plus tamen* vnitas *valet quam* varietas, *quamuis aliter sentiant* Hogarthius, *et quicunque fere de pulchritudine iudicarunt. Locus ipse prohibet, quominus sententiam nostram confirmemus pluribus, namque disputationis vbertatem longiorem requirit, quam fines huius libelli patiuntur.*

SIMVL *pro simulatque, vbi* Hor. od. 1, 4, 17. et *saepius apud h. poëtam. Sic ego et* interpretor h. v. in od. 1, 12, 27. quorum *simul* alba nautis Stella refulsit; *de Castore et Pollute. (Gesn. interpretatur*: simulatque vna. *duplici significatu:) Eodem signif.* Od. 4, 7, 10. et Epod. 16, 25. *Simul* imis saxa renarint Vadis leuata: *simulatque saxa ex imis cadis remerserint, atque exstiterint, vel in summam aquam resilierint, tum demum fas sit redire in patriam. Iuramentum atrox, imitante vate Phocaeorum exemplum* vid. Herod. 1, 165.

SINGVLTIM loqui; *irruptis verbis vt solent verecundi et timidi* Hor. Serm. 1, 6, 57. vt veni coram, *singultim* pauca loquutus.

SITICVLOSVS, aridus, *ex Homerico* ἐπιδρύψιος Hor. Epod. 3. *Siticulosa* Appulia.

SITVS, *de tota constructione et aedificio.* Hor. od. 3, 30, 2. Regalis *situs* Pyramidum.

SOBRIVS, Hor. od. 2, 10, 8. caret inuidenda *sobrius* aula. i. *Sapiens.*

SOCRATICVS, *chartae Socraticae* Hor. Art. 310. Rem tibi *Socraticae* poterunt ostendere *chartae* i. *Modum vere et viam veraе prudentiae, quo-*

modo

modo sapere debeas, inuenies in libris socraticis, *Xenoph. Platon.* etc. *Sumtum est ex Lucilio apud Nonium.* 3, 40. nec sic vbi Graeci, vbi nunc socratici charti, quidquid quaeritis petimus.

SOL Ter. Ad. 4, 2, 46. lectulos *in sole* ilignis pedibus faciundos dedit. *Intelliguntur lectuli solares, siue in solario, h. e. in suprema parte aedium, non tecta sed aperta, vbi simul apricari et prandere poterant.*

SOLARI, aestum, *pro* refrigerare. Hor. od. 2, 5, 7. Iuuenca fluuiis grauem *Solans* aestum.

SOLATIVM, Mortis solatium *est id, quo in ipsa morte leuamur, vt non tam acerba sit.* Phaedr. 1, 9, 8. lepus semianimus mortis in solatio (*inquit*) *cet. Hanc lectionem bene defendit Gronouius, cui Bentleius assentitur contra illos, qui sic legere volunt:* mortis in solatium. *scil. dicit. Lepus accepto solamine, quod videret passerem imprudentem pro improba obiurgatione simili casu punitum, ita vt nunc libentior mortem ferre videretur, haec verba profert cf.* 1, 21, *vlt.*

SOLEA. *Solebant veteres discumbentes soleas, crepidulas deponere, et, vbi egredi e triclinio volebant,* poscere soleas. Hor. Serm. 2, 8, 77. *ibi conuiuator vult necessaria triclinio restituendo imperare.*

SOLEMNIS *Phaedr. prolog.* 3, 61. quoniam mihi *solemnis* debetur gloria. *i. e. quam populares mei mihi habuerunt,* patriae decus vers. 55. *propterea non video, quare Bentleius hic* solemni *voluerit praeferre* perennis.

SOLIDVS, mens *solida* Hor. od. 3, 3, 4. *Bella translatio, inprimis cum sequatur* quatere; *quasi dicas,* die feste Seele erschüttern. * *integer.* Ter. E. 5, 2, 32. Hor. od. 1, 1, 20. * solidum beneficium *est id, cuius nulla pars periit, siue in quo nihil*

nihil est, quod displicere nobis possit, cf. A. 4, 1, 23

SOLLICITVS. Ter. H. 3, 1, 52. Omnes *sollicitos* habui; i. e *omnes mei, Bacchidis causſa pluribus ministeriis occupati defatigabantur.*

SOLVERE, *de hyeme.* Hor. od. 1, 4, 1. *Soluitur* acris *hiems. Satis poëtice et satis suauiter! Non necesse est hyemem intelligere de gelu et glacie; sed poëtae phantasia totam hyemis quasi faciem vidit: omnia quasi sunt adstricta; ver aduenit, laetiori vultu renident omnia, solutis quasi omnibus asperitatibus niuis, glaciei, coeli, terrae, in serenitatem. Hinc etiam eadem ode Hor. solutas* terras *appellat* vers. 10. *Ceterum Horatius in hac oda Anacreontis illam εἰς τὸ ἔαρ, ἡδὲ πῶς ἔαρος Φανέντος χαρίτες ῥόδα βρύουσι imitatus videtur.* * tabulas risu. *vid.* Tabula.

SOMNIVM, *vana spes.* Ter. Ad. 2, 2, 50. de argento somnium. * *pro homine somniculoso, tardo ac stupido.* Ter. Ad. 3, 3, 41. Tu quantus quantus es, nil nisi sapientia es, ille *somnium. Guyetus tamen existimat legendum esse:* ille omnium, *vt subaudiatur* stultissimus. *Bentleius autem cum plerisque aliis illam tenet scripturam. Olim tamen in quibusdam libris ante somnium perperam insertum erat* sutilis, *quod post alii iure suo eiecerunt.* * aegri *somnia* Hor. Art. 7. *sunt variae species laboranti febri obuiae, Fieberphantasien; non de melancholico cum Baxtero cogitandum.*

SONARE Phaedr. 3, 16, 12. Dormire quia me non sinunt cantus tui *sonare* cithara quos putes Apollinis. *Recte! Dicitur enim cantus sonare cithara. h. e. e cithara.*

SORBITIO Phaedr. 1, 26, 5. sorbitionem liquidam, *dicit, vt sensus eo melius appareret, neque enim hic abundat vox. cf.* Fax.

SOR-

SORDIDATVS Ter. H. 2, 3, 56. hanc quam dicit *Sordidatam* et *ſordidam. Illud ad amictum caſu quodam immundum, hoc ad conſuetudinem vitae tenuis, frugalis atque egenae pertinet.*

SORS *Sortes* Hor. Art. 403. dictae per carmina *ſortes. Namque carmen heroicum, etiam Delphicum appellatum oraculum, Sortibus Apollinis originem ſuam debuit.* vid. Plin. 7, 56.

SORTIRI Hor. od. 3, 1, 15. Aequa lege neceſſitas *Sortitur* inſignes et imos. i. *Sorte ducta capit, ex eorum opinione credente, ex vrna Orci duci nomina, quorum eueniſſet nomen, eum mori debere.*

SORTITO, *ſorte naturae, ſecundum legem naturae.* Hor. Epod. 4, 1. Lupis et agnis quanta *ſortito* obtigit, Tecum mihi diſcordia eſt.

SPATIVM Ter. A. 3, 5, 17. coll. 18. *tempus* cf. 1, 2, 11.

SPECIES Hor. Art. 8. vanae fingentur *ſpecies, de libro, cui ideae inſunt chimericae, abſonae, et ſecum pugnantes, aut plane inconditae.* Schwärmende Ideen, *vt bene vertit* Ramlerus *in Batteſii* Inſtitut. eleg. literar. *ſpecies enim apud Latinos ſunt* imagines rerum, *animo inhaerentes*, rerum exemplaria, *vt vocat ea Seneca; dixi plura, ſi patitur verecundia, nominare, ad Cic.* Orator. pag. 13. *hinc intellig. etiam* Hor. Serm. 2, 3, 208. Qui *ſpecies* alias veri (andere Begriffe) ſcelerisque tumultu, permiſtas habet; *accipiend. de affectibus et opinionibus praeiudicatis.* * *externus apparatus, qui res mentitur pulchras.* Hor. Art. 25. Decipimur ſpecie recti.

SPECIOSVS miracula *ſpecioſa* i. *ampla magnifica.* Hor. Art. 144. *Specioſa* dehinc miracula promat. * fabula *ſpecioſa* locis. Id. ibid. 319. Eſt *locis communibus, vt luminibus, e doctrina morum petitis, Splendens.*

SPECTANDVS; *idem ac conſpicuus, qui in aliorum hominum oculos incur-*

currit; *admirandus* Hor. Art. 37. *Spectandus* nigris oculis, nigroque capillo.

SPECTARE Ter. A. 1, 4, 4. Importunitatem *spectate* aniculae. *Est vox indignantis. Ceterum de integro versu haud recte animadvertit Fr. Guyetus in commentar. p. 14. in eo duo nomina personarum ponenda, ac locum ita constituendum esse:*

Archilis. Tamen eam adducam.

Myssis. Importunitatem *spectate* aniculae.

Omnia potius Myssidis verba sunt.

SPECTATVS, *dicitur gladiator, qui re bene gesta probatur satis populo, δοκιμασθεις hinc translate de poëta, qui satis plausus iam acceperit.* Hor. Epist. 1, 1, 2. *Spectatum* satis et donatum iam rude quaeris Maecenas iterum me antiquo includere ludo. *vid.* Rudis.

SPISSVS. *Spissa* sedilia; *de theatro referto Spectatoribus.* Hor. Art. 205. Spissa nimis complere *sedilia* flatu. * coronae *spissae. de frequenti in campo Martio conuentu spectatorum.* Hor. Art. 380.

SPLENDIDE mendax. Hor. od. 3, 11, 35. *de Hypermnestra, Danai filia, quae non, fidem patri datam, vt sorores, seruans, eripuit Lynceum maritum letho.* vna de multis; face nuptiali digna periurium fuit in parentem *Splendide mendax.* i. *glorioſe, laudabiliter. Sic* Splendida bilis. occurrit in Horat. Serm. 2, 3, 141. *vid.* Bilis.

SPLENDIDVS Hor. od. 3, 16, 25. Contemtae Dominus *splendidior* rei. *Ita enim leg. pro* contentae, *vt alii male. E Sententia ſtoica: Sapiens ſit dominus ſplendidior (honeſtior)* rei, *eo ipſo, quod eam non cupit, non admiratur; Dominus eſt diuitiarum, qui poteſt eas contemnere; Ita Geſnerus iam h. l. bene explicuit.* * *clarus, notus fabulis per manus tra-*

traditis. Hor. od. 4, 7, 21. Cum de te *splendida* Minos fecerit *arbitria.*

STABILIS, rerum terminus. i. *constans, fixus, immutabilis.* Hor. Carm. Saecul. 26. *vid.* Terminus * Spondei *stabiles* i. *tardi, graues, non vt iambi tam cito currentes.* Hor. Art. 256. Spondeos *stabiles* in iura paterna recepit (*Iambus*), *elegans translatio in verbis:* in iura p. r.

STARE Hor. od. 1, 16, 18. Ira – altis vrbibus vltimae *stetere* causae cur perirent. *vltimae causae fuerunt. (stetere quasi fixae, certae. vid. Interpret. ad* Gratii cyneget. 100.) vltimae *dicuntur, quia nulli spei quasi locum reliquerunt.* * Hor. od. 1, 9, 1. vides vt alta *stet* niue candidum Soracte. *hic* stare *pro* plenum esse *sumit Vet. Schol. et ipse Gesnerus pro* rigeat, horreat. *Sed ego nil hic eiusmodi video! Est verbum pingens tantum. Siehe wie der Berg Soracte in tiefem Schnee weiss da steht!* * stare animo; *integra esse et sana mente.* Hor. Serm. 2, 3, 213. * stare *dicuntur comoediae, cum spectatoribus placent.* Ter. Ph. pr. 10. quodsi intelligeret cum *stetit* olim noua actoris opera magis *stetisse* quam sua. * *e re militari sumtum transfertur ad patronos, qui in foro causam defendunt cum quadam constantia.* Phaedr. 3, 10, 37. *Stant* patroni, fortiter causam tuentes innocentis foeminae. Id. 5, 5, 2. pro iudicio dum *stant* erroris sui *h. e. pertinaciter defendunt, quod semel haud sine errore iudicauerunt. Sic Ouidius Trist.* 1, 2, 5. Mulciber in Troiam, pro Troia *stabat* Apollo.

STATARIVS. Ter. H. pr. 36. date potestatem mihi *stataria*m agere vt liceat per silentium. *Calphurnius sic explicat:* „*vt liceat ad exitum* „*vsque fabulae perpetuo* „*stare, ne videlicet ali-*„*qua turba fiat,*„ *ac Westerhouius in hac interpretatione acquieuit. Quanto melius Dacieria, (Petrum Marsum secuta)* omnem

omnem huius loci perpetuitatem perſpexit, quacum nullo pacto poteſt prior iſta ſententia conſiſtere. Statariae *nimirum erant comoediae, in quibus pleraque omnia erant quieta, pacata, tranquilla, atque adeo non poſtulabant magnum hiſtrionis laborem atque contentionem*; Motoria *vero comoedia, quae v.* 44. laborioſa *dicitur, erat actuoſa, turbulenta, et feruida; quippe in qua cf. v.* 37. *ſeqq.* ſeruus currens, iratus ſenex &c. clamore ſummo, cum labore maxumo (*hiſtrionis nempe*) *v.* 40. *agendi erant.*

STATIO *Phaedr.* 1, 30, 7. Eſt *ſtatio* (*ſic malumus cum Gudio et Burmanno legere*) ſeparata et diuerſum genus; quidem *ſubintelligendum eſſe quisque videt.* Statio *idem eſt ac* ſedes. *Id.* 1, 3, 13. *et* 6, 8. *ſic Virgilius in Georgicis:* principio ſedes apibus *ſtatio*que petenda. *Significat hic nemora et campos, quibus boues degunt, atque ſic optime reſpondet verſus 7. duplici obiectioni verſ.* 5. 6. *factae.*

STATVA, infantes *ſtatuae.* Hor. Serm. 2, 5, 40. *vid.* Infans.

STELLIONINVS Ter. E. 4, 4, 22. *ex Bentleii emendatione. vid.* Muſtellinus.

STILVS. Ter. A. pr. 10-12. de Menandri *Andria et Perinthia.*

Non ita diſſimili ſunt argumento ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt factae ac *ſtilo.*

Eſt qui putet, oratione *ac* ſtilo *dictum eſſe ea figura, quae dicitur* ἓν διὰ δυοῖν; *mihi ſecus videtur. Quum enim* argumentum *fabulae ſit materia, in qua ſcriptor dramaticus elaborat, tum* oratio *pertinet ad ſeriem partium, quas ſcenas dicunt, ipſasque ſententias*; ſtilus *autem* dicendi *genus indicat.* cf. Phorm. prol. 5. tenui eſſe *oratione* ac *ſcriptura* leui. *Ceterum pro* ſed *Bentleius* et *repoſuit, quod cum ſententiae tum etiam metro magis, vt arbitror, conuenit.*

STRE-

STRENVVS, Lyde *strenua apud* Hor. od. 3, 28, 3. *est cita, volucris, et agilis; fuit autem illa Lyde sine dubio fidicina ad rem sacram aduocata et epulas, vt moris erat, vid.* Argutus.

STRIGARE *equi dicuntur, quando interquiescunt eundo, dictum a striga, h. e. spatium turmarum, in quo equi stringebantur, ibique quiescebant,* Phaedr. 3, 6, 9. Nam, vbi *stringandum* est et vbi currendum, scio. *Veteres libri habent* tricandum, *quod defendit Bentleius,* tricari *vero est tergiuersari, morari. At* strigare *magis consuetum de equis.*

STRIGIL. *instrumentum aeneum, quo sudorem in balneis solent homines tergere.* Hor. Serm. 2, 7, 110. Puer vuam furtiuam mutat *strigili*, i. *furtiua sub noctem vua data accipit strigilem. Alii leg.* Furtiua mutat strigili, *alii* furtiuam mutat strigilem.

STROPHAE, *laquei ad decipiendas feras; transl. ad sermones subdolos.* Phaedr. 1, 14, 4. verbosis acquisiuit sibi famam *strophis.*

STVDERE, *optare, velle.* Ter. Hec. 2, 2, 20. eo domum, *studeo* haec prius quam ille huc redeat. *Bentleius in locum* τῶ haec *reposuit* hanc; *atque arbitratur supplendum esse* redire, reuocare, *aut aliquid eius generis. Verum nec emendatione opus erat, nec suppressio huic loco inest, si modo ad significationem verbi* studeo *recte attendamus. Plane nihil aliud est quod sibi velit haec phrasis, quam si dixisset auctor: ideo magnopere hoc* volo atque opto, *vt* haec *prius, quam* ille *domum reuertatur; Sic enim ipse* Cicero, Epist. ad Diuers. 6. 5. Qui si nihil aliud *studeat*, nisi id quod agat.

STVDIVM *animi cupido, neigung.* Hor. Art. 166. Conuersis *studiis* aetas animusque virilis Quaerit opes etc. * *pro cupiditate suae vtilitatis* (*Eigennutz*). Ter. A. 5. 1, 6. vide quam *iniquus*

sis prae *studio*, dum efficias id, quod *cupis*.

STVLTI, *creduli*, *improuidi*. Phaedr. 1, 23, 1. repente liberalis *stultis* gratus est.

STVPIDVS, *stupens*, Ter. Hec. pr. 1, 4.

STYLVS Hor. Serm. 1, 10, 72. Saepe *stylum* vertas, iterum quae digna legi sint, scripturus, *verso stilo*, *obtusa inducta parte impressas literas delere velis*, *nam stylus instrumentum aeneum*, *quo veteres in ceratis tabulis scribebant*, *cuius acuta altera pars*, *altera retusa*. * Phaedr. 3, prol. 29. Aesopi stylum *vocat fabulandi rationem quam ad Aesopum auctorem refert*.

SVAVITER Hor. Serm. 1, 9, 5. *Suauiter*, vt nunc est; *i. e. satis commode viuo*, *vt ferunt res meae*. So ziemlich, wie Sie sehen. reddidit elegantiss. Hagedornius *quem cf. ad hunc sermonem* opp. Part. 1, p. 61.

SVB, *paullo ante*; *Sub* lacrymosa Troiae funera. Hor. od. 1, 8, 14.

SVBESSE praesto esse — — Hor. Epist. 1, 14, 24. Nec vicina *subest* vinum praebere taberna Quae possit tibi.

SVBLIMIS, *character iuuenis* Hor. Art. 165, *sublimis* (*elatus*) cupidus et amata relinquere pernix. *Bene hinc iuuenes aspernantes poëma austerum*, celsi *dicuntur* Art. 342. *quod* idem. *vide* Rhamnes. * sublimis anhelitus. Hor. od. 1, 15, 31. *sublimi* fugies mollis *anhelitu*. i. *exporrecto in summa lassitudine collo*, *et pectore sese efferente*, *et elato capite*, *auras captans fugies*. *Imago longe pulcherrima!* * *sublimi* flagello tangere aliquem *eleganter rem pingit*, *sublatum flagellum*, *non vt grauior fieret plaga*, *quod putat bonus Lambinus*, *nec de sublimi curru Veneris cogitandum cum Vet. Schol.* * *qui alta tantum et inania captat poëta elatus et μετεωρον quoddam.* Hor. Art. 457. *Sublimis* versus ructatur et errat. * Phaedr. 2, 4, 1. in *sublimi*

mi quercu, *in excelsissima parte quercus*, mediam et imam *addit*; *nec necesse est cum Bentleio mutare in* suprema.

SVBSCRIBERE; *est de more ad calcem epistolae aliquod votum scribere aut* Vale; *vnde venuste* Hor. Serm. 1, 10, 92. I puer atque meo citus haec *subscribe* libello. *iubet puerum suum subscribere, quae Demetrio et Tigellio optauerat. Explicat hunc morem aliis exemplis fusius Gesnerus ad h. l.*

SVBSERVIRE orationi. Ter. A. 4, 2, 3. *i. e. orationem suam alterius orationi accommodare.*

SVBSIDERE. *verb. antiquum, succumbere: subtacere.* Hor. Epod. 16, 31. tigres *subsidere* cruis * *subsistere, pingens voc. commorantem insidiarum faciundarum caussa. Phaedr.* 3, 10, 20. simulauit iter ad villam, clamque in oppido *subsedit.*

SVBSIDIVM Ter. Ph. 1, 4, 52. ego in *subsidiis* hic ero succenturiatus. *Quidam hic legunt* insidiis, *at verborum connexioni magis videtur conuenire* subsidiis, *quod in quibusdam quoque libris Mss. exstat, atque a Bentleio, Westerhouio aliisque recipitur.*

SVBSTARE, *sufferre, sustinere.* Ter. A. 5, 4, 11.

SVBTEMEN, *pro ipso filo.* Hor. Epod. 13, 15. Vnde tibi reditum certo *subtemine* Parcae Rupere. Rumpere *pro* abscindere, *pro* certo *epitheto alias solenni fili Parcarum Bentlei. leg.* curto. *Pulchre* inquit *Gesnerus; ego vero tergiuersor! non omne pulchrum verum! Klotzius vindic.* pag. 265. *coniicit* certo sub nomine i. *sub certa conditione, nempe si iueris ad bellum. cf. Iliad.* 1, 410. *Quid si legamus* SECTO *pro* certo? *Sed nihil confirmo in tanto doctorum virorum dissensu.*

SVCCEDERE, *pro* accedere. Hor. Epist. 1, 6, 36. Tertia *succedat*, et quae pars quadret aceruum.

SVCCENTVRIATVS Ter. Ph. 1, 4, 53. *proprie est is, qui explendae causa*

centuriae in supplementum procedit, h. autem l. metaphorice dicitur de eo, qui alteri in congressu periculoso verbis succurrit, eumque deficere aut errare non sinit.

SVCCVS, *de viriditate virginis et bona adhuc forma.* Hor. od. 3, 27, 54. Antequam – – tenerae *succus* Defluat Praeda Speciosa quaero pascere tigres. *Vtinam ego antequam contabescam et deterior forma fiam, adhuc speciosa, bella, decens, deuorarer ab tigribus. Mirus, et elegans sensus virginis; secundum naturae veritatem expressus!* * *pro* sapore. Hor. Serm. 2, 8, 28. Longe dissimilem noto celantia *succum.* i. *longe diuersum ab eo sapore, qui est alias notus et vulgaris.*

SVERE Ter. Ph. 3, 2, 6. *Antiph.* Hei metuo lenonem, ne quid suo *suat* capiti. 5. Idem ego metuo. *Qui hanc lectionem retinent, sic explicant:* ne quid mali illi conciliet. *Guyetus autem hunc versum monstrum declarat. Bentleius contra sic emendat:* A. Hei metuo lenonem ne quid. G. suo capiti suat. *(i. e. quod illi male sit, aut quod illius capiti sit; suat enim ἀρχαϊκὸς pro* sit *vsurpari satis notum est.) Cum autem* λεξιν: Idem ego metuo *plane omittit; Ingeniosam esse correctionem fateor, at de veritate nihil audeo dicere. Optima tamen videtur esse ista lectio, quam Westerhouius tenuit:* Hei metuo lenonem ne quid suat! Suo capiti! *vid.* Caput.

SVFFARCINATVS Ter. A. 4, 4, 30. vidi Cantharam *suffarcinatum. Turnebus* adu. libr. 28. c. 33. *vertit: crassam, opimam, velut multo adipe suffertam: Haud recte puto. Verior igitur est Westerhouii sententia, qui sic explicat:* suffertam onere, quod sub axillis gestabat. coll. Plaut. *Curc.* 2, 3, 9.

SVMERE, *impendere, aliquid in re consumere.* Ter. Ad. 5, 4, 68. et cui opus est *rei*, hilarem huno

hunc *sumamus* diem. cf. 2, 4, vlt.

SVMMITTERE *pro* alere. Hor. od. 4, 4, 63. Non monstrum *summisere* Colchi *Maius*, Echioniaeue Thebae. *Vnde notio* alendi *cadat in h. v. explicat Gesnerus in Thesauro. Schol. Vet. ad loc. Hor. interpretatur* summisere, *ediderunt, quod mihi quidem non displicet.* * Hor. Serm. 2, 4, 45. Vinea *summittit* capreas non semper edules i. *suppeditat mensae capreas, non semper ad edendum vtiles.*

SVMMOVERE, *dicitur de lictore vbi praeiens magistratum populum arcet et viam domino aperit, hinc* sumotu incedere. Hor. Serm. 1, 9, 48. Dispeream ni *summosses* omnes. *de gratia deiecisses apud Maecenatem. Pulchre Gesnerus notauit, in tempore plus quam perfecto vim quamdam esse, cum summotos gaudere posses aemulos.* * *Suaui metaphora, de curis comitantibus constitutos in honoribus.* od. 2, 16, 10. non consularis *summouet* lictor miseros tumultus mentis; *bene etiam* ad rem *tumultus.* * *summouere litora; de aedificiis in ipso mari structis.* Hor. od. 2, 18, 21. Marisque Baiis obstrepentis vrgeat *summouere littora.*

SVPER, *praeter Phaedr.* 3, 11, 2. *super* obscoena dicta damnum infectatus est amissi corporis. *vid.* corpus.

SVPERARE *pro* supereſſe *in rationibus* Hor. Art. 328. si de quincunce remota est vncia, quid *superat? festiua et satyrica ethopoeia!*

SVPERBVS, vices *superbae.* Hor. od 1, 28, 33. *vid. Vices. coniectura Passeratii, pro* superba *legentis* superbe, *non placet. Sed vers. 31 pro* forsan *leg. necessario. cum omnibus bonis viris* Fors et. * *Est apud poëtas* superbum, *quidquid id est, in quo homines superbiunt et sibi placent, vt scite iam notauit peropportune Gesnerus ad* Hor. od. 2, 14, 27. Mero Tinguet pauimentum *superbo* Pontificum potiore

coenis. *duo hic epitheta iuncta, sed hoc non infrequens. vid.* Potior * *superbus* Tantalus. i. *diues.* Hor. od. 2, 18, 36. * Epod. 2, 8. *superba* ciuium potentiorum *limina. Salutationum officia quotidiana clientium respicit.*

SVPERBA Ter Ad pr. 21. quorum opera in bello, in otio, in negotio, suo quisque tempore vsus est, sine *superbia*; i. e. (*recte explicante Barth. Latomo*) *ita, vt illi, (scil. nobiles, de quibus v.* 15. *dixerat; Scipio, Laelius etc.*) *minime superbirent ob collata beneficia.*

SVPERCILIVM. Hor. od. 3, 1, 8. *de Ioue;* Reges in ipsos imperium est Iouis clari Gigantea triumpho cuncta *supercilio* mouentis. *Sublimitas huius versus iam nobilitata fama est, sed nota quibus quasi gradibus animum lectoris ad hoc fastigium euehat. Primum reges fingit imperantes terris, eos vero regentem Iouem; addit gigantei triumphi nobilitatem; tum quasi summum addit,* cuncta supercilio Iouem mouere. *Interpretes alii imitationem Homerici illius Iliad. α.* 527. ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι εὐκὲ Κρονίων — — μεγαν δ' ελελίξεν Ὄλυμπον *inuenerunt. Recte, conferri autem cum Horatio duo alii aemuli imitantes hunc locum possunt:* Virgil. Aen. x. 115. et Ouid. Metam. 1, 179. *Videris cui palma debeatur.*

SVPERIICERE, aequor superiectum. Hor. od. 1, 2, 11. *qs. super terras iactum, inundans terras.*

SVPERNE. Hor. Serm. 2, 7, 64. peccatue *superne; de adultera modestiori, quae ne os quidem statim porrigit osculanti etc. ita ego locum intelligo. Alii Interpretes, et Baxterus accipiunt de meretrice, quae inferne tantum est meretrix, neque cucullata incedit, et lacernatum prostibulum; id quod contextus plane dissuadet, et aliae rationes.*

Sed

Sed cur in tali re ſtudioſus ſim? * Hor. Art. 4. mulier formoſa *ſuperne; facie.*

SVPERVACVVS, *pro* inutili, noxio. Hor. Epiſt. 1, 15, 3. Mihi Baias Muſa *ſuperuacuas* Antonius et tamen illis me facit inuiſum. *de nobili illo medico Muſa Antonio plura narrat. Vet. Schol. cf. ad h. l. ſimilem curationem Auguſti in Sucton.* Aug. v. 19.

SVPINARE, naſum *ſupinari* nidore, *graeciſmo.* Hor. Serm. 2, 7, 38. i. *excitari, attolli, delectari odore, pulmentariorum; comice et belle!*

SVPINVS, Tibur *ſupinum*; Hor. od. 3, 4, 23. *Bene ſitum ciuitatis deſcripſit, quia in aſcenſu montis eſt poſita* Vet. Schol. ad h. l.

SVPREMVS, *finis, pro mors. vid.* Finis.

SVPPLEX. *ſupplex* vitta. i. *quae in ſupplicationibus humilitatis ergo et votorum adhibetur* Hor. od. 3, 14, 7. decorae *ſupplice vitta* virginum matres. *Habebantur ſupplicationes in re laeta, vbi gratiae diis agebantur ſolemnes; qualis iſta erat redeunte Caeſare ab Ora Hiſpana.*

SVSPENSVS Hor. Serm. 1, 6, 74. et Epiſt. 1, 1, 56. laeuo *ſuſpenſi* loculos tabulamque lacerto. i. e. *habentes loculos ſuſpenſos a laeuo lacerto, et tabulam. vid.* Loculi.

SYBARIS, *pro ſybarita.* Hor. od. 1, 8, 2. *Etiamſi nomen proprium fictum ſit, tamen ita intelligendum.*

SYMBOLA (ἔρανος, *aut collecta* Cicer. orat. II, 57.) *eſt collatio ſiue ciborum, ſiue pecuniae ad communem coenam.* Ter. E. 3, 4, 2. *Solet etiam ipſum tale conuiuium ſymbola (gr. ἔρανος) appellari. conf. ſi placet,* Stephan. de Abuſu graecae Linguae cap. 1. *vbi* Roloffius *exercitum ſiſtet auctorum, qui de h. v. ſcripſerunt.*

T.

TABVLA *ſyngrapha* Hor. Serm. 2, 3, 70. Scribe decem a Nerio: non eſt

satis; adde Cicutae Nodosi *tabulas* centum; *vide* Scribere. * Hor. Serm. 1, 6, 74. et Epist. 1, 1, 56. laeuo suspensi loculos *tabulamque* lacerto, i. e. *tabula, in qua scripta erant nomina debitorum*; *vid.* Loculi. * *de XII tabulis et omnino legibus* Hor. Serm. 2, 1, 86. Soluentur risu *tabulae*, tu missus abibis i. e. *vis legum, etiam XII. tabb.* (*quarum vna lex poenas irrogabat maledicentiae vid. voc.* Vitalis.) *soluetur, non valebit, cum rideant iudices, videntes dignum satira, ea esse laesum; tu vero dimissus e iudicio absolutus abibis. Sunt, qui de subselliis risu solutis i. e. fractis h. l. cogitent, sed ego cum illis non facio.* * votiua tabula Hor. od. 1, 5, 14. Me *tabula* sacer votiua paries indicat vuida suspendisse potenti Vestimenta maris Deo. *scil. qui e naufragio erant erepti, in tabulis se et casus suos pingi curabant, et hanc picturam in fanis deorum poni. Fuerunt etiam, qui vestem diis sic consecrarent Huc eleganter alludit poëta suauissimus Pyrrhae amore quasi naufragio ereptus.* * *tabulae* peccare vetantes Quas bis quinque viri sanxerunt. Hor. Ep. 2, 1, 24. *Sunt XII. tabulae a decemuiris Romam allatae.* * Phaedr. 4, 2, 24. Caeteri *tabulam* portant; stipem corrogant: *praeferentes tabulam qua naufragii sui casus depictus erat.*

TACERE Ter. A. 2, 3, 2. 5. *est securum esse.*

TACITA, virgo, i. *Vestalis; istae enim virgines, vt iam notauit* Schol. Vet. *solebant sacrificaturae cum pontifice tacentes ascendere in Capitolium. Pulchre hinc* Hor. od. 3, 30, 9: Crescam laude recens, dum Capitolium Scandet cum *tacita* Virgine Pontifex; *dum Romae constabit incolumitas.*

TANDEM *eleg.* ἐν εἰθεῖ, *cum emphasi.* Hor. Art. 161. *tandem* custode remoto. *Diu iam id expectauerat, optauerat.*

TAN-

TANGI Phaedr. 1, 24, 3. Rana *tacta inuidia. belle de subita commotione inuidiae.*

TANTVNDEM *pro* ne id quidem Ter. E. 2, 3, 29. * *idem, nihil aliud* Ter. H. 4, 1, 63.

TARDVS. *Tarda* necessitas semoti lethi. Hor. od. 1, 3, 32. *quae sero et quasi lentis passibus aduenit; suauissime!*

TAVRIFORMIS: *epitheton fluuiorum propter Bacchum l. deum lunum, aquarum dominum, Graecis* Διονυσον ταυροφορφον, *vid. Spanh. de Numism. p.* 314. *cit. etiam ab Gesnero ad* Hor. od. 4, 14, 25. Sic *tauriformis* voluitur Aufidus. *Plaecara comparatio Tiberii cum flumine saeuienti et vndanti.*

TECTVS Ter. H. 4, 2, 5. triumpho, si licet me latere tecto abscedere; *Dictum est siue a gladiatoribus, siue a praelio, vt h. l. ad liberationem a quocunque periculo translatum. Lateri tecto opponitur apertum.* Caes. de bell. Gall. lib. 1, c. 25.

TEMERE Hor. Art. 160. Iram collegit et ponit *temere*, i. e. *sine caussa, leuiter.* * Hor. od. 1, 12, 7. Vocalem *temere* insecutae Orphea siluae, i. e. *passim, negligenter; confuse alii, et sine ordine. pingens vox h. l. ruentis cohortis festinanter et suo sponte.* * Hor. od. 2, 11, 14. Cur non sub alta vel platano vel hac pinu iacentes sic *temere. suauiter! Sic negligenter: so hin. Temperatus*, vsus temperatus argenti Hor. od. 2, 2, 3. *ad laudem Sallustii, neque auaritiae, neque luxuriae dediti; splendere vero eodem loco amoenum est, referendum enim ad argentum aut cusum aut factum.*

TEMPERARE aquam ignibus Hor. od. 3, 19, 6. *Sunt, qui de vinis aqua calida tepefactis intelligant, qui mos antiquorum satis notus: alii vero de balneis calefaciendis accipiunt. Quis praebeat hospiti balneas calidas? Posterior haec explicatio* Lambini et Gesneri

neri *mihi etiam potior ideo videtur, quod additur: quo praebente domum? et in consequentibus demum de vino dicitur.* * Hor. od. 3, 24, 18. Illic matre carentibus Priuignis mulier *temperat* innocens. *Gesnerus cum Vet. Schol.* „Nouerca innocens tem„perat pocula, vel ordi„naria, l. medica priui„gnis, nec abutitur ea „occasione„ *Pessime! Sensus verus hic: nouerca priuignorum educationem suscipit, illorum moribus prospicit, et illos bene instituit ad virtutem, et honestatem.* cf. Hor. Serm. 2, 5, 71. *vbi* temperare *ita occurrit, pro* regere, moderari. *Adde* Epist. 1, 12, 26. od. 1, 8, 7. *et ipse contextus te docebit veritatem huius interpretationis.* * Ter. H. 3, 3, 19. Haec ego praecipio tibi? (*Namque interrogatiue non affirmatiue vt plerique faciunt, intelligenda est haec propositio.*) Hominis frugi ac *temperantis* functus (*es*) officium. *Ironice hoc dicit seruus, atque ita, vt pater Clitiphonis exaudiat. Namque antea v.* 18. *verba illa:* quid istic narrat? *in aurem dixerat Clitiphoni. Obiurgat igitur eum, quod adeo non fuerit constans, sed immoderatus et intemperans, vt neque ab aliena meretrice, (quia Bacchis Cliniae simulabatur amica) manus potuerit abstinere.* * Phaedr. 3, 6, 6. Iugum flagello *temperat* lento meum. *Forte cum* Bentleio *atque* Burmanno *legendum* tergum flagello – *quid enim sit, iugum temperare, haud prospicio, nisi forte hic sit iugum meum, pro me ipsum currui adiunctum et subiugatum. Et ita Phaedrus saepissime.*

TEMPVS, vltimum tempus, *pro* summum periculum Hor. od. 2, 7, 1. O saepe mecum *tempus* in vltimum Deducte Bruto militiae duce.

TENDERE, tendere aliquid *pro* facere; *translate*, parare, minari, velle. Hor. od. 1, 29, 16.

TENER,

TENER: versus *teneri, sunt* delicati, molles. Hor. Art. 246. ne nimium *teneris* iuuenentur versibus vnquam. *vide Iuuenari.*

TENERE causas *pro* obtinere Hor. Epist. 1, 16, 43. quo caussae teste *tenentur.*

TENTARE aërias domos *de astrologo* Hor. od. 1, 28, 5. * *attrectare* atque sic experiri, Phaedr. 3, 10, 26. *tentat* in tenebris caput, tonsum sentit. *sic eleganter* Phaed. 4, 7, 4. Vipera in officina *tentat*, si qua res esset cibi.

TENVIS, *de tibia, significat.* diünne, et simul *ad sonum placidum respicit* Hor. Art. 202. * *subtilis, prouidus* Hor. Art. 45. In verbis tenuis cautusque serendis, *circumspecto quodam iudicio vtatur*; er sey zärtlich und behutsam im Gebrauch der Wörter, im Ausdruck.

TERES in se. Hor. Serm. 2, 7, 86. In se ipso totus *teres* atque rotundus i. *laeuis, politus adeo, vt nihil vitii in eo haerere possit, nihil habens asperum, nihil inaequale*, metaph. a tornatis forma.

TERGEMINVS: honores *tergemini apud* Hor. od. 1, 1, 8. *sunt ex nonnullorum sententia, quam sequor, omissis aliis*, aedilitas, praetura, et Consulatus.

TERMINVS, rerum stabilis, i. *terminus rerum a Parcis fixus, fatum immutabile: alii Terminum deum ipsum intelligunt* (vid. Liu. 1, 55.) *qui firma stabiliaque sancta portenderit.* Hor. Carm. saecul. 25. sq. *quem locum, vere obscurum sic interpretor, sequutus Bosium, in Animadu.* in Hor. p. 53. sqq. Vosque veraces Parcae iungite iam peractis fata bona, quod (i. e. *id, quod*) dictum est vos semel decreuisse stabilisque (*et quod stabilis*) rerum terminus (*oro*) seruet. *Sensus: O Parcae, stabilia ea facite decreta et promissa, quae Aeneae Italiam petenti data et praedicta sunt.* Bentleii *emendationem*

vers.

vers. 26. Quod semel dictum stabilis per aeuum etc. *audacem non probare possum.* vid. *etiam* Richardi Iohnsoni Aristarchum Bentleianum Part. II. p. 66, sqq. *qui eum satis acriter refutat.*

TESQVA, *lingua Sabinorum loca difficilia et repleta sentibus nominantur.* Vet. Schol. ad Hor. Epist. 1, 14, 19. Quae deserta et inhospita *tesqua* credis, amoena vocat mecum qui sentit.

TESTA pro *vase vinario, amphora, plerumque apud poëtas* vt Hor. od. 3, 21, 4. etc. at Phaedrus distinguit. 3, 1, 2. Anus iacere vidit epotam amphoram; Adhuc falerna faece e *testa* nobili odore, quae iucundum late spargeret. Testam *dicit vasis argillam, cui inhaerebat odor falernae faecis (est enim ablatiuus caussae, vt iam notauit Schefferus) Quare nihil mutandum. Nobilem vocat testam, quia extrinsecus in amphora scribebatur nomen aetasque vini tam excellentis, quo facto testa quemdam retinebat honorem atque gratiam apud vinosos.*

TEXERE Ter. H. 2, 3, 44 *texentem* telam studiose ipsam offendimus. ἐξ ἰσαρίθ ἐκρεματο φιλοπόνως πανυ. *Sic enim fertur a Menandro haec* φρασις *expressa fuisse, quo de fragmento vide sis Menandri et Philemonis* λειψανα a Grotio et Clerico collecta p. 56. et Victorii var. et ant. lect. libr. 9. p. 217.

TETRACHORDON *origine Graecum, sed etiam apud Romanos receptum fuit. Secundum* Aristoxenum, *antiquum et celebrem Graecum, artis Musicae peritum, Olymp.* 106. auctore Suida *florentem, quatuor chordis fuit instructum, vt extremae duae chordae, quae medias duas tegerent* φθογγοι ακινητοι, *soni immobiles essent, i. non mutarent sonum in omnibus Musicae artis generibus,* Enharmonico l. cromatico l. diatonico; *reliquae duae*

chordae

chordae mediae φθογγοι κινητοι, l. κινουμενοι, soni mobiles essent, prout scil. plus, minusue tenderentur. Praeterea quatuor illae chordae erant: ὑπατη, summa, quae grauissimum sonum sonabat; παρυπατη, subsumma, lenioris quodam modo soni; παρανητη, paene ima, soni fere acuti; et νητη, ima, quae acutum plane referebat sonum. Hinc intell. Hor. Serm. 1, 3, 8.

THEATRVM *de frequenti coetu puerorum in ludo.* Hor. Epist. 1, 19, 41. Spissis indigna *theatris* Scripta pudet recitare et magis addere pondus. *Festiuissime*, addere pondus, *solent grammatici laude sua et vel pronuntiatione pondus addere scriptis.*

TIMERE; *timet* vti Hor. Art. 170. *Suauiter in charactere senis pingendo, qui certus est plerumque et attentus paterfamilias.* * Id. ibidem 197. amet peccare *timentes de officio chori: vbi Bentleius reponit* amet pacare tumentes; *quod mihi valde arridet, non quod iidem sint* peccare timentes *ac* boni, vers. praeced. *vt vult Bentleius, quod non est; sed quoniam illud in primis officium chori erat, aestu animi laborantes, aut superbos* i. tumentes, *mulcere, monere, suauiter pacare. Testantur praeque tragoedias Sophoclis et Euripidis. Gesnerus ipse addubitat de veritate lectionis, addit tamen:* „Sed mihi nimis amabiles videntur *peccare timentes*, quam vt eos hinc exulare velim.„ *Recte, sed et multis amabilibus rebus careamus necesse est, si quidem et te caremus, Gesnere.*

TIMIDVS, *perturbatus* Ter. E. 4, 2, 14. coll. sc. 3. v. 1. sqq. *Bene* Dacieria: *troublée.*

TITVBARE, *errorem committere* Ter. H. 2, 3, 120.

TITVLVS; *inscriptio statuarum* Hor. od. 4, 14, 4. Per *titulos* memoresque fastos. * Phaed. 5. prol. 4. Nam si quis talis etiam *tituli; ita fuit in Mspt. et vltima*

vox

vox versus aberat. Addiderunt alii artifex; *alii* auidus, *qui* titulum *explicant per* laudem, celebrationem, *quam quis ex conscribendis fabulis acquirat, et putant respici ad inscriptiones statuarum laudes alterius continentes.* Bentleius *coniicit* aemulus. *Non dissimulandum, hoc in loco restituendo maximam laudem mereri* Gudium. *Ita scriptum esse putat:* Nam si quis talis, etiam est studii diligens. *Nos sane, cum de certa lectione prorsus hic desperandum sit, hanc amplectimur, quae propius a vero nobis abesse videtur. Vocab.* Tituli *nimis abhorret. Vide plura hanc lectionem commendantia apud* Gudium in Notis.

TOGA. *componere togam, indicium audientis attente: qui enim soluta toga audiunt,* inquit Schol. ad l. c. negligentes *iudicantur et nimis curiosi. Hinc* Hor. Serm. 2, 3. *comice;* audire atque togam iubes *componere.*

TOGATVS, *fabula togata; sunt comoediae, in quibus inducuntur personae humiles, togis vtentes. vid. omnino* Diomed. 3. p. 456. sqq. Hor. Art. 788. *et cf. vox* Praetexta.

TOLERABILIS; *ad tolerandum facilis, mitis, lenis* Ter. H. 1, 2, 31. Nam parentum iniuriae Vniusmodi ferme sunt, paullo qui est *homo tolerabilis,* i. e. *eos dico parentes, qui sunt miti ingenio ac nonnulla, non tamen omnia, liberis indulgent. Sic* Dacieria *quoque translatum dedit* je parle des peres qui sont un peu raisonnables.

TOLLERE dictum memor *tollere;* Hor. Art. 368. * vocem, Hor. Art. 93. Interdum tamen et vocem comoedia *tollit. h. e. grandioribus non verbis solum sed etiam sensis et sententiis vtitur. Sic e. g. apud Terentium in Andria pleraque, in Adelphis patrum sermones a comica illa oratione decedunt, et altius quiddam aut nobilius*

bilius ſapiunt. Plura huc ipſe, cogitando addes. Horatius ipſe verſ. ſqq. exemplum Terentium ponit.

TONSOR Hor. Serm. 1, 7, 3. Omnibus et notum lippis et *tonſoribus. vid.* Lippus. Id. Serm. 2, 3, 17. Dii te verum ob conſilium donent *tonſore. Plerique interprett. expl. reddant tibi diuitias, quo conducas tibi tonſorem: ſed deridet potius Damaſippum philoſophum vsque adeo agentem, vt et more philoſophorum barbam aleret, optatque ei igitur tonſorem lepide; pertinet huc etiam infra* verſ. 35.

TORMENTVM; admouere ingenio; Hor. od. 3, 21, 13. Tu lene *tormentum* ingenio admoues plerumque duro; ad vinum *ſuauiter, quaſi extorquet grauitatem ſeueritatemque; bene* tormentum *dicit* lene. *Affert ad h. l. Lambinus ſimilem quendam Platonis e Libris de legibus locum;* nec *tamen Horatium eo reſpexiſſe credam.*

TORNATVS Hor. Art. 441. Male *tornatos* incudi reddere verſus i. *male elaboratos, nec ſatis politos, emendare: ſumtum a* torno *inſtrumento fabrili.* Bentleius *infinita fere prolixitate accuſat h. v. vt minus dignum Horatio, nihil plane aptum* incudi; *et legit:* male ter natos. Cuning. *vero emend.* male formatos, *quem ſequitur Sanadon. Sed res eſt ſalua, et cum Geſnero antiqua lectio retinenda. Quamquam enim geminae hic translationes confunduntur, ab* incude *et* torno *deſumtae; non tamen ideo mutanda lectio, cum haud raro eiusmodi confuſio et apud optimos poëtas et ipſum Horatium occurrat; vid. e. g. voc.* Praegrauare.

TORPERE aliqua re; obſtupeſcere *prae nimia admiratione* Hor. Serm. 2, 7, 96. Pauſiaca *torpes* inſana tabella: *nobilis pictor Pauſias.*

TOR-

TORVVS Hor. od. 3, 5, 44. Fertur – virilem *torvus* humi posuisse vultum; *Nonne placet imago Reguli, qui plenus ardore et constantia mortem praeuidens non flectitur lacrymis, intrepidus marem constantem, terribilem vultum ostentat.*

TRABALIS, clani trabales *sunt cunei, ferrei etiam, quibus summa vi aliquid scinditur, et diuiditur aut qui affiguntur;* Hor. od. 1, 35, 18. *de fortuna:* Te semper anteit serua (*sic lege, non* saeuae) necessitas clauos trabales et cuneos manu Gestans ahenea cet. *Sanadonio et Lessingio haec imago tota non satis placuit; propter nimium apparatum et nimis duram congeriem eiusmodi rerum grauium aspectu* Bentleius *eam valde probat, et* Klotzius Vindic. p. 154. *vindicat ab accusatione Sanadonis. Non meum est, tantas componere lites.*

TRABS, *trabes* Hymettiae, i. *marmorea monte Hymetto excisa*, epistylia. Hor. od. 2, 18, 3. Non *trabes* Hymettiae Premunt columnas.

TRACTARE dapes, *de venefica, miscente philtra nocentia.* Hor. Ep. 3, 8. An malas Canidii *tractauit* dapes.

TRAHERE Hor. od. 1, 4, 2. *Trahuntque* siccas machinae carinas. *Emendat* Waddelius *in* Animadu. crit. p. 41. Torquentque etc. *vide* Machinae.

TRANSILIRE; munera Liberi Bacchi *transilire, audacter dictum* Hor. od. 1, 18, 7. At nequis modici *transiliat* munera Liberi, i. *immodice bibat.*

TRANSNARE Tyberim Hor. Serm. 2, 1, 8. Ter uncti *Transnanto* Tiberim, somno quibus est opus alto; *lepidissima responsio: dixerat Horatius se scribere versus debere, quia non quiescere posset et dormire. Tum Trebatius: itaque hoc tibi do consilium; transnato Tiberim; vt solent nostri iuuenes, post exercitia campestria, et*

et tum vbi transnaueris Tiberim, alto somno profecto frueris. Docte Gesnerus ad h. l. citat Cic. Epist. Diu. 7, 10. *tu si perlegeris h. l. eo magis tibi placebunt haec verba in ore Trebatii, natandi studioso, et ad vers.* 9. conf. Cic. Epist. diu. 7, 20. et 22. *Solitam illam natandi exercitationem fuisse, vel ex ipso Horatio* od. 3, 12, 7, et od. 1, 8, 8. discès. *Si lubet, cf. etiam ad h. l. Horatii* Midleton, vita Ciceron. To. 2. pag. 162.

TREMERE, *nobili audacia de ripis vndarum ictu, et fluctibus conquassatis.* Hor. od. 3, 27, 24. *trementes* verbere ripas.

TREPIDARE, *de fluuio tremulis vndis fluente, aptissime ad cursum fluuii obliquo riuo, per lapidulos etiam, significandum.* Hor. od. 2, 3, 12. *Adde* Hor. Epist. 1, 10, 21. aquae quae per pronum *trepidat* cum murmure riuum. * *de flamma* od. 4, 11, 11. sordidum flammae *trepidant* rotantes vertice fumum. *imago bene pingens celerem motum flammae.* * Id. od. 3, 27, 17. Vides quanto *trepidet* tumultu Pronus Orion; *quanto cum fremitu ventorum et maris properet ad occasum Orion. notum est, Orionem esse sidus tempestuosum; bene* trepidare *et* tumultu. *Orion occidit sub Decembrem mensem.* * Id. od. 2, 4, 23. Octauum *trepidauit* aetas claudere lustrum; *bene ad celerrimum aetatis nostrae cursum, velut fluminis cuiusdam, indicandum* * trepidare aeui *est, vitae huius caussa anxie sollicitum esse, quasi cum trepidatione; ita enim iungo verba cum Gesnero apud Eund.* od. 2, 11, 5; nec trepides aeui, poscentis pauca in vsum. *Eodem sensu accip.* od. 3, 29, 32. Vltra fas *trepidare.* * Phaed. 3, 16, 18. Noctua egressa e cauo Trepidantem consectata est et leto dedit. Eleganter trepidantem! quod enim stridula locusta semper facere assueuit,

omne nunc id morti tribuit poëta venuſtus. Phaed. 4, 5, 3. cum fugerent et artos circumtrepidarent cauos, i. e. prae timore huc illuc currerent, dum ſinguli tantum intrare poterant.

TREPIDVS, res *trepidae, de iis, quae trepidationem et metum incutiunt* Hor. od. 3, 2, 5. Vitamque ſub diuo et *trepidis* agat In rebus.

TRISTIS pro *verendo, ſacro*: *triſte* bidental. Hor. Art. 471. * *pro* timendus, *de Hyadibus, quia pluuios denuntiant, atque adeo important.* Hor. od. 1, 3, 14. * *pro* dirus, funeſtus; *triſtes* irae Hor. od. 1, 16, 17. et od. 2, 13, 11. Sanadonius *vertit* courroucée *Videtur vero iſte prior locus eſſe imitatio cuiusdam loci* Platonis, *ſaltim plane eſt ei geminus*; confer. voc. Princeps *pag.* 294. * *triſtes* excubiae Hor. od. 3, 16, 3. *eleganter, ſi referas, vt velim, ad Danaen*; Triſtes *erant Danaae excubiae.* * *triſtes dii dicuntur, ſi ſolliciti ſint de humanis rebus, cum vita delicioſa eorum nihil curet quaſi, has res. Epicureum ſcilicet dogma* Hor. Serm. 1, 5, 103. Nec ſi quid miri faciat natura, Deos id *Triſtes* ex alto coeli demittere tecto.

TRIVMPHARE: *tropice, de ſummo gaudio.* Ter. H. 4, 2, 5. *Eſt autem vniuerſus hic locus continua a bellicis rebus ducta ſimilitudo. vid.* Copiae, Tectus, et cf. Ter. E. 3, 1, 4. *Proxime cum priori loco conuenit, obſeruante Dacieria*, Hor. carm. lib. 4. od. 4. v. 51, 52. quos opimus fallere et effugere eſt *triumphus.*

TRIVIVM Phaed. 1, 27, 11. *triuio* conceptus; adeoque *loco vili atque humili. Eleganter Phaedrus prouerbialem locutionem hic de cane proprie vſurpat.*

TRITVS *pro* tornatus *quaſi τὸ ϱευτον de opere caelato.* Hor. Serm. 1, 3, 91, catillum Euandri manibus *tritum* deiecit. *Notat ad h. l. Schol.* Euandrum hunc caelatorem et

et plasten statuarum fuisse. *Iunius suspicatur, fuisse eum Euandrum Aulanium de quo* Plin. 36. 5.

TRVCIDARE porrum et caepe; falsc *de Pythagorico, qui non edit animantia, adeoque eiusmodi res tantum trucidat.* Hor. Ep. 1, 12, 21. Verum seu pisces seu porrum et caepe trucidas. *Vetus Schol.* conuenit haec vox huiusmodi pulmentis. „*Sed non intellexisse videtur, quo alludsum.*

TRVLLA, *vas orbiculatum et circa summam angustius et vtrinque ansatum, sed vile et quo manus abluebant.* Hor. Serm. 2, 3, 144.

TRVSITARE, *frequentat. a trusо, trudo* Phaed. 2, 7, 8. ferro mulum *trusitant. Ita locum restituit Rigaltius. Ferro* trusitare *est compungere, sauciare.*

TRVX *pelagi epitheton, vt audax ita lyricum, et mirabile ad effectum sensus:* Sanadonius *vertit:* courroucée. Hor. od. 1, 3, 10. Illi robur et aes triplex Circa pectus erat, qui fragilem *truci* Commisit pelago ratem.

TVMVLTVS. *Stoice dicitur quiuis affectus, quaeuis perturbatio mentis. Hinc* Hor. 2, 3, 208. Qui species alias veris scelerisque *tumultu* Permistas capiet; i. *confusas notiones et a vero alienas ideas, turbatas a cupiditatibus (sceleris tumultu) vide* Species.

TVRBA *dissidium* Ter. E. 4, 4, 56.

TVRBO s. turben, *rhombus magicus, cui licia circumtorquebantur, ad obligandas defixorum mentes. Sic* Baxterus: *sed intell h. l. figurate cum* Schol. Vet. *de carmine Rythmico, quo sicut turbine velocissimo in se rotato, ita mens amantium semper in gyrum videtur peragi, vt vertigine quadam per artem magicam cogat homines ad amorem, quem Graeci ϱομβον nominant* Hor. Epod. 17, 7. citum retro solue, solue *turbinem* i. *resolue, videntur homines solui, quo-*

ties incipit currere. Lambin. leg. volue.

TVRPIS *pro* turpatus Hor. od. 2, 7, 12. Minaces *turpe* solum tetigere mento. *bella pictura caesorum hostium, superborum, torquent mento cruentum (turpe) solum; vt nos dicimus vulgari prouerbio, gramen mordere.* * *turpis* maritus *de eo, qui non iustum matrimonium duxit, quod tantum erat inter cines* Hor. od. 3, 5, 6.

TVTELA, *passiue de iis, qui sunt in tutela* Hor. od. 4, 6, 33. Deliae *tutelae* deae, (*ad virgines.*)

V.

VACARE *Phaedr.* 3, *prolog.* 12. vxori vacare; *relictis tandem seuerioribus negotiis reddere se vxori, fabulari cum ea. Gallici: s'entretenir avec sa femme.*

VACIVE. *Phaedr.* 5, *prol.* 14. quartum libellum dum tu *vaciue* perleges. *In MS. fuit* varie *atque alii Codices mirifice hoc in loco discrepant inter se. Ego sic legerim:* Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, Quas aesopias non Aesopi nomino; Quasi paucas ostenderit, ego plures differo, Vsus vetusto genere, sed rebus nouis, Harum libellum, CVM VACARIT perleges. *Ita idem etiam Eutycho commendauerat prol.* 3, 2. Phaedri libellos legere si desideras *Vaces* oportet a negotiis. Vacique *vero, quod recentiores reposuerunt insuetum est. Postremum versum huius prologi ita lege:* Inliteratum plausum nec desidero.

VACVVS, *vacua* virgo; *non occupata ab alio* Hor. od. 1, 5, 10 *Ita interpretor etiam* vacuus. od. 1, 6, 19. Cantamus *vacui* siue quod vrimur. i. *siue vacui ab amore, siue vere amantes.* * Id. od. 1, 32, 1. Si quid *vacui* sub vmbra lusimus tecum; *otiosi.* * Id. Epist. 2, 2, 94. *vacua* Romanis vatibus aedes; i. *eis destinata, libera, vacans. Sic alibi etiam* vacuus,

vacuus, *vt* Liu. 1, 46. Cic. Catilin. 1, 6.

VADATVS, *qui vadibus acceptis aliquem certo die in ius vocat.* Hor. Serm. 1, 9, 36. Casu tunc *respondere vadato* Debebat. *vid.* Respondere.

VADIS l. vas, *qui spondet pro altero, fore eum praesentem die iudicii; proprie quidem* vas *est in re capitali, sed non semper hoc discrimen observatur, vt apud* Hor. Serm. 1, 1, 11. Ille *datis vadibus* qui rure extractus in vrbem est. *i. cum promiserit cum vadimonio se in iudicio staturum.* VASA *apud* Ter. H. 1, 1, 89 *comprehendunt, omnia quae moueri possunt, vtensilia, vestimentis exceptis.*

VADVM *de quouis loco aquoso dicunt poëtae.* Phaedr. 4, 8, vlt. hircumque *clauso* liquit haerentem *vado Nota hic primum versum huius fabellae in veteribus editionibus secundum Pithoeum sic legi:* Homo simul ac venit in magnum periculum; *quod quidem ego rectum puto.* Callidus, *quod alii habent, forte intrusum est. Codex apud Rigaltium haec habet:* In periculum simul ac venit callidus vulpis et caper, Homo simul ac venit in magnum periculum, Repperire effugium etc. *Vero videtur simile, margini adscriptum fuisse;* et vulpis et caper et callidus, *quod postremum etiam ipsa narratio requirere videri poterat.*

VAGVS, mercator *i. qui pererrat, mercaturam exercens, regiones.* Hor. Art. 117. *Vaga* Io Id. Ibid. 124. comp. Ouid. Met. lib. 1. * concubitus *vagus, de libidine illicita, adulterina, et meretricia,* Hor. Art. 398.

VALIDIVS Phaedr. 5, 6, 9. breuitas commendari tanto debet iustius, quanto poëtae sunt molesti *validius. Sic et alii valide habent pro valde.*

VANVS Hor. Art. 8. vanae species. *vide* voc. Species.

VAPORARE, *de sole, cum tepefacit agros calore,*

Hor. Epist. 1, 16, 7. Vt veniens dextrum latus aspiciat sol, Laeuum decedens curru fugiente *vaporet.*

VARIVS: autumnus *varius* Hor. od 2, 5, 12. Distinguet *autumnus* racemos Purpureo *varius* colore. – *autumnus* varius *sic dicitur, vt alias* pomifer *sc. propter gratam varietatem colorum in pomis maturis. vide* Distinguere. * Ter. E. 4, 4, 16 *Varia vestis: est variis coloribus distincta, versicolor, cuius generis vestibus Eunuchi solebant ornari.* Westerhou.

VARVS, *qui crura introrsum inflexa habet* Hor. Serm. 1, 3, 47 Hunc *varum* distortis cruribus (*appellat pater*) *Nempe quia familia nobilis erat* Vari, *appellat pater filium suum, qui distorta crura habet,* Varum, *nomine proprio huius nobilis familiae.*

VDVS, *vdum* apium *i. viride, modo decerptum.* Hor. od. 2, 7, 23. Quis *vdo* Deproperare apio coronas Curatue myrto. *vid.* Deproperare. * humus *vda, belle pro* sordida, polluta. Hor. od. 3, 2, 24. virtus – *vdam* spernit humum fugiente penna.

VECORDIA, *malitia* Ter. A. 4, 1, 2. *patet enim ex iis, quae sequuntur; nec alia huius notionis exempla desunt.*

VECTIGAL *pro* reditibus *secundum Vet. quosdam Schol. apud* Hor. od. 3, 16, 40. Contracto melius parua Cupidine *Vectigalia* porrigam. *Compressa mea cupiditate, et contentus, paruos, exiguos reditus extendam; iis sic vtar sapiens, et contentus, vt magnis. Haec est explicatio Vet. Schol. ex MS. Stephani et Landini: Sed mihi nec vulgaris reiicienda videtur, qua proprie omnia accipiuntur. Facilius, paruo contentus, vectigal pendam, porrigam, quam si Lydiam vsque ad Mygdones continuem.*

VEHERE poëmata plaustris, *pro* agere in plaustris, *vt vult* Gesnerus Hor. Art. 276. Bentleius *locum*

cum sic emendauit: Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis QVI canerent agerentque perunctis faecibus ora. i. *eos vexit plaustris, qui canerent etc. Sc. actores.* Cuningamius *hanc lectionem etiam recepit, neque ego eam improbare possum. Facile potuit Thespis Hamaxobios cum suo grege esse, et, cum actores, tum alium ad scenam exstruendam apparatum plaustris circumuehere. Nihil ego video hic, quod sententiam corrumpat; et quam durum est*, vehere, *vt per maximam audaciam translatum, explicare per* agere, *praesertim cum seqq. vers. poëta de actione loquatur.*

VELLE, *redundanter cum elegantia* Phaedr. 1, 29, 6. ille indignans repudiat Officium, et quaerit cur sic mentiri *velit. Auget festiue increpationem. Adde* Eund. 3, 6, 2.

VENDERE Phaedr. 3, 17, 7. Honore fructum ne videamur *vendere. plurimi mutare lectionem volunt; at nihil melius faciunt. Placet mihi sententia, nescio cuius, qui*, honore fructum *recte legi, sed dici per metathesin a Phaedro putat. Tantum est:* ne videamur honorem arboribus tribuere fructus causa. *Mira est interpretum in hoc loco sagacitas, et eruditio.*

VENERARI aliquid; pro *exoptare* Hor. Serm. 2, 6, 8. Si *veneror* stultus nihil horum etc.

VENEFICVS Ter. E. 4, 3, 6. *Vanus nimirum deprehenditur* Donatus, *dum putat, illud nomen ad* amorem *respicere, qui sit* venenum occultum. *Num etiam Pythias, cum irascitur, adeo est ingeniosa? Sed non est, nisi muliebre conuicium, quod, si omnino est explicanda eius ratio, magis videtur ad falsam Eunuchi speciem pertinere.* Muret. Dacieria.

VENIRE, anni *venientes* Hor. Art. 175. *vid.* Annus.

VENTER, pro *filio, infante*, Horat. Epod. 17, 50. Tuusque *venter* Pactumeius. i. *et verus tuus filius est Pactumeius; Sic enim lego cum* Beutl. Cuning. Baxt. et Gesn. *in nostra editione est* Partum eius *vid.* Partumeius

VENVS *in ludis, vt notum, felicissimus iactus talorum, vbi singuli tali diuerso vultu apparent; at in tessario ludo* Venus *est iactus, qui summos numeros (ter senos) habet.* Hor. od. 2, 7, 25. Quem *Venus* arbitrum dicet bibendi? *thaliarchum creabit; quis talis sortietur regnum vini. exstat singularis dissertatio* Christii, *de magisteriis Veterum in poculis, vbi plura inuenies ad omnem hunc morem pertinentia.*

VENVSTAS, *felicitas in amore* Ter. Hec. 5, 4, 8. quis me est fortunatior? *venustatis*que adeo plenior. * *facilitas, ad bene alicui faciendum procliuis animus* Ter. Hec. 5, 4, 17. *Vberius describitur, quid sit, vers.* 18.

VERECVNDVS Bacchus Hor. od. 1, 27, 3. *non cum Bentleio* leg. inuerecundum; *nec cum* Cuning. verecundi. *est enim* verecundus Bacchus, *quoad rixas veretur litigantium, pollutionem munerum suorum.*

VERSARE vrnam: *dicitur, vrna versari, vbi quatiendo mouetur, vt, commistis sortibus, singulae exeant; cuiusmodi vrnam fati statuebant antiqui, e qua nomina eorum, qui iam mori debebant, sorte ducerentur. Bene ea opinione vsus* Hor. Od. 2, 3, 25. Omnium *Versatur* vrna serius ocyus Sors exitura.

VERSVRA Ter. Ph. 5, 2, 13. Versura solues. *eleganter! cum enim proprie sit aes alienum permutare, h. l. translate dicit Geta se malum illud, quod sibi impendeat, non sustulisse, sed protulisse. Addit enim:* praesens quod fuerat malum, in diem abiit.

VERTERE cadum Hor. od. 3, 29, 2. Non ante *verso* lene merum cado: *Solebant veteres, inclinato cado,*

cado, *defundere vinum, non siphonibus vtentes, vt hodie fit, quod vel ex* Plauti Stich. apparet. Nolo ego nos pro summo bibere: nulli relerimus postea: namque aedepol quamuis de subito *cadus vorti* potest. *Hinc* cadus non versus *l. c. Horatii est seruatus intactus, vnde nondum vinum effusum.*

VERE *recte* Ter. H. 1, 1, 102. hoc ibi fit. (*Bentleius rectius:* hoc quod fit) vbi non *vere* viuitur **simulationi oppositum.* Ter. H. 5, 1, 58. *vide* Rastrum.

VERVS: voces *verae* apud Hor. Art. 318. *sunt, vt nonnulli volunt, quae veritatem characteris, quem vocant, et naturam ipsam imitantur; explicatio non falsa, sed falsa est, si quid video, lectio.* Bentlei. Cuning. Sanadon. *recte sequuti omnem consensum MSS. Crucquii, aliorumque, legunt*: viuas hinc ducere voces. *voc.* veras *est glossa* Acronis, *in textam recepta.* viuae voces, *sunt, quales ipsa, quam inducis, persona viua, loqueretur. Sensus idem est, sed non eadem poëtica suauitas.* * Hor. Serm. 2, 3, 312. An quodcunque facit Maecenas, te quoque *verum est; aequum, iustum, et rectum: sic saepius alias, vt, iam docuit* Vauasor de vi et vsu quorundam verborum. Hor. ipse Epist. 1, 7, 98. Metiri se quemque suo modulo ac pede *verum* est. *Adde* Epist. 1, 12, 23. * Ter. A. 4, 1, 5. Idne est verum? *Bene gallicus interpres:* Est - il donc possible? *Ante enim vers.* 1, *dixerat.* Hoccine est credibile?

VESTIMENTVM *apud* Ter. H. 1, 1, 89. *continet, non vestes solum, sed etiam stragulas, aulaea, et similia. Sic in ead. Comoedia* 5, 1, 30. *intelligendum.*

VIA. Ter. H. 1, 1, 49. Sed vi et *via* peruulgata patrum. *Guyetus verba,* vi et, *merito recidit, ac tantum retinet* sed via peruulgata etc. *Multum enim verborum grauitati detrahunt; ac facile*

possunt, oculi lapsu, a librario quodam esse addita. * *via* sacra. *vid.* sacer.

VICARIVS, *qui lassati vices laborandi subit; solebat apud barbaros lasso ab opere alteri alter semper succedere.* Hor. od. 3, 24, 15. Defunctum laboribus Aequali recreat sorte *Vicarius.*

VICIS, VICE, *de iniuria quam perpetitur aliquis;* Hor. Epod. 17, 42. Infamis Helenae Castor offensus *vice. vid.* Infamis. * *vices* superbae. Hor. od. 1, 28, 33. sunt *poenae, superbo facto dignae.* quasi, *talionis iure,* ἀμοιβαὶ, τὸ ἀντιπεπονθὸς. * descriptas seruare vices Hor. Art. 86. h. e. *distinctas, diuisas, cuiuscunque generis in poësi, formas, et quasi characterem dicendi obseruare, cuiuscunque personae, temporis, affectionis animi etc. dignitatem, elocutionem, officium, et decorum referre. ad stilum, et orationis genus etiam pertinet; ipse vero docta hanc regulam,* in seqq. *fuse, et cum subtili venustate explanat.*

VIDERE, *prospicere,* Ter. Ph. 1, 4, 12. recte ego *mihi vidissem.* * videri, *verbum solemne iudicibus, sententiam dicentibus. Hinc eleganter simius, iudex constitutus inter lupum et vulpem, Phaedr.* 1, 10, 9. Tu non *videris* perdidisse quod petis; Te credo subripuisse, quod pulchre negas.

VIDVVS, *pro orbatus, priuatus.* Hor. od. 1, 10, 12. Te, boues olim nisi reddidisses – *viduus* pharetra Risit Apollo. *Risit Apollo, cum te terruisset, vt boues amotos redderes, et subito inter loquendum a te surreptam etiam adeo pharetram videret. fabula est nota, quo respicit h. l. Flaccus.* * Vidua. Ter. H. 5, 1, 80. Non – auderet haec facere *viduae* mulieri; *Bene ad illustrandum hunc locum Westerhouius affert illum ex Quintiliani Declam.* 333. „et per „se imbecilla res est fe„mina,

„mina; et affert infirmi„tati naturali non leue „pondus, quod *vidua* „est.

VIGERE, pro *felicem esse, cum efficacia et elegantia.* Hor. od. 3, 9, 4. Persarum *vigui* rege beatior. *adde ibid v.* 8.

VIGILIA pro *cura, sollicitudine* Phaedr. 3, prol. 25. qui magnas opes exaggerare quaerit omni *vigilia.*

VILIS Ter. Ad. 5, 9, 24. hoc *vilius. subintellige* non dabo. *Pernegat Mitio, se Syro quicquam, si sit vel flocco vilius, daturum. Nos dicere-mus:* ich gebe ihm nicht so viel *Dacieria bene:* Je ne lui donnerai pas un fêtre. * Ter. Ph. 3, 3, 25. *dicitur de eo, quod maioris pretii est, quam quod pro eo persoluitur.*

VINCERE, *de vino, quod pedes tentat caputque occupat.* Ter. E. 4, 5, 1. * vincor Ter. H. 4, 1, 31. *i. a. conuicta sum.* * *per tropum suauem* Hor. Art. 82. *Iambum* Alternis aptum sermonibus et populares Vincentem strepitus, *appellat.* Vincit *iste pes strepitus populi, h. e. alto, et secum inuicem vsque opposito sono, tum attentionem animi excitat, tum superat spectatorum strepitus. Insignes enim percussiones horum numerorum, celeritate sua adiuncta acumen soni gignunt, et quia frequentiorem quasi pulsum habet,* ab *omnibus partibus insurgit, et a breuibus in longas nititur, et crescit. Cogita autem hic veterum morem cantum adiungendi tibicinum voci histrionum, ad quem respicit, ni fallor, Horatius, hoc enim modo demum* vincere strepitus *poterat. vide de hac re doctum Francogallum* Du Bos dans les Reflexions sur la poësie et peinture. P. 3. Sect. 6. 7.

VINCIBILIS, *qui facile vincere potest.* Ter. Ph. 1, 4, 49. Iustam illam caussam, facilem, *vincibilem*, optimam.

VINCVLVM, *vincula* incantata lacertis. Hor. Serm. 1, 8, 49. *sunt licia*

cia ex diuersis coloribus, quibus sagae mentes hominum vinciebant.

VINDEX, *qui summo in periculo versantem liberat et eripit.* Hor. Art. 191. Nec Deus interfit, nisi dignus *vindice* nodus Inciderit. *nisi tanta rerum est implicatio, tanta difficultas, vt humanae artes nihil efficere amplius possint, nisi Deus quidam subueniat.*

VINDICTA: *virga praetoris, qua percutiebantur serui, dum liberi fiebant, manumittebanturque, capiti imposita.* Vet. Schol. ad Hor. Serm. 2, 7, 76. Quem ter *vindicta* quaterque Imposita haud vnquam misera formidine priuet. *qui nunquam vere eris liber cupiditatibus inseruiens.*

VINEA. Phaedr. 4, 2, 1. *pro* vite *scriptum volunt quidam; at mihi potius videtur* altam vineam *dici, in quo vites, altiores solito, erant, ductae, atque adstrictae palis.*

VIRGO, *Attica,* Hor. Serm. 2, 8, 13. *vid.* Sacrum. * Ter. E. 5, 2, 69. *Quum Chaerea dixisset, se nolle a quoquam in via in Eunuchi veste videri, idque pudoris caussa fieri affirmasset, respondet Pythias:* Virgo vero! *Ironice ac per iocum. quasi dixisset: o pudicum hominem! Nonne diceres eum esse virginem, cum summa castitate, cum tenerrimo pudicitiae sensu?*

VIRIDIA *loca virentibus herbis, floribus atque arboribus consita. Ambulacra; Interptt. ad Phaedr.* 2, 5, 14. perambulante laeta domino *viridia. Quidam legunt* viridaria; *quod idem.*

VIRILIS, *officium virile.* Hor. Art. 193. Actoris partes chorus *officium*que *virile* defendat i. *chorus vnius actoris munere fungatur, ea tantum agat, quae vna persona agere debet, vnius personae locum obtineat, quamuis multis constet. resp. Aristot. in art. poet.* τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαμβεῖν τῶν ὑποκριτῶν. *Turneb. Aduers.* 19, 9. *legit* Actoris,

ctoris, (*h. e. suasoris,*) *pro* actoris *male!*

VIS, *de petulantia veteris comoediae, quae honestatem et omnes virtutis leges laedebat.* Hor. Art. 282, in vitium libertas excidit et *vim* dignam lege regi, *quae merebatur, vt coerceretur legum circumscriptione.* **vis insita*, i. *virtus innata.* Hor. od. 4, 4, 33. doctrina promouet *vim insitam* *Epod. 6, 6. amica *vis* pastoribus; *dicuntur canes* i. *defensio contra lupos cet.* * *pro copia, vt saepissime.* Hor. od. 4, 11, 4. Est hederae vis Multa qua crines religata fulges. *pro fulgebis.*

VITALIS Hor. Serm. 2, 1, 61. O puer, vt sis *vitalis*, metuo; et maiori ne quis amicus Frigore te feriat i. *interimat. Erat in XII. tabulis; si quis accentassit mala carmina siue condidisset quod infamiam faxit, flagitiumque alteri, capitalis esto. Bene igitur haec verba apud Horatium lureconsulto tribuuntur.* Hor. Serm. 2, 7, 3. Frugi quod sit satis; hoc est Vt *vitale* putes. *Loquitur seruus dicens se esse seruum frugi, bonum, sed non nimis, et vltra modum, et ita vt diu viuere possit. credebant enim eximie bonos cito mori, h. e. non vitales esse; quae persuasio animi etiam nunc apud nos interdum obtinet, de infantulis, nimis sapientibus vt loquuntur. Senec.* contron. 1. de Alfio Flauio; aiebant tam immature magnum ingenium non esse *vitale.* vid. Mart. 6, 9. *Facete seruum ita loquentem inducit:* sum frugi et bonus, sed non talis tamen, cui propter immodicas virtutes metuant homines vt vitale esse non possim. *Lambinus ad h. l. praeter hanc, plures alias interpretationes afferens, locum difficilem putat, qui nulla difficultate laborat.* Gronou. obseruat. libr. 4, 24. *haec verba tribuit Horatio, ad seruum dicenti; sed appareret statim quam sinistre.*

VITIVM, *de nota censoria, quae ex antiquitatum libris satis nota* Hor. Art. 383. * Ter. H. pr. 30. date crescendi copiam (*iis*) nouarum qui spectandi faciunt copiam, *sine vitiis*, ne ille pro se dictum existimet qui etc. *De industria Terentius addidit:* sine vitiis, *ne existimarent spectatores, se pro iis quoque comoediis intercedere, quae vitiis plenae sint, qualis erat illa Lauinii, in qua seruum currentem induxerat. vid.* Servus.

VITREVS, *pro* caeruleus, *is enim, vt Gesnerus pulchre monet, veteris vitri color.* Hor. od. 1, 17, 20. *vitrea* Circe. Sadon. explic. *inconstantem Circen, cuius fragilis esset amor. quod quis sequi possit? Eodem sensu* od. 4, 2. *vitreus* pontus. *Scil. de coeruleo colore intell.*

VIVVS, *lucernae viuae*, i. *ardentes, lucidaeque; belle!* Hor. od. 3, 21, 23.

VLTERIOR, *alter* Ter. Ph. 4, 2, 10. Quis est *vlterior?*

VLTIMVS, vltima *loca Romani ea omnia vocabant, quae tam longe aberant, vt fere essent incognita. Hinc* Hor. 1, 36, 29. *vltimos* vrbis Britannos *appellat vid. Gesner. et Bosii* Animaduers. ad Auctores Graec. et Latin. p. 33, *si Bentleii emendatio legentis,* Vltimos Oro Britannos, *te incertum h. l. de lectione fecit, quod tamen vix fieri poterit.* * causae *vltimae; quibus nullae sunt propinquiores, quae necessitate quadam hoc, illud, efficiunt.* Hor. od. 1, 16, 19. Iraealtis vrbibus *vltimae* stetere *causae* cur perirent. *vid.* Stare.

VLTOR, Hor. Epist. 1, 19, 39. Non ego nobilium scriptorum auditor et *vltor* i. *vindex: eleganti sensu; non ego quasi me de aliis vlciscens, quod eorum poëmata audiuerim, mea carmina inuicem pro poena recito.* Iuuenal. 1, 1. *Semper ego auditor* tantum? *nunquamne reponam.*

Vossius

Vossius tamen ad Vellei. Paterc. 1, 13. *legere cupit* actor *pro* vltor *explicans* fautorem; *in MSS. inueniſſe ſe teſtatus* actor. *Sed terſior eſt et vrbanus* vltor.

VLTRO, Hor. Serm. 2, 1, 39. hic ſtilus haud petet *vltro* Quenquam animantem. *i. non laceſſitus antea ſatira hac neminem laedam.* Id. Serm. 2, 5, 75. *Vltro* Peneiopen facilis potiori trade. Id. Serm. 2, 5, 90. *vltro* Non etiam ſileas. i. e. *nimis, vltra quam ſatis eſt, vt* Epiſt. 1, 6, 16. *Meliores libri etiam legunt;* vltra. * Id. Epiſt. 1, 12, 22. Si quid petet *vltro* Deſer. i. *libenter, animo benigno.*

VMBILICVS, *bacillus, in cuius ſummitate vtraque vmbilicus erat, quo circum voluebantur volumina; hinc* ad *vmbilicum* perducere *eſt* finire. Hor. Epod. 14, 8. Iambos ad *vmbilicum* adducere.

VMBRA: *in conuiuiis vmbrae ſunt, non vocati, et eum, qui vocatus eſt, ſequuti, ab eo ſimul adducti.* Hor. Serm. 2, 8, 22. quos Maecenas adduxerat *vmbras.* Id. Epiſt. 1, 5, 28. locus eſt et pluribus *vmbris* * Id. Epiſt. 1, 7, 50. vacua tonſoris in *vmbra. i. pergula, officina.*

VNCIATIM, *ſingulis vnciis.* Ter. Phorm. 1, 1, 9. *κατ' ὀλιγον inquit, in ſimili cauſſa* Lucianus Timon. c. 23. (p. 137. tom. 1. ed. Reitz.)

VNCVS, *fuſtis l. baculus ferreus, infuſo plumbo, quo damnati puniebantur,* Hor. od. 1, 35, 20. nec ſeuerus *vncus* abeſt liquidumque plumbum, *in imagine Fortunae. vid.* Trabalis.

VNGERE, *vnctus, qui e balneo lotus et vnctus ad coenam it.* Hor. Art. 422. Si vero eſt *vnctum* qui recte ponere poſſit. h. e. *accumbere conuiuam iubere* recte, i. *laute, opipare excipere.* * Id. od. 2, 1, 5. arma nondum expiatis *vncta* cruoribus. *Bentlei. leg.* tincta; *non bene!* cf. Sil. Ital. 9, 12. *qui h. l. forte imitatus eſt.*

VN-

VNCTVS, *vncta* popina; *translatione vere poëtica, redolens, optimis cibis plena.* Hor. Epist. 1, 14, 21. fornix tibi et *vncta* popina Incutiunt vrbis desiderium. Id. Ep. 1, 15, 44. Vbi quid melius contingit et *vnctius.* Id. Epist. 1, 17, 12. accedes Siccus ad *vnctum*; i. *lautum, qui bene vnctus.*

VNGVIS, *sectus*, Hor. od. 1, 6, 18. Nos proelia virginum sectis in iuuenes *vnguibus* acrium cantamus. *vid.* Secare.

VNGVLA, *pro* equo. Hor. Serm. 1, 1, 114. Vt cum carceribus missos rapit *vngula* currus, Instat equis auriga suos vincentibus. i. *quemadmodum cum e carceribus emissi sunt equi currentes, in certamine curuli, auriga eos equos, qui suos equos vincunt, spectat, eisque acriter instat, ardenter insequitur etc.*

VNIO, *vocarunt vniones pueros formosos mollesque glabros* Phaedr. 4, 4, 36.

VNVS. Verbum *vnum* caue. Ter. A. 1, 5, 65. *emphatice pro* ne vnum quidem.

VOCALIS, Orpheus *vocalis, apud* Hor. od. 1, 12, 7. *vbi Schol.* vocales *dicuntur, qui claram vocem habent. sonori et summa voce praediti. h. l. quo respiciat, ipse contextus demonstrat.*

VOLVBILIS, aqua. Hor. od. 4, 1, 40. sequor te – per *aquas*, dure, *volubiles. quasi in Tiberi denatantem, quae fieri consueuerit post exercitia in campo Martio.*

VORTEX, *vndarum globus.* Vet. Schol. ad Hor. od. 2, 9, 22. Medum flumen – minores voluere *vortices. Venuste! quasi ipse fluuius sentiat accolas suos victos esse, adeoque fluat lente, non fluctus voluens cum strepitu, vt antea.*

VOTIVVS, tabula *votiua.* Hor. od. 1, 5, 14. *vid.* Tabula.

VOX. *voces* sacrae; *de incantationibus. magicis.* Hor. Epod. 17, 6. Canidia parce *vocibus* tandem *sacris.* * verae *voces* apud Hor. Art. 318.

Sed

Sed leg. viuas *pro* veras. *vid. voc.* Verus.

VRBANVS, frons vrbana; *liberior, vacua ab pudore ſubruſtico, ingenua: facete* Hor. *in commendando aliquo* Epiſt. 1, 9, 10. *frontis* ad *vrbanae* deſcendi praemia. *Nam eo ſenſu vox frequenter occurrit: vt ſit* vrbanus, *qui diuerſos mores habeat a ruſtico; deinde* de facto, lepido, et ſuaui ſalibus homine *vſurpatur: ſic eſt* apud Hor. Serm. 1, 4, 90. Hic tibi comis et *vrbanus* liberque videtur. *Qui locus cum alio apud* eundem Epiſt. 1, 15, 27. *quaſi fundus eſt, vnde, quae fuerit vrbanitas, deſumi, eaque explicari poſſit. Iam age, cum* Satirici *poëtae inprimis* vrbanitas *ſit, ſi laudem veram velit et plauſum capere, atque Horatius ea vicerit adeo alios poëtas, vt quaſi proprius eius character dicendi ab omnibus vno fere ore poneretur iſta*

VRBANITAS, *de ea paucula quaedam eo lubentius dicamus, quo minus diſputatum ſuper ea, quoad ſcimus, data opera eſt; ſaltim nondum legimus, quae noſtras obſeruationes, ſiue potius diſputatiunculae* fragmentum *reddant ſuperuacuum. Diſſeruit* quidem de illa *vrbanitate* Quintilianus Inſt. Orat. cap. 60. multis verbis et docta ſubtilitate; ſed nobis eſt propoſitum, ea modo hic colligere breuiter, et quaſi curſim, quae ad Horatium faciant. Quintilianus igitur, poſtea quam *Domitii* Marſi, qui de Vrbanitate ſcripſerat, aliorumque ſententias attulerat, haec: „*Meo quidem iudicio*, inquit, illa eſt vrbanitas, *in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque ſenſu, neque verbis, neque ore, geſtuue poſſit deprehendi: vt non tam ſit in ſingulis dictis, quam in toto colore dicendi, qualis apud Grae-*

cos Atticiſmos ille, redolens Athenarum proprium ſoporem.„ Ex his, et iis, quae praeterea diſputauit rhetor, intelligere licet, eandem fere fuiſſe vrbanitatem, quam nos appellamus *Artigkeit*; dicerem illud vocabulum fere ex aſſe latino reſpondere. Non enim illa vrbanitatis virtus ea eſt, quam nos nominamus *Witz*; nec alia eius generis apud nos vocabula eam denotant, niſi illud ipſum, quod poſuimus; quod eo magis inde elucet, quod dicit eam Fabius, loc. laud. *ſermonem prae ſe ferentem, in verbis, et ſono, et vſu, proprium quendam guſtum vrbis, et ſumtam ex conuerſatione doctorum tacitam eruditionem.*„ Quam explicationem, ſi referas ad ſcriptorem Satirarum: *primum* ea eius erit Vrbanitas, quae comitatem quandam prae ſe feret in caſtigandis vitiis, non iram, aut acerbitatem, et indignationem, qualem v. c. oſtendit Iuuenalis: *deinde*, quae cum leui riſu, non cachinno effuſo, errantes et peccantes demonſtrabit, non dicax erit, ſed faceta; *porro* iſta virtus obſcoenitate omni plane vacabit, modeſtia contra vſus; in quod et vitium incurrere videntur alii Satirici; *denique* liberalem quandam rationem ſequetur, vt ne homines ipſos, ſed errores et vitia perſtringat; cui addet leporem quendam, et facetias adſperget, ſed ſcitas, vltra vulgarem ſaporem elegantes, et commode, et temperanter prolatos, et inopinatos interdum. Iam age, quaedam talia apud Horatium monſtremus. namque non conſtituimus omnem rem pertractare, verum quaſi tranſeuntes nonnulla oſtendere, quae alio loco vberius ſumus explicaturi.

Quod igitur attinet *comitatem*, et ab omni indignationis acerbitate alienum animum; ille adeo

deo elucet ex omnibus fere Sermonibus Horatii, vt exempla ponere vix opus sit. Prima statim Satira, auaros summa cum comitate perstringit. Initium ipsum comem scenam aperit, varios homines de sorte sua conquerentes, nec tamen postea paratos ad mutandam fortunam suam. cf. vers. 15. inprimis 19. sed legenda toto satira. obiter nota vers. 119. eandem esse sententiam quae Gallo Fontaine, imitato forte Horatium in fabulis, ingentem gloriam apud suos populares peperit. On sortoit de la vie ainsi que d'un banquet, Remerciant son hote, et faisant son paquet. Sic et illam sententiam libr. 2. Sat. 2, vers. 129. aut aemulatus est aut eandem habuit Lucianus. vid. Eius Nigrin. c. 26. pag. 66. Tom. 1. Ed. Reitz. Quanta comitate Satira 3. est condita libri 1. cf. vers. 25-48. narratio itineris Brundisii integra libr. 1, 5. Sat. 2. libr. 2. ibid. Sat. 5. etc. quanta comitate et dulcedine splendent. Plura ipse reperies. Huc ego refero etiam suauem illam Socraticam philosophiam, qua nimium quantum noster est vsus. Seruat ipse regulam, quam dedit in Art. 310. et quod dicit od. 3, 21, 9. de Coruino, valet de ipso; *madet Socraticis sermonibus*. Fuit etiam ei mos secum habere, vbi commentaretur, et stipare Platona Menandro Serm. 2, 3, 11. sqq. cf. Turneb. libr 9, c. 6. Hinc Socraticas sententias plurimas inuenies. Occurrunt. Serm 1, 3, locus de sobrietate, quem conferas quaeso cum Xenoph. Memor. Socrat. libr. 1, c. 3. pluribus in locis. Serm. 1, 9, 59. et 60. conf. cum Xen. Memor. Socrat. libr. 2. c. 1. §. 28. Ed. Ern. satis lepidam imitationem illius Xenoph. Mem. libr. 3. c. 1, §. 4. continent vers. 124. seq. Sat. 3. libr. 1. vide voc. *Pulmentarium* supra. Praecepta amicitiae illa suauissima

Serm. 1, 3, 48. nonne vnicuique, qui legerit, Platon. de Republ. 5. p. 466. inde sumta videbuntur; quanquam iam Horatium praecesserat Lucretius 4, 1154. sqq. Excellit hac lenitate, vitia carpendi, qua longe superat iracundum Iuuenalem Sat. 6. libri 1. Adde libr. 1. 10. 64. sq. et 2, 2, 18. et cetera plura. namque hic noto tantum et indico, non differo.

Admirandus vero est etiam *renidens* eius *vultus*; non ridens. Similis est puellae amabili, amoenioris ingenii, paetae, quae, vbi videt praetereuntem quendam turpiter labi et sinistre, ad leuem risum vultu composito, monstrat labentem cito digito; frons et omnis facies nouis illecebris ornatur; capit omnes, fit amabilior hoc ipso comi et vrbano risu. Atqui haec vera est illa *vrbanitas*, quam se praestiturum spondet. Serm. 1, 4, 101. sqq. *quod vitium procul a fore chartis Atque animo* etc. atque Serm. 1, 10, 9. sqq. et vere, quod ibi dicit *vrbani* esse, *vt parcat viribus*, id mirabiliter praestitit. Videntur et ipsi Romani sua aetate odio summo acerbitatem prosecuti et mordacitatem. Culpabatur ipse noster poëta, forte non immerito, quod dixisset, *Pastillos Rufillum olere* Sat. 1, 2, 27. at quam facete se excusat Sat. 1, 4, 92. coll. cum praeced. verss. 84, sq. 90. etc. Plena sunt omnia huius modesti risus, et facetiarum. (Longe vero distat facetus a dicace, vt iam obseruauerat Cicero in Oratore.) Euoluenti Sermones occurrunt facetiae Serm. 1, 1, 51. sqq. imago Tigelli libr. 11. Serm. 3. 6. sq. - 19. Scribae Serm. 1, 5, 35, 36. Regis Rupili Sat. 7. libr. 1. impudentis Garruli 1, 9. Catii, 2, 4. etc. Consilium gratias agentis Damasippo libr. 2, 3, 16. 17. prouocatio Crispini 1, 4, 14.

14. sqq. suauis iocus in vocabulo *formulae*, philosophis, vbi definiunt, solemnis. 2, 3, 45. Ars risui exponendi res, extenuando eas, illasque illa quasi facie ostendendo, quae faueat proposito. Serm. 2, 3, vbi a vers. 20. sq. diminuit, et iucundo ridiculo diminuit pretiosarum rerum existimatores et emtores. iocosa imitatio illius dicti Epicharmi apud Athenaeum libr. 14. in Epist. 1, 19, 2, conf. Gatak. Aduers. Misc. posth. c. 15. Sed vt dixi, omnia eius venustatis plena sunt.

Coniungit poëta cum illo risu leui miram castitatis curam, quae careat omni obscoenitate. Non quidem hic ego, defendam satiram secundam libri primi; quanquam si tempora cogitas, si opiniones, si religionem, si denique satirae naturam, facile excusabitur; sed tamen, qui comparabit alios satiricos scriptores, quin Horatio tribuat *verecundiam*, erit nemo. Nulla hic spurcities, nulla verborum licentia, accuratus delectus, venusta puritas: deinde vero etiam, quanta modestia eius est erga obtrectatores et inuidos! rara Satirici scriptoris, auro carior virtus. Serm. 1, 6, 45. sq. Serm. 1, 10, 64. Serm. 2, 1. fere tota. Adde de se ipso iudicia Serm. 1, 3, 69. sqq. 1, 4, 138. etc. Illam tandem *urbanitatem*, quae cernitur in bene dictis, facetiis, iocis, adeo sparsa est per omnes sermones, vt de ea exempla ponere, vix opus sit, sed amandare liceat vnumque ad lectionem ipsam. Praesertim huc referenda illa virtus παρὰ προσδοκίας, inopinati sales, quibus et figit suauiter et velut transiens aduersarios; vt magnifici illi et ridicule suo loco positi versus libr. 1. Serm. 5, 9. quibus figit poëtas heroicos malos. Serm. 1, 3, 65. et saepissime, vel sexcentis locis. Huc porro mira-

bile artificium laudandi, et callidum, pertinet vt Serm. 1, 3, 63. 1, 6, 48. vbi ex improuiso laus admirationem habet summam; non minorem ea, qua ornatur propter similem artem Boilauius et Popius a viro docto in Briefen zur Bildung des Geschmaks Part. 3. pag. 172. sqq. diuina haec omnia, et percellunt lectorem occupatum, ex improuiso. Similem laudandi artem adhibuit etiam Plinius interdum vt Epist. 10, 113. Denique ad illam venustatem salis et bene dictorum referendi lusus leues verborum, at, parcissimi, et suo loco positi vt Serm. 2, 1, 82 et 83. et Serm. 1, 7, 35. vid. supra voc. *Pus.* et *Graecari.* Denique obseruare licet, poëtam eam rationem omnino esse secutum, vt dialogis maxime satiras inuestiret suas, vnde dicti recte *Sermones*, (Discours) vid. voc. *Sermo.* et Lancem esse plerumque Saturam; quae res et multos locos difficultate obnoluit, non semper feliciter ab interpretibus expeditos. Epistolae pleraeque Satirae sunt. In philosophia, modo stoicus est, modo Epicureus, modo seuerus, modo iocosus; talis vno verbo, qualem poëtam plerumque esse recte notarunt viri docti *in den Briefen die neueste Litteratur betreffend* Epist. 100. P. 6. pag. 173. Si hic locus pateretur, de his omnibus fusius disputarem, et Laudes explicarem Sed tum nec omnia statim exhaurienda, tum breui tempore amicus quidam vberiora dabit in disputatione singulari *Super Vrbanitate Horatii.*

VRERE, in puellis Hor. Epod. 11, 4. * vrere *audaci metaphora pro ignibus et flammis implere, excalefacere* Hor. od. 1, 4, 8. Cyclopum Vulcanus ardens *vrit* officinas. ardens *est*, *qui quasi ardere ipse videtur, in loco versatus, vbi omnia lucent igne.*

vel

vel ardens *est valde studens, operi intento, quantacunque contentione. Sed prius praeplacet, et exhibet imaginem ita veram, et naturae imitatricem, vt rem ipsam videre videar. Bentlei. emend.* visit *pro* vrit; *male!* * *pro* valde amare, *vt* saepe. Hor. od. 1, 6, 19. siue quod *vrimur*, h. e. *Deperimus vere, non mente solum fingentes, vt solent poëtae etiam, vacui ab amore. Baxterus leg.* quod *pro* quid. * Cum vrere *calceus dicatur nimis angustus, premens; hac comparatione elegantissime fortunam, animo hominis, aut maiorem, aut minorem depingit* Hor. Epist. 10, 43. cui non conueniet sua res vt calceus olim si pede maior erit subuertet; si minor, *vret.*

VRGERE, *de instanti querela, qua aliquem quasi insequor: iucunde!* Horat. od. 2, 9, 9. Tu semper *vrgues* flebilibus modis Mysten ademtum *i. semper elegis pangendis plorabis.* * Id. od. 2, 10, 2. altum *vrgere; de nauigatione maris. Contrarium est* premere littus. * Hor. od. 3, 27, 57. Vilis Europae pater *vrget* absens, Quid mori cessas? Vrgere *est h. l. terret, cogit, iubet, minatur, vt moriaris: Videt Europa prae metus et pudoris furore extra se posita vultum patris minacis et vrgentis quasi ad mortem. Malim igitur legere ego:* Vilis Europe, *i. o contempta et abiecta Europe*, pater vrget absens. *Non cum Erasmo, vt est vulgatum in nostra editione: tum enim esset sensus: Contemptus* pater Europae nunc vrget absens? *Nonne tibi prior videtur potior sensus? * de amante auide amplectente amatam.* Hor. od. 1, 5, 2.

VRNA *Capax. de orci vrna, quae omnium viuentium nomina tenere credebatur; vnde, cuius nomen eduxisset Lachesis,*

cheſis, *ille neceſſitate trahebatur ad orcum.* Hor. od. 3, 1, 16. Omne *capax* mouet *vrna* nomen. * Hor. Serm. 2, 1, 47. Ceruius iratus leges minitatur et *vrnam*; *i. iudicium*, *actionem mihi intendens*: *nota eſt vrna iudiciaria.*

VRTICA, *edulis herba.* Hor. Epiſt. 1, 12, 8. Si forte in medio poſitorum abſtemius herbis Viuis et *vrtica. Geſnerus allato etiam loco Plin. H. N.* 21, 15, 55. *de herba eduli vrtica, mauult tamen h. l. vrticam piſcem intelligere, quia verſ.* 21. *ead. Ep. occurrant piſces: ſed ego aſſentiri non poſſum, nam curpit poëta auaritiam, quae melius, vrticam herbam quam piſces emtas edere, fingitur.*

VSVS. Ter. H. 1, 1, 28. *quod eſt vtile*, mihi ſic eſt vſus, i. e. *me ſic iuuat*, *mihi prodeſt.*

VT. *intendendi vim habet.* *Phaedr.* 1, 12, 14. O *me* infelicem, qui nunc demum intelligo, *vt* illa mihi profuerint, quae deſpexeram. *Quae ipſa ſignificatio paullo rarior effecit forte, vt varie mutarent exſcriptores locum hunc; ſic eſt in cod. Danielis, quem pluries emendatum eſſe a ſemidocto quodam, ſupra iam ſuſpicati ſumus, legitur:* Vtilia mihi quam fuerint. *hanc lectionem habet etiam noſtra editio* * *pro* vbi Hor. od. 3, 4, 29 *et ſaepe ſic.* * *pro* etiamſi Epod. 1, 21, * *pro* quia Hor. Serm. 1, 9, 42. * *pro* quoniam od. 1, 11, 3.

VTCVNQVE, *quandocunque, vbicunque, quotiescunque*, Hor. od. 1, 17, 10. *et* od. 3, 4, 29. Id. od. 4, 4, 35.

VTERQVE Ter. H. pr. 47. experimini
In *vtramque* partem ingenium quid poſſit meum.
Primum obſeruo, poſterio-

steriorem hunc versum in Bentleiana editione plane omissum esse; eiusque rei cum nulla innotis afferatur causa, sed eius in indice fiat mentio, non dubito quin typographi incuria id factum sit. Quod deinde ad sensum attinet, prologus antea dixerat, Comoediam, Heavtontimorumenon, esse statariam (vid. Purus, statarius.) *Rogat igitur spectatores, vt experiantur, quale sit ingenium suum (i. e. facundia, et reliqua histrionis dexteritas) in fabula stataria, quam in motoriis persaepe iam experti fuerant.*

VTILIS *ironice pro* Inutilis. Ter. A. 1, 5, 53. *Etsi Donatus malebat legere* inutiles, *quod Bentleius tamen suo iure improbat.*

VTILITAS, *Vsus, siue id quo quis potest esse vtilis* Phaedr. 1, 22, 11. quorum priuata seruit vtilitas sibi *h. e. id quo prodesse possunt atque videntur, priuatum est, nec in communem vsum transfertur, sed sibi tantum seruit. Sic vtilis Phaedr.* 3, 14, 11. *est quo vti bene possumus; et* 4, 25, 18. *nonnulli ad MSS. lectionem accommodatius habent:* Cum iam desierit esse beneficio vtilis, *h. e. actiue, qui vti beneficio possit. Sic Martial. Lib. 2. epigr.* 90. viuere quod propero pauper nec *inutilis* annis *Da veniam.*

VVLPECVLA Hor. Epist. 1, 7, 29. forte per angustam tenuis *vulpecula* rimam Repserat in cumeram frumenti. *Sed quid vulpecula in cumera? Quid? an frumento vescitur vulpes? Leg. necessario cum Bentleio* nitedula, *quod recepit etiam Cuning. et Baxterus. Est vero nitedula, mus agrestis, frumento victitans, et areas, et cumeras agricolarum infestans vid. Seruium ad Virgil. Georg.* 1, 181. *Nunc omnia plana et ele-*

elegantia. Plura et dissertatiunculam quandam de h. l. reperies in Not. Bentlei. ad h. l. adde Cuning. Animaduers. in Hor. Bentleianum.

VXORIVS. Ter. A. 5, 1, 10. res vxoria, *est matrimonium, quatenus opponitur amori vago, siue in quo quis extra coniugium occupatur.*

Z.

ZONA Hor. Epist. 2, 2, 40. Ibit, eo quo vis, qui *Zonam* perdidit. *facete! nam in zonis pecuniae et res pretiosae recondebantur. Pertinet huc, illud* Phaedri 4, 21, 11. hi *Zonas*, illi res pretiosas colligunt. *Sed, verba Horatii laudata in prouerbium abierant apud Romanos.* vid. Erasm. chil. 1. cent. 5, prouerb. 16. * Gratiae Zonis solutis Hor. od. 1, 30, 6. *sunt, vt iam notauit Vet. Schol.* nudae, et sine nodis, *quales finguntur Gratiae.*

FINIS.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Non vereor, ne sint, qui accusent nos incuriae, cum adiiciamus, quae addenda visa sunt, et emendanda. Conantem me meliora omnia mea, et me ipsum reddere, non dedecet retractare vel leuissima, vel grauiora, vel addere, diligentiae visa non indigna commemoratione. De operarum vitiis monendum, me ea tantum indicare, quae fugitiuae perlustrationi occurrerunt; reliqua me lectorum aequitati commendare.

Pag. 29. Sectione 2. lin. 8. voc. *impera* adde: *Sic etiam* Phaedrus 3, 6, 8. aufer friuolam insolentiam.

Pag. 32. S. 1. lin. 6. *lege:* Latomus. Ibid. Sect. 2. lin. 20. *lege:* XX minas *pro:* ** minas.

Pag. 37. S. 2. lin. 10. *lege* irascatur.

Pag. 41. S. 2. lin. 19. *lege:* olympiaci.

Pag. 44. lin. 3. a fine post voc. *splendet*, add: Ita ego etiam intelligo Hor. od. 1, 2, 31. Nube candenti humeros amictus. Hanc enim veram iudico lectionem, secutus MSS. antiquitatem et Vet. Schol. Frustra Bentleius opera, in emendando loco, abutitur. Nam primum, quod monet de hiatu, illud nihili est. Saepius enim eum apud optimos poëtas occurrere, sciunt docti. Magis adhuc inane dubium de sententia. Quodsi, vt posui, legis, sensus est facilis, et nube candenti amictus tamen potest inter mortales non ipse agnitus versari. Miror Gesnerum hic secutum esse Bentleium.

Pag. 53. Sect. 1. lin. vlt. adde: lectionem Bentleianam tueri videtur Clarkius ad Odyss. 9. 248. Sed lectio vulgata nihilominus praeplacet, cum posterior illa cum omni loci perpetuitate non satis cohaereat, et duri quid prae se ferat, Horatio indignum.

Pag. 86. S. 2. lin. 30. post voc. *cyatho* adde: Christius in scriptione, *de Magistriis Veterum in poculis*, (Lipsiae 1745) pag. 6. pluribus explicat hunc modum

dum bibendi, quo *trientem* ſumebant, quod Graeci dicebant τρια πιειν, ſed ipſe tamen pag. 4. quod mirum, locum Horatii, vulgari illo modo, explicat, de ternis aut nouenis poculis vini.

Pag. 89. lin. 20. S. 2. lege *debentia*, *pro* detentia.

Pag. 121. S. 2. lin. 20. lege *repugnare pro* impugnare.

Pag. 186. S. 1. in voc. Inſitiuus lin. 31. *add.* Sic *inſitiua* pyra occurr. apud Hor. Epod. 2, 19. Eleganti ſignificatione vtitur Phaedrus loc. laud. omne enim, quod loco non natali alitur, *inſitiuum* eſt l. inſititium; vt docuit Geſnerus ad Plin. Epiſt. 3, 4, p. 143.

Pag. 209. Sect. 2. lin. 1. poſt verbum: *prolata*; *add.* Locus Luciani laudatus exſtat in Amorr. Luc. c. 53. p. 456. Tom. 2. Ed. Reitz. ἐγαρ ἀποχρη το θεωρειν ἐρωμενον, ἐδ' ἀπαντικρυ καθημενε και λαλεντος ακουειν, ἀλλ' ὡσπερ ἡδονης κλιμακα συμπηξαμενος ἐρως, πρωτον ἐχει βαθμον ὀψεως κ. τ. λ.

Pag. 224. Sect. 2. lin. 7 a fine, lege *quid* pro *quidi*.

Pag. 233. S. 1. l. 33. lege Barlandus. ibid. altera ab hac linea *Camus pro* Canius, et Sect. 2. lin. 17. *qua ex re* pro *qua ex ore*.

Pag. 235. Sect. 1, 1, 13. lege ὀξυμωρον *pro* τοξυμωρον.

Pag. 323. S. 2. l. 26. *pro* ſupplex *lege* ſuppellex.

Ed. 1739. 8

ULB Halle 3
006 354 173

m. c.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650029-p0437-7

CLAVIS
POETARVM CLASSICORVM
PARS PRIOR.

SIVE

INDEX
PHILOLOGICO-CRITICVS
IN
HORATIVM, TERENTIVM
ET
PHAEDRVM,

MINORI FORMA
IN ORPHANOTROPHEO HALENSI
IMPRESSOS.

AVCTORE
GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACH.

HALAE
SVMTV ORPHANOTROPHEI
MDCCLXVIII.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650029-p0439-1